Año 1590.

Digitized by Google

Digitized by Google

F 22
16.785
271
An 7
423. 8.
F 11

Digitized by Google

Digitized by Google

16285

ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV,

Anni M. D. XCIX.

Ad Patres, ac Fratres eiuſdem Societatis.

BIBLIOTECA

LVGDVNI,
Ex Typographia IACOBI ROVSSIN.
M. DCVII.
Superiorum permiſſu.

De la breuia de Noviça do de la Comp.ª de Jhs de Madrid

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNVAE LITTERAE
SOCIETATIS IESV,
M. D. XCIX.

PROVINCIA ROMANA.

NON longum faciam in breuitate harum litterarum excusanda. Causa est, quòd dum consueta, quamuis præclara, hæc & illa omittuntur, nihil propemodum reliqui fit. Delibabuntur igitur pauca, potius ad eorum quæ reticentur specimen, quàm quòd multum ijs antecellant.

EGERVNT hoc anno in Romana Prouincia, non adnumerata Professorũ domo, (quæ immediatè R.P.N. Generali subest) propè sexcenti; tres enim tantum huic numero defuerunt. In Collegio Romano, eiusque Sedibus fuêre duo ac triginta suprà ducentos: in ipso Collegio Sacerdotes triginta, præter eos, qui in Magistris recensentur: Magistri autem, quorum multi Sacerdotes, duo & viginti; Scholastici duodecim supra centum, Goadiutores vndequinquaginta. In sede Tusculana, itemque S. Marci Maceratæ Sacerdotes bini, sed Coadiutores illic quatuor, hic septem. In Neapolitana tres Coadiutores, Sacerdos vnus. In domo Probationis ad S. Andreæ tredecim suprà centum: ex his Nouitij, Scholastici quidem

Digitized by Google

quidem duo, & quinquaginta, Coadiutores verò quatuor ac viginti, reliqui Coadiutores septemdecim, Sacerdotes viginti. In domo Pœnitentiariorum viginti versati sunt, omnes Sacerdotes præter septem, qui in domesticis ministerijs occupantur. In Collegio Maronitarum Sacerdotes, & Coadiutores bini: duplo amplius in Collegio Græcorum, cum vno Scholastico, ac duobus Coadiutoribus, Sacerdotes quinque. In Anglicano, decem Scholastici, & Coadiutores terni, quatuor Sacerdotes. In Germanico quindecim ordine quodam, Scholastici, Coadiutores, Sacerdotes, quatuor, quinque, sex. In Seminario viginti ac septem, plurimi Scholastici, Sacerdotes sex, Coadiutores quatuor. Porrò Scholastici nostri in Seminario, aliisque externorum Collegijs ad alumnorum vtilitatem, aut domesticæ disciplinæ, aut Sodalitatibus Sanctissimæ Virginis, & litterarijs exercitationibus præsunt. Tybure tredecim, Coadiutores quinque, vno amplius Sacerdotes, duo Præceptores. Vndecim Setiæ, duo Magistri, tres Sacerdotes, duplo amplius Coadiutores. Nouem Anconæ, numero hic quoque gradatim ascendente, Magistri duo, tres Coadiutores, quatuor Sacerdotes. Laureti quinque ac triginta, cum duobus Scholasticis, ac duodecim Coadiutoribus, Sacerdotes vnus & viginti. Recineti Magister vnus, Sacerdotes septem, vno minus Coadiutores. Conuenit in reliquis Macerata, vno tantum superat Præceptore. Perusia verò habuit Socios vndeviginti, Scholasticum vnum, tres Præceptores, Coadiutores septem, octo Sacerdotes. Plures fuêre Senis, Scholastici quinque, duo plures Sacerdotes, hisque vno pauciores Coadiutores, cum Præceptoribus tribus, omnes numero viginti, & septem. Florentia numerauit quinque & viginti, Sacerdotes quaterdenos, Præceptores binos, reliquos Coadiutores. In Societatem admissi triginta, decem ad domestica

Digitized by Google

nestica ministeria, cæteri ad studia litterarum. Demortuis vndeviginti; Nouitij & Scholastici bini, Coadiutores quatuor, vndecim Sacerdotes. Concionati per Quadragesimam Romæ, atque alijs in vrbibus duo & viginti.

ROMANVM COLLEGIVM.

FREQVENTANTIVM Gymnasium numerus (fortasse quòd annus appetit Secularis,) magis in dies augetur. In classe Theologiæ, ex quâ possint cæteræ æstimari, numerati sunt hoc pene ad trecentos. Itaque necesse fuit & scamna in scholis veteribus, & scholas ipsas extremo anno superiore multiplicare, triplicata tùm secunda, tùm tertia classe Grammaticæ, quæ omnes ita auditoribus abundarunt, vt singulæ propè centenos superarint. Publicas disputationes eternorum, præ cætera multitudine, frequentes viri primarij, Præsules, Cardinalesque cohonestarunt. Ex multorum ordinum familijs Religiosi homines ad nos veniunt studiorum causa: Nec sectis ac cæteri externi propositis, siue de Theologia, siue de Philosophia thesibus publicè respondent, aduocata Principum honorariorum corona. Plerique etiam ex primis Romanorum familijs, atque Oratores Imperatoris, ac Regis Hispaniarum, alijque insignes Dynastæ suos nobis, aut liberos, aut cognatos tradunt in disciplinam. Illustrissimorum certè Cardinalium nepotes vel in vna aliqua classe, sex, septem, eoque amplius videre licet: Incipimus videlicet superiorum quoque annorum laboribus frui. Cum multi excellentes viri in aulis passim, colloquiisque amplissimorum Patrum prædicent, quicquid sunt, sciuntque se nostræ institutioni debere. Ex ijs qui vita sunt functi trium Sacer-

Digitized by Google

dotum videtur mentio facienda, Syluij Benuoglientij, Horatij Torsellini, Bernardini Medicei. P. Syluius Benuoglientius Senensis, Coadiutor Spiritualis obijt XVIII. Kal. Februarias ætatis anno sexagesimo tertio, cum annos ad quadraginta in Societate vixisset, plurimum capite, tùm stomacho, quibus in assiduis morbis inuictam tenuit patientiam, legum nostrarum custos ita diligens, vt in alienum cubiculum non facta sibi prius potestate ingressus dicatur nunquam. Eo die quo est mortuus cùm Sacrum fecisset, paulòque post in valetudinarium regressus ægroto assideret, acerrimis repente doloribus corripitur, ac semihoræ spatio extinguitur, affirmantibus ægrorum curatoribus longo eum martyrio finem fecisse.

HAVD peius actum est cum P. Horatio Torsellino Romano, quem omnes qui norant, pro certo habent, diuturna, permolestaque vexatione pituitæ, ac tussis liberum migrasse ad æterna gaudia Beatorum. Nobiscum huius obitu paulo peius est actum. Amisimus enim virum ex vna parte planè innocentem, mirificæ comitatis, qui nesciret de quoquam nisi benè mereri, ac benè loqui; cuius candidissimi animi imago ipsis eius libris elucet: Ex altera verò, pererudituin, laboriosum, factum cùm ad docendum maiore cum fructu, quàm pompa, tum ad dicendum pereleganter, ac sanè latinè: cuius linguæ obseruationes ita tenuit, vt paucos habuisse pares existimetur. Præter vitam B. Xauerij, & Lauretanam historiam, quæ ipse ediderat, quædam passus erat ad vsum puerorum exire opuscula, quibus habebat effecta multa haud paulò nobiliora, & opportuniora iuuentuti futura: in his ab orbe condito ad hæc vsque tempora historiarum Epitomen, Dialogos, de ratione parandæ eloquentiæ, De verborũ delectu, & proprietate, Poëmata & orationes multas: notasque in Ciceronis varios libros & orationes, aliorumque scriptorum non vulgares. Professus erat quatuor

Digitized by Google

tuor vota anno 1578. in Societatem admissus anno 1562. Præfuerat Rector Seminario Romano, mox Collegio Florentino, postremò Laurentano, quæ fuit illi causa Laurentanæ historiæ conscribendæ. Cum animadverteret quemadmodum ipsemet referebat Societati nostræ valdè necessarios esse homines litteris humanioribus eruditos, & ea re putaret Sacrificium se Deo gratum facturum, quòd munus non tam specie, quàm re magnum amplecteretur, vltrò se in eo studio consenescere, ac mori paratum P. Generali obtulit. Quod quidem quantum in se fuit, egregiè præstitit, insigni cum bono huiusmodi litterarum; ad viginti enim annos docuit, ac perrecturus erat, quoad vita, vireſque suppeterent. Agebat, cùm excessit è viuis, annum ætatis quinquagesimum quartum.

A T. P. Bernardinus Mediceus Florentinus in ipsa ætatis, rerumque gerendarum maturitate est raptus; annum ætatis quadragesimum decurrebat, in Societate decimum sextum, paucis ante mortem diebus inter professos adscriptus. In Mediolanensi, Romanoque Gymnasio interpretem egerat sacræ Scripturæ: ac Genuense Collegium Rector administrarat: vir summæ humilitatis, externoque oris, ac totius corporis habitu ad piam, valdeque amabilem modestiam minimè compositus, meditationi apprimè deditus, in rebus diuinis reuerentiæ singularis, adeò vt officium diuinum nunquam nisi flexis genibus, ac frequentissimè in templo coram sacrosancto Christi Domini corpore recitaret. Hosce mors abstulit. P. autem Robertum Belarminum quamuis reluctantem, immo suprema auctoritate reluctari vetitum, Purpura à nobis abduxit, cum inde vsque à die sexta Iulij anni 1572. professus quatuor solemnia esset vota, ætatis suæ anno sexto & quinquagesimo, Societatis octauo & trigesimo. Postquam & multa multis locis per annos septemdecim docuerat è sacris litteris, è Theologia, è controuersijs, atque

Digitized by Google

hac maximè nunquam abunde laudatis voluminibus iussus euulgauerat: denique Romanum Collegium duos annos, duos Neapolitanam prouinciam rexerat; à Clemente VIII. Pont. Max. v. Nonas Martij creatus est Cardinalis.

IN vrbe concionati è Nostris per Quadragesimam diebus singulis, tres cum approbatione, ac fructu: vnus in templo nostro Professorum; alter in S. Petri, tertius in S. Ioannis Florentinorum. Isque præcetera messe, permultas mulierculas infames cum ad eam concionem, in qua de conuersa Magdalena verba fiunt, iussisset adduci, ita permouit, vt lachrymis, ac gemitibus sua scelera deplorantium templum omne compleretur, audatoresque omnes rei nouitate vel stuperent attoniti, vel lachrymas soclarent: In quibus deinde confirmandis & vel in coenobio, vel in certo matrimonio collocandis, non dubiè diuina sæpius prouidentia, piorumque hominum benignitas perspecta est.

HAEC in vrbe dum fiunt, circumiectus ager neglectus non est, in quem (ne quod latus omitteretur) quadrifariam distributum quaterna paria Sacerdotum sub vernum tempus profecta, redierunt cum manipulis suis. Terna alia paria non semel in certa oppida accitu dominorum excurrere. Duo ex his Sacerdotes Apostolici vicarij missu Reate profecti, Diœcesique obita, tandem Reatinis vsque eò & vtiles, & grati fuerunt, vt ibi sedes ad certum tempus missionum causa institueretur: in qua Nostrorum septem, octóve diuersarentur. Alij præterea longinquas in oras, duo ad Insulam Chium, tres ad Insulas Philippinas missi.

CDE

COLLEGIVM ANGLICANVM.

VERVNT in hoc Collegio hoc anno alumni septem & quadraginta, Sacerdotio initiati quatuor, quinque studijs absolutis ad sementem faciendam in Angliam missi: sex è vita abierunt, qui amore cœlestis patriæ, patientiæ, & obedientiæ exemplis valde collegas ad pietatem excitarunt. Horum tres se Societati nostræ deuouerunt: in quam duo præterea sunt admissi. Nonnullorum qui hoc anno aduenerunt rerumque fuerunt dignæ memoria. Iuuenis ex equestri familia cùm decimum iam annum Cantabrigiæ operam daret, & in Sodalitium Collegij Cantabrigiensis, quod ibi permagni fit, cooptatus esset, rebus omnibus postpositis, fratris sui consilio, qui est Catholicus, & Sacerdos, cum Deo, sanctaque Ecclesia in gratiam redijt: non diù post capitur, & in vincula conijcitur, vbi contumelijs, iniurijsque vexatus est ad quinquaginta dies: verùm quâ gratia, quâ pecunia permissus abire, Romam hoc anno peruenit, & in alumnorum numerum receptus est. Multo plura tres alij passi sunt, dum in Hispaniam iter intendunt: bis in eo itinere sunt capti (Romam opinor illos Deo vocante) capti sunt autem primum à Gallis, & omni pecunia, ipsisque vestibus propè cunctis spoliati. Deinde verò cum repetijssent cursum, in Hollandorum incidêre manus. Ab his Roterodamum ducti, carcerem, inediam, frigora, conuicia, & probra acerbissima pertulerunt. Mox in Angliam missi post quæstionem acrem, atque multiplicem, confugêre ad consueta præsidia gratiæ, ac pecuniæ, quæ apud eos, apud quos nulla est ratio æquitatis, plurimum valent. His igitur libertatem nacti,

Digitized by Google

tertiò dant ſeſe in viam, & omiſſa Hiſpaniæ cura, ſecundo vento in Galliam nauigant: inde Romam fœliciter pergunt. Narrabat vnus ex his, Dei erga ſe benignitatem prædicans, ſe quidem, tum exemplo auunculi Sacerdotis, qui amiſſis redditibus, quibus è Sacerdotio ante dominatum Eliſabethæ fruebatur, in ædibus paternis deliteſcebat, tum educatione puerili ita inſtitutum ſemper coluiſſe Catholicam fidem: verùm Oxonij ſtudiorum cauſa cum perdiù moratus eſſet, parum abfuiſſe, quin ambitionis æſtu abreptus naufragium fidei faceret, & primæ inſtitutionis memoriam obliteraret: ſed præſtò fuit Deus aliud agenti: Cùm enim defeſſus nouem annorum ſtudiosus abijſſet, ibi Catholicorum conſuetudine recaluit, ſatis expertus, quanti referat vbi quis, & cum quibus verſetur. Is deinde quamuis non hoc anno, alterque è ſocijs, cum quibus Romam tot poſt ærumnas venit, nobili genere natus, vterque Magiſtri laurea donatus Oxonij, noſtræ Societati nomen dedêre: Atque hi quidem tandem è manibus hæreticorum euaſêre: alij duo non item. Riccardus enim Miltonius Sacerdos huius quondam Collegij alumnus, in Anglia comprehenſus eſt hoc anno, & biennio poſt, quo toto fuit in carcere, eo tantum, quia Sacerdos erat, Lencaſtriæ ſuſpenſus, ſtatimque ſemiuiuus in fruſta conciſus eſt, quaſi perduellis (hoc enim nomine Sacerdotes appellant), quibus dant, & inuident martyrij palmam. Alter verò cùm hæc ſcriberentur, iam triennium agebat in cuſtodia. Is quondam inter hæreticos nobilis habebatur, Comitique Eſſexio charus erat, tum propter alia ingenij ornamenta, tum in primis propter egregiam concionandi facultatem. Nulli hæreticorum ſectæ addictus, ſibi ipſe ſuæ religionis faber, vt lectitabat genus omne auctorum bonorum æquè ac malorum, nouum quoddam prodigium è Catholicorum dogmatibus, & hæreticorum ſomnijs conflauerat. Sed

Gulielmi

Digitized by Google

Gulielmi Reginaldi hominis doctissimi librum de Ecclesiâ Anglicè conscriptum legens, in eo ipso procœmio nouâ quadam oborta luce, sensu intimo suauissimè tactus exclamauit se Catholicum esse. Adit illicò Sacerdotem, expiat confessione peccata, è nuptijs quas meditabatur animum transfert ad nouam vitæ rationem, sex ipsos menses Deo sibi propitiando, ac precibus insistit: mox Romam cogitans, cùm multi adhortarentur, vti clanculum proficisceretur, negauit se abiturum, nisi prius Catholicam Religionem, quam publicè oppugnarat, publicè profiteretur, atque defenderet. Quod strenuè dum præstat, capitur scilicet, ac Londinensis acris custodia includitur; vbi sæpiùs de fide interrogatus tam fidenter veram pietatem, tantoque cum Ministrorum contemptu defendit, vt coram Reginæ Magistratibus sponderet, ni centum argumentis, quorum nullum tota Ministrorum turba posset diluere sanctitatem Romanæ Ecclesiæ confirmaret, se manus daturum, & nonnulla cœpit proferre: sed confestim tacere iussus, non disputationibus, sed promissis, minisque variè tentatus est. Deo autem fauente, septimo mense elapsus Romam aduolauit, & in Collegium admissus statim ad nostram Societatem animum adiecit. Amabatur ab alumnis omnibus, & multa tùm ingenij excellentis, tùm eximiæ humilitatis documenta edebat: diu tamen manere per valetudinem non licuit: quarto mense postquam Romam venerat, in Hispaniam missus, & inde in Belgium ab Anglis prædonibus eodem hoc anno quo etiam se nobis voto obstrinxit, est captus, iamque, vt initio dixi, cum hæc scriberentur, Londini in carcere tertium annum agebat.

Digitized by Google

COLLEGIVM GRÆCORVM.

QUatuor alumnis, qui studiorum curriculum absoluerunt, vnus solemni ritu Magister institutus, laureaque donatus, in patriam quæ didicit docturus, abscessit. E cæteris duo Societati se addixêre, egregijs naturæ opibus instructi. Tres Monachi ex Athone monte, quem sanctum appellant, in Collegium admissi sunt; quorum vnus, relicto Episcopatu, Monasticæ se vitæ reddiderat. Hi cùm ex maleuolorum sermonibus prauia essent de Italis, & Collegio imprimis Græcorum opinione imbuti, subterfugiebant consuetudinem Latinorum, soliique inter sese agebant. Verùm vt semel, atque iterum collegarum suauitatem degustarunt, abegêre conceptas inanium suspicionum imagines, & se familiaritati omnium simpliciter crediderunt; paulatimque obseruata alumnorum modestia, & Collegij in ijs ad pietatem instituendis via & ordine; ad Romanæ Ecclesiæ gremium, cuius sanctitatem, ac Principatum viua illa affirmabant testimonia, refugerunt: neque desinunt flagitare vt ad sua monasteria, quæ viginti aiunt esse, & à Monachis ad sena millia incoli, Magistri mittantur, cum vehementer sperent inde aditum apertum iri, vnde vniuersæ illæ regiones ad ritum Religionis Catholicæ tandem reuocentur.

LAV

Digitized by Google

LAVRETANVM COLLEGIVM.

TRIPARTITA sunt hic nostra pietatis officia, in ciues Lauretanos, & incolas, in vicinos oppidorum, & vrbium populos, denique in peregrinos: cum omnibus egregiè positi labores. Ad Lauretanos incolas subleuandos fundamentum aliquod Sodalitatis B. Virginis iactum, & superauit fructus initia. Permulti ex Clero exercitationibus à B. P. Ignatio descriptis exculti, quæ res adeò grata cecidit, vt decretum fit à Canonicis, comprobante Antistite, vt qui exercitationũ spiritualium causa choro absint, ijs fraudi ne sit: verùm perinde ac cæteri, qui interfuerunt, quotidianis partibus fruantur. Ad vicinos modò bini, modò plures identidem excurrerunt, quod leue non videtur, Lauretanarum occupationum molem, quæ perpetua serie aliæ super alias vrgent, æstimanti: & constitit laborum fructus, qui solet. Præcipua tamen opera cum aduenis ponitur: Et quidem hic annus, si vnquam alius, aduentu Principum virorum, ac fœminarum fuit insignis, qui omnes opera nostra vsi, valdè sibi satisfactum professi magnificè sunt. Excellentissimus Io. Franciscus Aldobrandinus, vnà cum lectissima coniuge, quæ Clementis VIII. fratris est filia, huc profectus eximia significatione beneuolentiæ nostra officia non Laureti modò, sed & Romæ laudauit. Nobilissima fœmina Princeps Masfelt, Comitis Masfelt coniux, cumularam se gaudio abire dicebat, quòd ita accepta esset à nobis: & mox per literas officij plenas, & nuncium ad eam rem missum gratias de integro agendas nobis putauit. Pari fedulitate, ac studio

Digitized by Google

tractatus Comes de Berſamont è prima Belgij nobilitate oriundus.

SERENISSIMA verò Archidux Auſtriæ, cùm ex Hiſpania rediens, quò Reginam filiam proſecuta fuerat, Lauretum petiſſet, more ſuo ad Collegium noſtrum ſuam ob pietatem iuxta ac dignitatem & Pontificis beneficio venit, noſque grandis natu & ampliſſimæ dignitatis matrona ea pietate, qua dulciſſimos filios mater, inuiſit, cuius pietatis manere voluit apud nos monumentum, aureis nummis centum, triclinio ſacra pictura exornando, condonatis. E Cardinalibus vnum ſat fuerit nominare noſtræ familiæ ſtudioſiſſimum Diectriſtain. Hic in reditu ad ſuum Epiſcopatum iter hac faciens, apud nos eſt familiariſſimè diuerſatus, & à Noſtris in eam cogitationem adductus, curauit vt tabulatum, quod vnam ſanctæ Domus partem ab altera dirimit, argento incruſtaret. De quo viro & illud memorandum eſt: In ſacra domo cùm adiurare malos dæmones cœpiſſet, quibus Monialis honeſta ac nobilis obſeſſa tenebatur, vſque ad veſperam in certamine perſtitit, quoad victoriam de peruicacibus conſtantia reportauit, qui tandem egredientes quemadmodum conuentum erat, ſuam fugam extinctis omnibus ſancti ſacelli lampadibus palam fecerunt, cuius facti affixa eſt ad monumentum tabella.

HISCE adijcienda eſt ſereniſſimi Ducis Parmenſis digniſſima prædicatione pietas. Voti ſoluendi cauſa ob receptam valetudinem iter ingreſſus eſt, rubeo indutus ſacco, ac reliquo piè peregrinãtium habitu. Tres quatuorque aderant Comites è præcipua nobilitate, ornatu eodem. Hoc comitatu, & cultu pedes iter totum confecit. Cum Lauretum ſub veſperam attigiſſet, à porta vrbis nudis pedibus B. Virginem inuiſit. Mox diſſipato de eius aduentu rumore, quærebatur à multis. Verùm ipſe primis tenebris abſque lumine ad nos acceſſit. Hic poſt ſacram

Digitized by Google

cram confessionem apud vnum è Nostris habitam, & post multa sui erga nos singularis amoris indicia, cum laude totius nostræ Societatis commemorantibus nobis quantum Farnesiæ genti noster ordo debeat: Vtinam, inquit, nos à nostris maioribus non degeneremus. Ita bene de nobis mereri hæreditarium sibi debitum putat. Morte sublati tres, vnus ad domesticos vsus adiutor, duo Sacerdotes: *In* his P. Thomas Razzius, qui duodeseptuagesimum annum viuendo implerat. In Societate quadragintavnum: videbatur à Deo linguarum donum consequutus: *nam* præter principes illas tres, Hebræam, Græcam, Latinam, Dalmaticam quoque callebat, Turcicam, & Arabicam, rituſque, ac mores Gentium omnium, quæ sunt ad Orientem optimè norat: quippè qui sæpiùs eas regiones peragrauerat, ac semel missu Gregorij XIII. ad disseminandam Catholicæ fidei doctrinam, abscissaque illa membra cum suo capite ritè iungenda. Vir præterea erat virtutis eximiæ, cuius quidem postremo biennio, quo fermè toto ægrotauit, patientia in primis mira perspecta est.

COLLEGIVM ANCONITANVM, ET Maceratense.

ANCONAE in templo maximo conciones, per Aduentum, & Quadragesimam habitæ, ac per annum singulis diebus festis in templo nostro familiares adhortationes, vsumque vtrobique cum auditorum frequentia celeberrima. Ac mirum profectò est, quanti nos ciuitas cuncta faciat, quàm liberè, ac sincerè suis in rebus omnibus ad nos nobili

Digitized by Google

bilissimi quique confugiant: eò facilius pax inter multos consanguineos restituta. Scholæ atque in primis B. Virginis Sodalitas nostris votis, & conatibus, fructu, & celebritate respondent: optimè hic etiam ponitur labor in turba nauta, siue ad virtutem hortanda, siue fidei necessarijs capitibus erudienda. Hæc eo ex numero sunt, quæ tanquam nota alibi occurrunt. Sed Collegij noui statum paucis exponere abs re non fuit.

MACERATA Illustrissimi Cardinalis Bandini, Firmani Archiepiscopi postulatu missi duo Sacerdotes, varia eius Dioecesis oppida lustrarunt. Duo item Matelicam profecti, egregio successu id est, consueto.

COLLEGIVM FLORENTINVM.

DECEM hoc anno dedit nobis hæc Vrbs, duos abstulit, quos vti spes est reddidit cælo: vterque erat Sacerdos, & alter P. Iulius Anticius Recinetensis, qui cum semper ad exemplum vitæ vixisset, in longo tamen, atque odiosissimo morbo, quo demùm confectus est, veræ nobis, solidæque patientiæ reliquit documenta clariora. Exercitationibus spiritualibus B. P. Ignatij omnes vnius Cœnobij sacræ Virgines institutæ sunt, initio à quatuor insignioribus facto, quibus deinceps reliquæ traditæ in disciplinam. Quæ res in tantum cessit pietatis emolumentum, vt singulis diebus matutinæ meditationi spatium aliquod tribuere communi omnes suffragio decreuerint. Memorabilis fuit viri è prima nobilitate, fœminæque notissima conuersio ad pudicam piamque vitam. Initium illi salutis à morbo lethali, pioque viro eius affine. Huius inuitatu Rector excepturus

cepturus mori bundi confessionem accurrit: sed diuturna scelerum consuetudine cæcum hominem Religio importuna torquebat: verebatur ne confessio irrita foret, quòd amicæ, à qua grandem pecuniam mutuam acceperat, soluendo non esset. Hic noster adscito viæ, consilijque comite pio illo decumbentis affine, tentat, si posset beneficio meretricis conscientiæ morientis salutem afferre. Et verò attulit, vt enim ægrotus accepto condonati nuncio debiti, confessionem lædata mente aggressus est, cœpit sensim paululum releuari planè, vt corpus videretur non nisi ex animi contagione languere, & huius curatio illius esse medicina, postero die penitus conualesceret, notaque vitæ ratio fidem facit ideo ægrotasse quò ære alieno liberaretur. Quin etiam ipse iam sanus, multis pro Medico est, exemplo, consilio, opera. Interim perdita mulier ad concionem abit in maximum vrbis templum; magis de facie noscendi gratia, qui tum ibi concionabatur, Rectorem, à quo amatorem dolebat ad meliora traductum, quàm quid diceretur audiendi: sed diuini verbi semen frustrà non cadit: multò discedit, quàm venerat melior. Paucis post diebus Christi Domini nocte Natali Deiparæ Annunciatæ templum Florentiæ celeberrimum adiit. In ipso limine diuino instinctu relecta, vocari se ad nostrum templum sentit, paret vocanti sine dubio Deo: vix pedem intulerat, quum sacro quodam horrore perfunditur, mox soluta in lachrymas tota nocte perfleuit. Simul ac de muliere, ac lachrymis audit Rector, nunciari iubet se cum ea colloqui velle: quid multa? Confessioni dies proximus destinatur, atque hoc tempore mulier abdicato planè regio luxu, redintegrata cum viro gratia, occlusa omnino turpitudini domo, in frequenti sacramentorum vsu, vitam non minore, sed meliore quàm priùs fama, sanctissimam ducit.

NEQVE solum in vrbe, verùm etiam foris, nullo Sacerdote

Digitized by Google

Sacerdote vnà cum socio Volaterras, & in oppida, vicosque adiacentes, rogatu Episcopi, strenuè, ac fæliciter laboratum.

COLLEGIVM SENENSE, AC Tyburtinum.

SACRO Circuncisionis die, qui Societati nostræ præcipuè honoratus est, Illustrissimus Cardinalis Tarugius, Archiepiscopus Senensis, vt quàm celeberrimum efficeret, nobisque lætissimum, sacrum in Templo nostro fecit, concioni interfuit, & humanissimè nobiscum prandit. In templo principe Ciuitatis, solemnis ieiunij tempore, Concionator è nostris verba fecit, maximè frequenti, & secunda concione, à qua nunquam ferè pastor optimus abfuit. Alius item è Nostris eodem in templo rationes officij toto anno explicauit: & his quoque disputationibus cohonestandis præsentia sua, & auctoritate commendandis, pari benignitate, atque constantia interfuit, vnà cum suo Vicario, & clero Archiepiscopus, qui planè mirum est quàm nos ex animo diligat.

AMPLISSIMVS Cardinalis Sfondratus S. Cæciliæ, cùm Senis hebdomadæ sanctæ diebus esset, semel nostræ mensæ particeps voluit esse, familiaribus, & aulicis omnibus exclusis, quo familiarius, ac liberius nobiscum ageret. Secundum mensam aperto in loco remissioni consuetæ cum aliquot è Nostris interfuit, totumque illud tempus in pijs sermonibus familiarissimè transegit. Messis eorum, qui sese ad nostrum numerum aggregarunt, fuit satis ampla, vt est hic ager semper fœcundus:

nam

Digitized by Google

nam & Romam missi nonnulli sunt, & præterea tres Mediolanum, ac demùm quidam in Lusitaniam, subsidio Indis futuri. Excursum hinc in varia oppida Diœceseos pari cum vtilitate oppidanorum, atque Archiepiscopi voluptate.

TYBVRE P. N. Generalis opera institutum est contubernium virginum, quarum pudicitia præ ætate periclitaretur. Sub hæc initia nouem aluntur, moderatrice honesta fœmina, quæ cum prudentia plurimum, & regendi scientia valeat, magis tamen compendiosa exempli sui via quàm alia re eas ad virtutem informat. Accidit hæc institutio ciuitati cunctæ pergrata, vt debuit, & quo diutiùs maneat, & progressus sint maiores, prouisum est hunc in modum. Delectis ex Sodalitate B. Virginis, quæ est in Collegio nostro, certis viris, nouum institutum est Sodalitium, cui à sancto Getulio inditum nomen, decretumque vt in hoc nulli, nisi Sodalibus B. Virginis, aditus pateat. Ac denique horum fidei contubernij illius Virginum tutela commissa est.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA SICILIENSIS.

DEGVNT in Sicilienſi Prouincia Socij numero quadringenti, & duo ſupra triginta, ſeptẽdecim domicilijs diſtributi. In Panormitana Profeſſorum domo verſantur vnus & quinquaginta. In Collegio quatuor ſupra ſexaginta. Vno minus in Meſſanenſi: in Catanenſi vnus & viginti: tres ſupra viginti in Syracuſano: in Collegio Montis-regalis viginti: in Biuonenſi ſepremdecim: nouem in Rhegino: in Calataſcrohenſi duo ſupra viginti: vndeviginti in Drepanitano: in Menenino ſeptemdecim: in Melitenſi quatuordecim: vno plus in Marſalenſi: Meſſanæ in domo Probationis viginti ſex: Panormi verò quatuor & triginta: in Reſidentia Caltaniſattenſi ſeptem: vno minus in Agrigentina. Admiſſi ſunt ad Societatem tres & viginti: amiſſi morte quatuor.

DO

DOMVS PROFESSA PANORMITANA.

COMPLEXA est hoc anno Panormitana Professorum domus vnum & quinquaginta, ex ijs Sacerdotes fuêre quatuor & vigintiireliqui Adiutores. Ad templum nostrum frequentissimus est, tum populi, tum etiam è prima Nobilitate concursus: ij & sacrum oratorem audiunt, & sacrosancto Christi corpore pascuntur. Prorex, eiusque vxor, liberi item cum reliquis domesticis vni confitentur è Nostris, nec sine maximo animorum fructu multa enim publica bona inde dimanant, inter quæ illud prætermittêdum non videtur. Factum est per Proregem, confessarij monitu, vt quidam nobilissimi ciuitatis, ad mille in custodijs propter varia scelera detentos perpetuò alerent. Sacri item Quæstores Nostrorum opera vtuntur maximè, adeò vt Nostris ager ad colendum non desit. AEris alieni non modicæ restitutiones factæ. Multi vlciscendi voluntatem, mox operę explendam ex animo delentes, cum inimicis in amicitiam redière. Mulieres multæ turpem vitam agentes à flagitijs sunt auocatæ. Multis etiam cautum est ne in eadem flagitia demergerentur. Nonnulli à concubinatu liberati: aleatores ac periuri à pessima peccandi consuetudine discesserunt. Nec verò intra vrbis mœnia Nostrorum opera se continuit: sed ad alia etiam oppida se extendit. Sacerdos vnus ad oppidum est *missus*, cui Castello bono nomen est, in quo eiusdem oppidi Princeps magnum animi fructum ea Patris consuetudine decerpsit. Is præterquam quod vniuersæ vitæ noxas confessione generali eluit, vt molliſſimam ceram ad

Digitized by Google

Patris arbitrium dedit seſe, mirum in modum exoptans omnibus in rebus, atque actionibus ab eo commutari, & pro voluntate dirigi, maxima verò admiratione dignum erat, præsertim in tanto viro, assiduitas, & diligentia, quam in omnibus Patris monitis, præceptisque tenendis adhibebat: si quid verò ex ijs rebus profeciſſet diligenter aperiebat: atque hinc factum est, vt illud vectigalibus integritatis specimen præstiterit, quo omnes facilè perspectum habuerint ad quantum virtutis cumulum ascendisset. Neque verò populo suus spiritualis deerat cibus, neque pueris ipsis qui Christianæ doctrinæ rudimentis instruebantur: vt verò promptiori animo ad templum pueri conuolarent, quibusdam munusculis alliciebat, ad quod spectaculum, vti nouum in illo oppido, prudentes, & graues viri vndiq; confluebant, ac certatim ipsi etiam senes ad animi salutem necessaria dicere memoriter exposcebant. Rusticorum Sodalitas est instituta, quæ vberrimos fructus pollicetur. Duorum etiam cœtuum Sodales, qui nobiliores oppidi sunt, adeo Patris cohortationibus sunt incensi, vt omnes singulis saltem mensibus Eucharistiæ conuiuio pasci decreuerint. Tandem quia beneuolétiæ flamma erga Societatem opprimi facilè non potest, Princeps magna contentione à P.N. Generali efflagitat, vt in suo illo oppido Societatis Collegium constituatur, atque ad id præter absolutam Collegij ædificationem, mille aureorum summam in annos singulos munificentissimè affert.

COL.

Digitized by Google

COLLEGIVM PANORMITANVM.

PRAETER ea, quæ Panormitanum Collegium cum reliquis Collegijs habet communia, illud in primis minimè prætermittendum est: Philosophiæ, ac Theologiæ studia è Messanensi Collegio huc sunt translata incredibili ciuium lætitia, maximaque discipulorum frequentia, ita vt Scholares omnes, tum qui Grammaticæ, tum qui superioribus facultatibus operam dant, sexcentorum conficiant numerum. Collegij ædificatio binis aureorum millibus promota est. Multi è Nostris Christianam doctrinam, alij in parœcijs, in plateis: alij etiam in publicis custodijs, non sine maximo animorum fructu exposuerunt. Inter discipulos, qui Beatæ Virginis Sodalitium frequentant, singularia virtutis, & spiritualis profectus argumenta extitêre: ex iis octo varijs Religiosorum familijs nomina dedêre: ac puer vnus per fraudem, quemdam in locum adductus, inclususque, cum à potenti, & primario viro innitaretur, vt effrenatæ libidini ipsius pareret, respondit intrepidè nunquam fore vt sceleri assentiretur, etiamsi acerbissima morte afficeretur, & secaretur in frusta. His verbis impius adolescens ira incitatus, puerum pugnis, ac verberibus oneratum conijcit in catenas, ac manibus pedibusque reuinctum ad præsepe alligari iubet. Iterum ad vesperam redit, vinculis soluit, minis, ac verberibus iterum aggreditur: vbi verò, & secundus hic impetus parum prosperè succedit, blanditijs, ac muneribus à proposito dimouere conatur: at puer animo non puerili communitus, seuero intuitu, ac duris respondens verbis, cuncta sibi ab

Digitized by Google

illo oblata respuit: hinc iterum alligatus tres ipsos dies, totidemque noctes sine vllo cibo transegit. Tandem petulantissimus, atque inhonestissimus adolescens cum alio sceleris conscio, & adiutore, binis pugionibus arreptis ad extremum certamen comparant sese. Puerum igitur in impotentem rabiem incitati nudis pugionibus adoriuntur, parere effrenatę voluntati iubent, ficas ostentant, mortem denique admotis corpori gladijs, inermi puero minitantur. In id dementiæ, ac sæuitiæ homines libido præcipitat. Inter hæc validus puer diuino adiutus præsidio, millies se moriturum respondit, priùs quàm de sententia depellatur: illi verò desperata iam victoria, cum noctu dimittunt.

MESSANENSE COLLEGIVM.

IN Messanensi Collegio versati sunt ad Septembrem vsque nonaginta quinq;, Sacerdotes viginti quatuor, scholastici triginta nouem, reliqui adiutores reliquo anno Theologiæ, & Philosophiæ studijs Panormum translatis censentur Socij tres supra sexaginta, Sacerdotes decem, & octo, quorum vnus tredecim è Nostris scholasticos humanas litteras docuit: alter Hebræas externos. Sex item Professores, vnus Rhetoricæ, alter humanitatis, reliqui Grammaticæ. Scholastici nostri ferè omnes & studiorum intermissionibus ad sacras commentationes se contulerunt, nec mediocriter adiuti sunt. Messis rerum spiritualium cum externis hoc anno vberrimè constitit. Plurimi è peccatorum cœno emersérunt: eo præsertim tempore, quo aliquot terræmotus in ciuitate facti sunt: plures totius

Digitized by Google

tius ante-actæ vitæ confessiones à Nostris exceptæ. Plerique qui cum concubinis bonam vitæ partem traduxerant, ad pietatem reuocati, mulieresque dotatæ. Alijs ne ad turpitudinem iterum redirent, cautum est. Horum vnus in primis dives cum concubina ex qua plures liberos susceperat, non sine populi offensione viuebat: hic cùm in quemdam Societatis incidisset, cœpit Sacerdos de vitiorum fœditate verba facere, idque exemplo hominis pellicis amore impliciti confirmare (dixisses virum data opera, an Dei prouidentia de audientis vita historiam enarrare) ira primum incensus est homo perditus, ratus se de suo vitæ statu à Sacerdote admoneri. At simul ac rei penitùs insciam Patrem, quin potius inspirante Deo locutũ cognouit, permulceri paulatim, ac mollescere cœpit, & dolens, de emendationis vitæ genere cogitare. Ac primum exemit se peccatorum vinculis, confessione facta: inde verò fœminam id ægrè ferentem ad monasticam vitam suscipiendam hortatus est, quæ tamen ita obdurato animo fuit, vt nullis monitionibus locum dederit: quin contra etiam blanditijs, lachrymis, minis, iniurijs, eum ab instituto reuocare conabatur, verùm tandem mutato consilio, hominis monita amplexata est. Ille demum eodem patre fundente millo aureos in dotem largitus, honesto viro in matrimonium collocauit.

MITTO pacificationes, quæ Nostrorum opera inter inimicissimos conglutinatæ sunt. Illud tamen prætereundum non est. Duo & matrimonio coniuncti, & honesto loco nati, mutuis inter se odijs adeo exarserant, vt de interficienda coniuge maritus ferro, aut fame cogitaret, & cum filijs in aliam regionem commigrare. Res vbi ad Nostrorum aures delata est mox summa cũ familiæ gratulatione in concordiam redacti, impeditumque quod immminebat graue discrimen. Nec minor fructus ex alio perceptus est, qui ære alieno premebatur: hic cum sol-

Digitized by Google

uendo non esset, vniuersam supellectilem distraxit, & in eam amentiam venit, vt amantissimam vxorem ferro petiuerit, eique plurima vulnera inflixerit. At post patratum scelus mœrore confectus templum ingreditur, cum quodam è Societate (qui fortè eum in locum venerat) sermonem habet, ac paulatim captus dulcedine verborum, suam desperationem aperit Sacerdoti, qui vbi resciuit, bono animo esse iubet, pollicitus, se vxorem vbi conualuerit, conciliaturum, acturumque cum creditoribus de temporis dilatione. Quid plura? factum, annuente Deo, vt qui dudum veluti furore correptus credebatur ac perditus, illi, breui quadam curatione sermonis, omnis auferretur mentis perturbatio. Catechumeni nonnulli Christianam fidem à Nostris edocti, sacroque baptismate lustrati: in quibus vnus tanta cum constantia fidem susceptit, vt quamuis omnibus dominorum promissis fuerit fraudatus, magna tamen cum lætitia, ac religione sacris initiatus sit. Multi non ex vrbe tantum, sed ex vicinis oppidis iniurias inimicis condonauerunt. Ex Sodalitatibus tres in Societatem cooptati.

COLLEGIVM SYRACVSANVM.

NVMERAVIT Syracusanum Collegium Socios tres supra viginti, Sacerdotes nouem, Humanitatis doctorem vnum; duos Grammaticæ, ad domestica ministeria adscriptos vndecim. Præclara hoc anno in animorum salute procuranda Nostrorum extitit industria. Confessiones solito multo plures exceptæ, piæ itidem habitæ cohortationes. Congregationes quatuor melius habuêre nunquam: eas siquidem

siquidem ducenti frequentant, quiomnes non obscura suæ virtutis præbent argumenta. Vnus è Nostris toto Quadragesimæ tempore in æde maxima, ciuitatis rogatu, concionatus est, qui vberrimos Deo fauente fructus domum reportauit, commoda vsus occasione, quæ peroopportunè se obtulit: sicca enim hyeme cum segetes, vineta, oliueta, arua denique squallerent omnia, & frugum, pomorumque spes nulla ferè ostenderetur, mirum in modum permota ciuitas, toto diuinam opem Quadragesimæ tempore, monitis concionatoris, implorauit, supplicationibus plurimis ad varia vrbis templa, decretis eleemosynis benignissimè, vt ita nunquam, in pauperes erogatis, alijsque pijs operibus maxima cum pietatis significatione cõfectis. Neque verò voluntariæ afflictationes sunt desideratæ: præter plurimos enim, qui supplicium non leue de se voluntaria diuerberatione ad sanguinis vsque effusionem publicè sumpserunt, magistratus ipse, & è prima nobilitate complures semel, atque iterum in hebdomada acerbissimis verberibus in nostra æde, sese sponte affecére: à concionibus insuper ferè nullus aberat: quin & tota propemodũ ciuitas ipso maximi ieiunij tempore, ter elutis animi sordibus diuinum conuiuium celebrauit, quod pium sanctumque institutum permulti cæteroquin effrenati iuuenes secuti, maxima bonos omnes lætitia cumularunt. Templum variè exornatum est, simagine primum B. Virginis sponsi præclarè depicta: deinde thuribulis, & reliquiarũ thecis ex argento affabrè factis, alijs denique rebus huiusmodi sacellum item erectum: reliqua verò sacella ab alijs exstructa auratis signis, alijsque ornamentis excandentissimo marmore confectis mirum in modum exornata. Collegij ædes amplificatæ haud exigua pecunia ad scholarum ædificationem tradita eleemosynæ nomine.

IOANNES Baptista Puzzius Messanensis ex ho

Digitized by Google

Collegio efflauit animam. Hic annos natus circiter viginti quatuor, cum Nouitiatum, & Humanitatis studia exegisset, præceptoris munere fungebatur: at cum in molestissimum morbum incidisset, quando grauius afflictabatur, præclara obedientiæ, ac pietatis argumenta patefecit. Neque verò morti proximus, quamuis grauissimis doloribus torqueretur, mente aut sensibus est defecturus, imò integros ipsos dies miris modis ad proximam mortem sese comparans, adeò diuinis rebus erat intentus, vt mentem à cœlestium rerum meditatione nunquam auerteret: cuius rei argumento erant hymni, psalmi, preces denique, & carmina, quæ sæpissimè, imò verò assiduè decantabat: atque hinc fiebat, vt Nostri ad eum audiendum potiùs quàm ad tradenda monita conuenirent. Noxarum supplex à Deo O. M. veniam implorabat, & à Socijs si quid illos offendisset, quin etiam flagellum summis precibus exposcebat, vt vel tunc fractum iam corpus acri diuerberatione puniret: tantum denique breui eo tempore, quo in nostra Societate vixerat, Deo bene iuuante, in omni virtutum genere profeciſſe visus est, vt non modò mirum sui desiderium Socijs reliquerit: verùm etiam simile mortis genus inflammatis votis sibi omnes exoptarint.

COLLEGIVM CATANENSE, ET Montis-Regalis.

HABET Catanense Collegium Socios vnum, & viginti, Sacerdotes nouem, Professores tres, Humanitatis vnum, duos Grammaticæ, reliquos adiutores. Beatissimę Dei Parentis Sodalitia

Digitized by Google

litia crescunt in dies magis, fructu scilicet, & existimatione; è quibus, quod discipulos complectitur, trium exemplo, qui in Societate Deo se dedicarunt, ad pietatem inflammatum est maximè. Aliud etiam Sodalitium, in quod plebeij adscribuntur, nouo ad Romanum aggregationis priuilegio mirum in modum ad pietatem excitatum est. Montis-Regalis Collegium continet socios viginti; Sacerdotes octo, quorum vnus sex è nostris scholasticis quæstiones de moribus ad Christianam vitam moderandam exponit, Professores insuper duos, humanitatis alterum, alterum Grammaticę; reliquos coadiutores. Sacramentorum vsus fuit in nostro templo frequentissimus. Archiepiscopi rogatu Sacerdos è Nostris in æde maxima concionatus est, qui nomen Societatis concionibus auxit. Nostris complures canonici, vinculis detenti, sacræ virgines, alijque cuiuscumque ordinis totius anteactæ vitæ noxas aperuerunt; nec sine maximo animorum fructu, vt ipsimet pleno ore fatentur. Domi data est opera, vt accuratè Societatis leges, canonesque seruarentur. Collegij necessitatibus Archiepiscopus occurrit, vt assolet, non exiguam frumenti partem eleemosynæ nomine Nostris attribuens.

COLLEGIVM BIVONENSE, ET Rheginum.

BIVONENSIVM in nos amor, & beneuolentia illustris est, atque hinc magni fiunt ad nostrum templum concursus hominum, qui diebus festis cœlestibus assistunt epulis: tres è libidinis cœno emersêre, ac cœlesti nunc pane

Digitized by Google

vescuntur, quæ cibus olim dæmonis erant: æs alienum restitutũ. Obijt hoc anno Iosephus Imperuccia Iblæus sexagenarius, qui multos annos in agris, & vinetis Sociorum excolendis summa cum virtutum laude se exercuit.

HABITANT in Collegio Rhegino, propter innumera propemodum incommoda, quæ hoc anno acciderunt, nouem; Sacerdotes quatuor, doctores duo, adiutores tres. Variè à Domino hæc sedes, vt & ciuitas vniuersa probata est: à VI. enim Idus Iunij per tres ipsos menses tam magnis terræ motibus concussa est ciuitas, vt plurimę domus exciderint: at in nostro templo, tres è quinque concameratis fastigijs corruerunt; reliquum verò Collegium conquassatum est maximè; cuius pars etiam ruit in præceps; igitur imminente periculo, ne reliquum Collegij decidens Nostros opprimeret, Patres, fratresque sub aperto cęlo constructis quibusdam tugurijs (vt reliqui ciues fecerant) dormire sunt coacti. Neque verò spiritualis fructus interim à Nostris est desideratus: permulti enim tot, tantisque commoti terroribus, ad Confessionis Sacramentum gemebundi confluxerunt: publicæ etiam supplicationes indictæ, in quibus non pauci se voluntario cruciatu conciderunt flagris. Pax Archiepiscopi, Nostrorumque opera inter primarios constituta est, quorum inimicitijs nisi peropportunè à nobis esset occursum, maxima proculdubio indè pernicies emanasset.

TVRCICAE classis infestationes Nostrorum laboribus, labores adiunxit: Non enim mediocriter Patres, quà in instruendis ad pietatem militibus, quà in domesticis rebus Turcarum metu celandis elaborarunt; in quibus corporis afflictationibus vis diuinæ prouidentiæ perspecta est: Cùm enim domus omni ferè destitura videretur, propterea quia nec satis esset Nostris ad restituẽdum id quod exciderat; nec à ciuibus auxilium aliquod expectaretur, qui omnes tot infortunijs oppressi quodammodo vi

Digitized by Google

do videbantur: Regis tamen Philippi liberalitas præsto fuit, qui mille aureis eleemosynę nomine erogatis, Collegij miseriam subleuauit; idemque Archiepiscopus, ac nonnulli ciues subinde præstiterunt: Dux verò Seminarę ligna non parca concessit. Ex Beatæ Virginis Sodalitio omnes cęlesti cibo sæpius sunt depasti: stipem precario coëgerunt ad mendiculos vinculisque detentos aliqua ex parte subleuandos: in solemni verò Natalitio quadraginta horarum supplicationem instituerunt, quibus Archiepiscopus maxima animi voluptate interfuit. Duo tandem cum in maximum essent vitæ periculum adducti, Nostrorum opera sunt liberati.

COLLEGIVM CALACTENSE.

CONSTAT Calactense Collegium Socijs duobus supra viginti, è quibus Sacerdotes sunt nouem, humanarum litterarum Præceptor vnus, duo Grammaticæ, reliqui rei domesticæ administri. Sacramentorum vsus nihilo inferior hoc anno, quàm superioribus fuit. Sodalitia quædam instructa, aliaque quæ superioribus annis initum habuerunt Nostrorum conatu confirmata, numerusque Sodalium auctus. AEgrotus quidam cùm vnum è Nostris asciuisset, concubinam, qua cum viginti annos vixerat, admonente Patre deseruit, veramque accepit vxorem, quam antè viginti annos duxerat. Herbitæ Sacerdos vnus maximi ieiunij tempore ad populum de rebus diuinis dixit, plurimaque effecit, è re Christiana: in primis verò, cum inter Vrbis Primarios (ij octoginta circiter erant) maxima contentio fuisset exorta, omnesque de extruendo quodam

quodam sacello inter se grauissimè dimicarent, Patris prudentia maximum illud incendium extinctum est, atque ad sacellum erigendum mille aurei nummi sunt coacti, è quibus quingentos ciuitas, totidemque ciues attribuerunt. Sodalitas etiam est instructa, in qua quadringenti numerantur, crescitque in dies propemodum singulos.

COLLEGIVM DREPANITANVM.

DREPANI versantur Socij vnde-viginti, Sacerdotes nouem, doctores duo, reliqui adiutores; Societati nomina dedêre quatuor. Quadragesimæ tempore, ac diebus festis licet pluribus in templis concionatores ad populum verba fecerint; maxima tamen hominum frequentia ad nostrum concionatorem audiendum defuit nunquam. Multorum sunt confessiones auditæ, ac plurimi à peccatorum cœno ad piam, sanctamque vitam deducti. Nonnullis, qui seruitutem apud Turcas per annos multos seruiebant, auxilia sunt præstita, eorumque confessiones per interpretes acceptæ. Nosocomia nostri frequentarunt, qui ægros adhortationibus magna ex parte leuarunt. Cum aliqui ad ęgrotorum confessiones excipiendas, & ad ipsos in extremo vitæ tempore confirmandos nocturnis temporibus adscirentur, ijs sedulò est satisfactum. Meretriculæ nonnullæ Nostrorum suasu intra pudicitiæ septa recepêre sese, quibus honestę vitæ alimenta sunt procurata; alijs etiam Nostri subuenêre, quæ in maximo vitæ periculo versabantur; & vt eæ tum in tuto loco constituerentur, tùm etiam intra monasterij claustra reciperentur elaboratum est, atque his dotes ad id commodè faciendum sunt procuratæ. Vir quidam huiuscemodi meretri

retriculam ad Nostros adduxit, quam perdiè adamauerat, ea Confessario anteactæ vitæ noxas aperuit, ac viro illo monente religiosum induta habitum, in matronæ cuiusdam honestæ in primis, ac nobilis domum se recepit, quæ omnia cùm perfecisset, ecce tibi homo ille subitò mutato consilio mulierem aggreditur, precibus, & blandicijs ad lutulenta illa scelera, è quibus dudum emerserat allicere tentat: his rebus vbi nihil proficere comperit, præcipiti furore inflammatus districto adoritur gladio, religiosum habitum vi eiusdem effringit, mortis metu, si effrenatæ ipsius libidini non assentiatur fremebundus deterret: restitit mulier probè à confessario instructa; nec tam variè à nefario viro oppugnata ab inceptæ vitæ proposito potuit dimoueri; ac ne in posterum aliqua tali tempestate frangeretur, nauicula conscensa in longinqua loca, ad conceptam animo sanctimoniam colendam adnauigauit.

TEMPLVM populi liberalitate concinnatum est adeò, vt & capax, & ad nostros vsus commodum videatur. Dominicis diebus pueris, alijsque Christianæ fidei rudimenta à præceptoribus explicantur. Obijt Demetrius Lopez Conteſſanus coadiutor, qui multos annos in Societate expleuerat; vir ætate quidem maturus, annorum ferè sex supra quinquaginta; sed egregijs virtutibus insignior. In quibus quantum profecisset in grauissima, molestissimaque infirmitate satis ostendit, vt totum vitæ cursum omittam. In patientia verò, sui ipsius contemptu, mutuaque cum fratribus charitate maximè eminebat: otiosus visus est nunquam, quod maximum est veræ charitatis indicium; aut igitur orationi incumbebat, aut defessos Coadiutores subleuabat, tamque hilari tutoque animo mortem obijt, vt vel ex ipsa oris hilaritate ad Deum migrasse videretur. Mulier primaria bona sua, quæ triginta millium aureorum summam conficiebant, nobis,

viuens,

Digitized by Google

viuens, sponte donauit, quod ciues in maximam admirationem induxit, propterea quia neque Nostros à confessionibus haberet, neque nostrum templum frequentaret. Hoc tandem anno excessit è vita, haud leuia suæ salutis argumenta relinquens: cum enim natura duce, mortem mirum in modum formidaret, ipsis ante obitum diebus euasit impauida; ita vt & astantes, vt abstinerent à luctu commoneret, & eis ne extremum diem timerent vires, animumque faceret, vtpote qui esset vitæ melioris initium. Nobilis item vir excessit è vita, qui ab vltima adolescentia nostras scholas, & grandior nobilium Sodalitatem frequentauerat, in qua octauo quoque die elutis animi sordibus diuinum conuiuium celebrare consueuerat: postremò in grauissimum morbum incidit, eius vi intra tres dies ab vsu mentis deturbatus, etsi delirabat assiduè, nihil tamen non modestum, nihil impium, nihil non sanctum aliquando effatus est; ita vt astantes maximam in admirationem adduceret. Sanæ verò menti quartum post diem restitutus, confessarium ad se statim adsciri iussit, cui vt cunctas vitæ noxas aperuit, quæ tunc temporis in mentem venerant, confessarium rogauit, ipsi vt culpas aliquas in mentem reduceret, quæ fortè temporis longinquitate excidissent: perfecit pater incredibili cum ægroti voluntate: nec multum interfuit, cùm sublatis ad cœlum oculis in hæc verba prorupit: Nosti, Deus optime, annum me trigesimum attigisse, quo tempore te benè iuuante, in nullis me libidinis maculis volutatum cognoscis; attamen ab occultis meis munda me, Domine. Reliquo autem eo, quo vixit, tempore, ne verbum quidem vltra protulit, licet Christi è cruce pendentis imaginem lachrymabundus aspiceret. Tandem cùm Pater Apostolicum symbolum recitaret quieuit in Domino. Quadraginta horarum supplicatio extremis bacchanalibus, maxima hominum frequentia est indicta, effectumque

Digitized by Google

que vt ludi quidam, è quibus odia, inimicitiæ, cædes denique non paucæ promanabant, obliuioni perpetuæ traderentur.

COLLEGIVM MENENINVM.

VI Menis è Societate exercentur septemdecim numerantur, Sacerdotes septem, Doctores duo Humanitatis, & Grammaticæ, reliqui Adiutores. Frequens fuit hoc anno, vt superioribus ad nostrum templum numerus, sacramentorumque vsus. Conciones habitæ, initiaque Christianæ legis expositæ populum ad pietatem excitarunt. Nonnulli in vicina oppida dimissi vberrimos laborum suorum fructus multis præclarè constitutis reportarunt, sedata odia, execrandi ritus radicitùs euulsi, multiplex scelus, & immane deletum. Sodalitates eorum opera restituta, aliaque complura perfecta. Quadraginta horarum supplicatio extremis Dionysijs hoc anno primùm Menis instituta est. Collegium ædificatur strenuè, ita, vt breui, Nostris percommodum fore credatur. Discordia sæpius à nostris sedata est, quæ nunc iterum familijs quæ reliquæ esse videbantur exitium portendebat: siquidem Menis de trium sacrarum ædium principatu est vetusta contentio, ex qua olim cædes, incendia, familiarum destructiones dimanarunt: nunc denuò tandem sensim exorta ad vrbis interitum grassabatur, cum Nostrorum industria, obliuione perpetua obruta est: colossi præterea erecti, in quibus hęc concordia publicis tabulis describeretur.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM MELITENSE.

CENSETVR Melitense Collegium Socijs quatuordecim, Sacerdotibus quinque, binis Præceptoribus, Humanitatis altero, altero verò Grammaticæ, septem rei domesticæ administris. Crescit verò Episcopi, & equitum erga nos amor, & studium adeò, vt nulla dimittatur occasio quin ad Nostros recurratur. Nonnullæ è meretricio sunt abductæ, quæ partim intra cœnobia se Deo O. M. dicarunt, partim in matrimonium certis viris sunt datæ, eæ vt aperta suæ conuersionis præberent argumenta; generali confessione totius vitæ maculas eluerunt. Restitutiones aliquot factæ. Candidati nostræ fidei Christianis præceptionibus imbuti. In triremibus confessiones auditæ. Capitis denique damnatis præstò fuimus.

COLLEGIVM MARSALENSE.

DEGVNT in Marsalensi Collegio quindecim è Societate, Sacerdotes septem; Humanitatis, & Grammaticæ Præceptores duo; reliqui Adiutores. Hæc planta nouella quidem est; at pulcherrimos suauissimosque fructus pollicetur. Sit argumento mira erga nos beneuolentia, & charitas, maximaque opinio, quam de Societate concepêre: ita vt non doctos tantum, & omnibus doctrinis excultos suspiciant: sed

Digitized by Google

sed pios, sanctosque venerentur: à nobis verò ea præstantur omnia, quæ ad eorum excolendos animos apta esse videntur: concionibus ad rectum salutis iter impellimus: rudes Christianæ disciplinæ rudimentis expolimus: Sodalitijs B. Virginis benè instructis ad pietatis munia excitamus: publicis denique custodijs detentos inuisimus. Collegij autem ædificatio crescit in dies.

DOMVS PROBATIONIS MESSANENSIS.

CONTINETVR Messanense tyrocinium Socijs viginti sex: Sacerdotibus tribus veteranis, qui verò sunt reliqui, nouitij. Porrò omnes, qui in hac domo versantur, mortificationis, & fraternæ charitatis studio, toto pectore incumbunt. Plurimi inflammato desiderio in Societatẽ admitti requirunt. Pater vnus Quadragesimali tempore ad oppidum Calabriæ, cui Sanctæ Agathæ nomen est, concionandi causa se contulit: is singulis diebus manè ad populum verba faciebat, à prandio festis diebus Christianæ doctrinæ capita exponebat, ter in hebdomada cum clericis de rebus ad eorum munus pertinentibus agebat: eo verò tempore quod illi supererat, antemeridianis mulierum, pomeridianis horis virorum confessiones excipiebat. At verò tam variè excultus ager fructus lętos, & vberes attulit. Ipso enim magni ieiunij exordio, tota ferè gens criminibus expiata, Eucharistiæ conuiuium inijt, quod mirum in illo oppido videbatur, cum vix semel singulis annis oppidani id facere consueuissent. Pueri præterea, ac mulieres Christianæ doctrinæ rudimentis im-

Digitized by Google

butæ, certatim ea proferebant. Quinquaginta aurei sunt ad templum construendum emendicati; Pixis item argentea sacræ Euchariſtiæ asseruandæ procurata, cum oppidanorum inopia lignea tum temporis vterentur. Duo Sodalitia priſtinum vidêre feruorem. Quadraginta horarum indicta ſupplicatio, quæ tanto ſtudio ab omnibus eſt accepta, vt nemo ſtatuto ſibi tempore abfuerit, & ſi atrox per id tempus exorta tempeſtas viros, animalia, ædificia denique abſumpſit plurima; tandem adeò erat maximus populi concurſus ad Patrem audiendum, vt is in Campi æquore verba facere ſit coactus.

DOMVS PROBATIONIS PANORMITANA.

HABVIT Panormitanum Tyrocinium Socios triginta quatuor, Sacerdotes quinque, totidem veteranos, reliquos tyrones. Vincentius Riuera Boccherenſis, ex hac domo ad immortalitatis præmia, vt ſperamus, auolauit: Is annos natus circiter viginti quinque, annum, menſeſque nouem in Societate exegit: imprimis verò charitatem, cæteraſque officij religioſi partes mirum in modum coluit: in ſui verò contemptu fuit eximius: maxima verò admiratione dignum erat, quod cùm tenuis eſſet ingenio, nec diſciplinis ſatis eſſet excultus, de diuinis rebus, atque adeò de ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio tam ſcitè agebat, vt omnes hæc illi diuinitùs patefacta iudicarent: maxima enim de eo apud omnes erat opinio ſanctitatis. Porrò in grauiſſima phthiſi, qua ſeptem circiter menſibus laborauit, nunquam de aliqua re, atque adeo de ipſo valetudinis dolore con

Digitized by Google

conqueri est auditus, quin etiam cùm sanguinem vomeret ab initio, lætitiam & risum minimè poterat continere, cum iam opere sua vota compleri cerneret. Intimo enim cordis affectu efflagitauerat aliquando, vt aliqua sibi pro Deo patiendi daretur occasio: sensit tum auditas preces, fore vt vehementer in biennij fine laboraret: quin & diuinam opem, qua omnia superauerat, præstò sibi fore cognouit. Gaudebat igitur in periculis adeò, vt & Nostros in maximam admirationem induceret, & medicum, qui se ei toto pectore commendabat, eiusque eximias virtutes, vel nunc apud externos non vulgaribus verbis attollit, & prædicat: tandem cùm extremum sibi adesse diem sensit, cælestes dapes sibi porrigi & sacro inungi oleo postulauit, quibus munitus ille optimus adolescens excessit è vita, tertio Id. Septembris. Duo item nobili loco nati nomina Societati dedere. Hi cùm natu essent maiores, suaque ipsi bona administrarent, se suaque omnia Deo obtulerunt: horum alter ad mille aureos nummos in annos singulos Societati donauit.

HVIVS Tyrocinij fundator Octauius Lombardus excessit è vita, nosque ex asse instituit hæredes, quæ hæreditas post annos aliquot summam excedet, quam ad domus fundationem olim attribuit: post mortem verò in nostra æde sepultus est.

Digitized by Google

RESIDENTIA CALATANESCETTENsis,& Agrigentina.

CALATANESCETTAE Collegiũ ædificatur ſtrenuè, ita vt breui viginti è Noſtris commoda futura ſit habitatio: oppidani verò vt Collegium quàm citiſſimè conſtituatur, ſummis precibus expoſcunt: ſeptem verò è Noſtris qui illic interim commorantur eos, quibus valent auxilijs, ad pietatem inflammant. Agrigentum verò Epiſcopi, ciuiumque rogatu ſex ex Noſtris ſe contulerunt, qui mira ſunt omnium excepti lætitia; fructus hic ager dedit vberes, deinceps etiam vberrimos ſe daturum pollicetur.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA VENETA.

HABVIT hæc Prouincia anno Domini 1599. Socios 357. si 4. discipuli qui Romæ student annumerentur; id est, 133. Sacerdotes,& Fratres 214. Ex his Præceptores 38.discipuli 83.cum ijs qui docent:adiutores 112. qui omnes ita sunt in omnia Prouinciæ loca distributi.In domo Professa Veneta 37. Sacerdotes 21.discipuli 2.adiutores 15.In Patauino Collegio 59.id est,13.Sacerdotes,quorum tres magistri,discipulus vnus, præterea 19. discipuli, Adiutores 17.Brixiæ 38.id est,13.Sacerdotes;quorum 4.Magistri,& è Fratribus 3.magistri, discipuli 13.adiutores 9. Bononiæ 27.id est Sacerdotes 14.è quibus vnus magister, alter discipulus:è fratribus 3.Magistri, discipuli 2. Adiutores 8. Ferrariæ 19.id est,Sacerdotes 8. quorum vnus magister, è Fratrib.3.Magistri,Adiutores 8.Veronæ 19. id est, Sacerdotes nouem, Magistri 3.Adiutores 7.Mantuæ 18. id est, Sacerdotes 10. quorum vnus magister, Fratrum 2. magistri,adiutores 6.Parmæ 29. id est, Sacerdotes 10. è quibus 4. magistri,& è fratribus magistri 2.Adiutores 8.

Digitized by Google

Placentiæ 18. id est, Sacerdotes 8. quorum vnus magister è fratribus 2. Magistri, adiutores 8. Mutinæ 14. Sacerdotes 6. magistri 2. adiutores 6. In Foroliuij 16. Sacerdotes 8. magistri 2. adiutores 6. Nouellariæ 49. Sacerdotes 11. magister 1. discipuli tyrones 19. Adiutores 18. Vicentinæ in missione 4. Sacerdotes 2. adiutores 2. Quatuordecim hoc anno Societati nostræ aggregati sunt, Scholares 9. totidem adiutores.

MORTVI 6. Sacerdos vnus, Fratres 5. quorum vnus adiutor, cæteri Scholares. Sacerdos fuit Io. Maria Ballarinus Ferrariensis, annos 68. natus, trib. vota professus, qui & confessarij, & procuratoris munera exercuit, Collegioque Ferrariensi tum religiosa diligentia, & industria multum profuit, tum etiam de suis bonis magna charitate impertitus est, nec mediocri sumptu ædificationem adiuuit. Paulus Tossinius item Ferrariensis, annum ætatis agens vigesimum nonum, qui recens quæstionum conscientiæ cursum peregerat. Claudius Vernetius Aruernensis annos 30. natus, Theologiæ discipulus. Ioannes Valmarana Vicentinus, annum agens vnum & vigesimum, Philosophiæ studiosus. Bernardinus Munarius è Schio, in agro Vicentino annos 18. natus nouitius humaniorum litterarum studiosus. Franciscus Bonus Mediolanensis annum agens 51. adiutor temporalis formatus, qui socius fuit vnius è nostris patribus in Antiochena missione, vbi magnæ virtutis specimen dedit in grauissimis incommodis, ac manifestis vitæ periculis, quę non tam propter rerum inopiam, quàm propter gentium barbaram vim non semel adierunt.

DOMVS

DOMVS PROFESSA VENETA.

HIC mulier quædam non imi subsellij, quæ nouem annos in pellicatu vixerat, vnius è Nostris opera in matrimonium honestè collocata est: Quidam nostri Sacerdotis impulsu mulierem inopem, quam per triennium habuerat concubinam sine dote duxit vxorem, qui si parem sibi quæsiisset optimam dotem sine dubio nactus esset. Confessiones multorum auditæ, qui multis annis confiteri omiserant. Mulier, quæ viro deserto quinquennium turpem quæstum fecerat, ad sanitatem, & ad virum reducta.

PATAVINVM COLLEGIVM.

PRAETOR, cui nomen Ioannes Cornelius vir in Venetorum Rep. primarius, in B. Virginis Sodalitatem cooptari voluit, quem cùm Præfectus alijque multi conuenissent grates acturi, ac patronum potius adoptaturi. Is apertè denunciauit se tanquam vnum è gregalibus esse velle, quotque mensibus Sancti tutelaris, qui sibi sorte obtigerit, nomen deposuit. Regulas etiam charas habet, iamque ter Sodalitium inuisit. Vnus è Sodalibus S. Benedicti familiam ingressus est. In templo maximo per æstatem, & Aduentum concionatus vnus è Nostris magno cum fructu, & approbatione omnium. Tres viri nobiles è cœno Hæresis, in

Digitized by Google

quo diu volutabantur Nostrorum opera emersêre. Externus quidam iuuenis fortuitò ingressus domum, vbi Sacerdos noster familiariter cum domesticis de Eucharistia loquebatur: tum cœpit quæstiones ponere, responsa oppugnare, tamque acriter instare, vt dubitare potius quàm disputare videretur: veruntamen sic ei Pater respondit, vt mutum, & elinguem reddiderit: Itaque sine mora discessit. Quindecim post dies Pater idem ad confessionem ægri iuuenis audiendam accersitus abit, cùm ille quisnam esset ignoraret, vbi pedem in cubiculum infert, quærit æger num se Pater agnoscat? statimque obortis lachrymis illum se dicit esse, qui superioribus diebus tam pertinaciter de Eucharistia esset altercatus, seque ob eam causam quarto post die diuinitus graui illo morbo, quo tum conflictabatur percussum: denique reconciliatus Ecclesiæ summa cum animi voluptate, & sacramentorum, quæ maxima religione, atque veneratione petierat, effectus particeps, obdormiuit in Domino. Vni ad religionis castra, quæ deseruerat reditum persuasit vnus è Nostris: alter qui deserere statuerat, P. Ignatij commentationibus retentus. Villa suburbana relaxandis Nostrorum animis hoc tandem anno coempta.

BRIXIANVM COLLEGIVM.

INC in aliquot loca magno cum fructu excursum est. In valle Camonica, quæ vna est totius agri Brixiensis latissimè patens, & frequentissima duo de nostris Sacerdotibus, per aliquot menses ita versati sunt, vt multa oppida obierint, in ijsque præter quotidianas penè Doctrinæ Christianæ exer

exercitationes, quibus ad pietatem rudioris illius gentis animos informarunt, non paucos in mutuam concordiam reduxerunt, veteribus odijs prorsus extinctis. Confessiones autem iam inde à prima ætate excepere ducentas.

ALBINI quidam à concubinæ consuetudine distractus, qua multos iam annos pro vxore flagitiosè vtebatur. Clarij confessiones plurimorum auditæ. Nonnullæ restitutiones pecuniæ, & reconciliationes factæ.

COLLEGIVM BONONIENSE.

NOVO hæresi exuta Christum induerunt duo itidem Catholici, qui cum periculo fidei aliquot annos cum hæreticis versati sunt, in tutum reducti vt sacramenta per quindecim annos, & eo diutiùs intermissa resumerent, permulti ad concordiam, plurimi ad sanitatem mentis, ac vitæ probitatem Nostrorum ductu redière. Aucta est etiam sacra supellex duobus argenteis calicibus oblatis, pensilique lycnucho itidem argenteo aureorum 150. summę aræ illuminandę.

COLLEGIVM FERRARIENSE.

MVLIER CVLA per Nostros in conversarum coenobio collocata. Adstructa cubicula sex simul cum pergula. Collegio relictus fundus annuo centenum vicenum aureorum ve-

Digitized by Google

ctigali, cuius initium perfruendi fiet hoc anno insequenti.

VERONENSE COLLEGIVM.

TEMPLI frons ædificatur egregiè. Præsunt multi viri primarij, qui hoc anno aureos circiter bis mille corrogarunt. Nonnullæ meretrices in tutum pœnitentiæ locum inclusæ: multi ab adulterio ad castitatem reuocati: concubinas alij, plerique peccandi occasiones missas fecêre. Erectæ nuper Sodalitates duæ, vna ex officinarum dominis, quorum numerus, & pietas augetur in dies: altera ex hominibus inferioris ordinis, qui & hospitales ædes visitant, & piæ puerorum institutioni operam præstant. Duo fratres cum fratre per quadriennium turpiter dissidentes pacati.

MANTVANVM COLLEGIVM.

ILLVSTRISSIMVS Episcopus, qui Nostrorum opera, & consilio in omnibus rebus quæ nostri sunt instituti, lubentissimè vtitur, Quinquagesimæ Dominico die in æde nostra cùm de more sacrosancta Eucharistia propalam esset collocata, concionari dignatus est, ac populo bene precari. Sereniſſimi Ducis coniux, & soror nobis amicissimæ sunt, resque nostras ad meliora promoueri, & iniqua loquentium apud ipsum Ducem ora pro virili nituntur

Digitized by Google

tur obstruere, quare ab ipso Deo non parua in nos benevolentiæ signa sunt data. Familiæ duplicis graue dissidium sublatum. Multi à cæde vel fui, vel coniugum, vel inimicorum ad peccati cædem auocati. Virgines quædam vel religioni sese addixerunt, vel in S. Vrsulæ Societatem, quam hoc anno Sereniſſima Ferrariæ Princeps instituit, nostris auctoribus ingressæ. Cuidam hæresis labe contaminato scripta quædam de fide, ac pietate ad exscribendum data, religionis candorem reddidêre. Vir quidam religiosus è familia Franciscana diligenter à Patre nostro pijs commentationibus excultus, qui deindè Visitator Apostolicus, & Prouincialis in regiones Septemtrionales profectus, quoscumque potuit è suis ad easdem spirituales exercitationes magno totius familiæ bono compulit, vel potius allexit.

COLLEGIVM PARMENSE.

NOBILIS vir multis à suis colonis affectus vulneribus, tandem recepta valetudine iniurias omnes monitu, ac rogatu Nostrorũ, pœnasq; ab externo foro imminétes remisit. Vxor item à zelotypo viro ad necem vulnerata, vt veniam illi daret à Nostris adducta est, & mox è corporis ergastulo fœliciter educta. Adolescentula tam grauiter ægra vt medici diffiderent, nostri Sacerdotis, & Matris precibus, Patri Ignatio ingenti fiducia commendata conualuit. Scholæ superiores hoc anno Mathematicæ, Philosophiæ, ac Theologiæ Sereniſſimi Ducis liberalitate institutę sunt. Dux ipse nobis hoc nomine mille aureos attribuit: ciuitas autem domicilium ducentis aureis conduxit, quod cùm

cùm media via diſiunctum eſſet, ligneo ponte coniunctum eſt. Vno verbo præclarè poſita initia. Ad hæc Oratorium, vt vocant, in ipſo Collegio conditum eſt, inſigni frequentia, & fructu.

COLLEGIVM PLACENTINVM.

IN hoc anno 40. horarum ſupplicatio in templo noſtro ante Cineralia inſtituta eſt, magno ciuitatis concurſu, ac lætitia. Adfuit ipſo primo die dominico & rem diuinam fecit. Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Epiſcopus: ter item ſingulis hebdomadis Quadrageſimæ per horam Chriſti Domini cruciatus partim ſermunculis expoſiti, partim pia meditatione perpenſi, quod ventitanti præcipuè nobilitati, & voluptatem attulit, & vtilitatem. Illud eſto ſigni, quod familia quædam obtrectatorum maledictis à nobis alienata, templum noſtrum, in quod antea pedem inferre nolebat, frequentare cœpit. Virginum ex vndecim millibus quatuor capita, cum earundem minutioribus reliquijs tum Sereniſſimi Ducis Alexandri Farneſij, cuius fælix recordatio, tùm etiam viri perilluſtris Leolazari Affaller arcis Placentinæ Præfecti liberalitate Collegio noſtro donata ſunt. S. Martini Pontificis feſto die ex æde ſumma, in quam altero ante die veſperi priuatim delata erant, in ædem noſtram ſolemni pompa, ſumma totius Cleri, atque populi celebritate tranſlata ſunt. Cuidam eodem tempore ante ſacras reliquias oranti Deus commouit memoriã illius verſiculi, Fulgebũt iuſti, &c. Is igitur dum æternum iuſtorum in cœlo fulgentium ſplendorem animo ſpectat, ſuperioris vitæ pertæſus, melioris inſtituendæ

Digitized by Google

stituendæ consilium inijt, initium Pœnitentiæ sacramento confirmauit. Mille circiter aurei hoc anno in ædificationem Collegij ferè omnes perinsigni eiusdem, quem suprà dixi Leolazari beneficentia expensi, qui quidem non modò præsenti pecunia: sed prope quotidiana præsentia vrget opus, & illius incrementis mirum in modum lætatur.

COLLEGIVM MVTINENSE.

ALIQVOT familias Nostri non solùm à veteribus odijs, & inimicitijs, multosque à pernicioſissimis cædibus abduxêre, sed etiam ad frequentem sacramentorũ vsum adduxêre. Quædam præterea sacrarum Virginum cœnobia tùm ad obsequendum pastori, tum ad sacra mysteria confessionis, & communionis octauo quoque die obeunda promouerunt. Spiritus sancti Sodalitium, quod per aliquot annos iacuerat, hoc anno rursus magno ardore excitatum est, & plurima, lectissimaque nobilitate adauctum, quod spiritualibus exercitationibus assiduo precandi studio, crebra sacramentorum vsurpatione, perdiligenter excolitur. Argentea pixis Eucharistiæ seruandæ, plus 100. aureorum dicata.

DO

DOMVS PROBATIONIS NOVELLARIENSIS.

NOSTRORVM vnus ad Mirandulæ Principem ipsius rogatu missus, quo ille consiliorum, & rectè factorum duce vtebatur, ea Patris commoratio dierum quinque supra triginta plurimis profuit plurimum, multos pacauit, multorum bonorum causa efficiens, malorum prohibens fuit: exempli gratia quidam exul, quem Pater impendentia mala prospiciens reuocandum curauit, cùm domum nostram adijsset, affirmauit Patrem ipsum extremam à se, alijsque multis perniciem auertisse.

DE Foro Liuij nihil. Cætera communia, & vsitata.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

NVMERAVIT hoc anno Prouincia Mediolanensis nouem distinctos domicilijs socios 12. super 300. in ijs Sacerdotes 120. & Scholasticos 90. Professorum enim domus aluit 40. Collegium Mediolanense 85. Genuense 45. Montis-regalis 21. Taurinense 30. si eos addas qui in valles missi toto anno abfuerunt à Collegio. Vercellense 17. Comense 13. Domus probationis Aronensis 32. & altera Genuensis 24. quinque præterea in ponendis noui Collegij fundamentis Cremonæ versati sunt, ex ijs 17. discesserunt: recentes ad Societatem accesserunt 18.

DOMVS PROFESSA MEDIOLANI.

BIERVNT in hac domo fratres Coadiutores duo, Georgius Mallietus bonæ spei adolescens tabe consumptus, & Io. Baptista Resta, lembi gubernaculo percussus in capite, dum

Digitized by Google

dum secundo flumine vehitur in Vrbem. Hic nobilis genere, sed contemptu sui nobilior, annos viginti & vnum, in Societate laudabiliter exegerat, & moriens sui desiderium omnibus, & sedulitatis exemplum quod imitarentur, socijs reliquit: vir gnauus, & in curanda re familiari apprimè industrius, atque cum ad omnia sui status munia idoneus in primis, tum ad ædificationem domus promouendam maximè vtilis: in qua scilicet cùm totus esset miserabili quo diximus casu oppressus interijt. Ad ipsam porrò domus ædificationem, quæ proximè superioribus annis cœperat, magna facta est accessio. Templo quoque per se ornatissimo additum est ornamentum, platea in quadrum redacta, quæ faciem eius reddit augustiorem. Turribus nostris adiunximus ædes proximas, alteram quòd nostram retardaret ædificationem, duobus *millibus* nummûm, & ducentis, præsenti pecunia: alteram maiori pretio ne alijs venderetur, pecunia partim promissa, partim mutuo accepta. Serenissima Regina Hispaniarum Margarita Austriaca, vnà cum matre ad regem in Hispaniam discedens, optauit sibi à Deo secundam nauigationem, faustasque nuptias Nostrorum precibus impetrari. Ad eam ergo rem, tùm vt à bacchandi consuetudine populus auocaretur, feria tertia, quarta, & quinta, post Dominicam Quinquagesimæ, quo tempore incidit in Mediolanensium bacchanalia Reginæ nauigatio, in templo nostro sacrosancta Eucharistia populo proposita est ad colendum, apparatu quàm magnificentissimo. Templum ipsum ad eam partem in qua est ara maxima speciem referebat amplissimi theatri, cuius in gradibus eleganter dispositæ Sanctorum reliquiæ argenteis candelabris, ac floribus siue à natura factis, siue naturam imitantibus miro ordine distinguebantur: & ne minutiora quæque videar consectari, nox in templo, quæ fenestris obstructis simulata in meridie pio quodam horrore in pectoribus

Digitized by Google

coribus adeuntium religionem excitabat, quingentis prope luminibus quasi stellis vincebatur, horum alia in candelabris candida cera, alia in trullis, & capeduncu-lis argenteis oleo nutriebantur, multiplici ordine distri-buta, supra, infraque: nam in summa coronide totius tem-pli interioris pyramides ligneæ marmoreas imitatæ, qui-nis minores, maiores septenis, lucernis ardentibus collu-cebant, infra coronidem enim tylobatæ columnarum in-gentium, epystilia, loculamenta, & singulæ partes tem-pli, quæ aut sustinere, aut capere poterant aliquod ornā-mentum, non sine lumine, flore, & fronde, auro, argento-ve illusis, quæ inter se miscebantur, mira varietate vise-bantur. Templi limen ingressus, & locum omnem vno aspectu intuitus, cœlum micantibus stellis splendescere in nocte serena dixisses, & ne quid deesset ad exsuscitan-dum pium affectum animorum, lectissimi Symphoniaci quaternos in choros distributi, tubis, fidibus, fistulis, or-ganisque musicis adiunctis, nunc alterna requie per gra-tas vices, nunc in vnum coeuntibus vocibus sacros hym-nos mane, vespertinasque Dei laudes post meridiem ca-nentes, audientium aures, animosque honestissima volup-tate mulcebant. Symphoniam breues conciones excipie-bant de rebus tempori, instituto que accommodatis, con-ciones porrò ipsa precibus, quæ pro Regina ab vniuer-so populo supplicitèr fundebantur, simulque concentu symphoniaco claudebantur. Contraxit iis diebus fama tanti apparatus in templum nostrum ciuitatem vniuer-sam. Confluebant vndique omnes, Senatus, populusque, nobilitas, ac plebs, summi infimique viri, & mulieres, cuncti ordines certatim omnes singula contemplari, ad-mirari, laudare auctores, perstare in gradu genibusve multas horas, benè precari Societati, quæ adeo religio-ratione multos à noxijs, ad salutares delectationes tra-duxisset. Quapropter facilè intelleximus pretium operæ

fuisse in eam rem, & labores suscipere, & sumptus facere, in quibus primariorum è congregatione virorum enituit liberalitas. Ex hac domo comitatus est Sacerdos vnus Philippum Archintum Episcopum Comensem, dum is eam partem suæ diœcesis lustraret, quæ tota est Alpina, & montosa, vbi confessionibus, catechesi, concionibus, agrestes homines excolendo ita fatigatus est noster, vt sibi non secus, atque in remotissima aliqua Indiæ regione versari videretur. Qualis quantusque extiterit ex ea missione fructus, non facilè dixeris, coniectura assequentur, qui experti fuerint Montanorum hominum ignorantiam, mores, & ingenium. Et hæc quidem pauca de multis, nam vsitata prætermittenda potius, quàm molestiùs inculcanda censuimus.

COLLEGIVM MEDIOLANENSE.

DVOS quoque ex hoc agro cælestis Agricola decerpsit, florésne, an fructus? flores si iuuentam, & spei vbertatem consideres, maturos fructus, si morum grauitatem cum suauitate coniunctam. Fuerunt hi Io. Dominicus Vinea, qui certum mortis suæ diem ante vidisse dicitur, & Io. Baptista Archintus, cuius obitus in rem quantum inuitarit superstites ad virtutem. Neque verò vt in Collegio studijs litterarum penitus addicto, proximorum cura neglecta est. Bacchanalibus decem è Nostris in plateis, & compitis de superiori loco verba fecerunt ad populum: totidem Dominicis Quadragesimæ diebus in templis minus celebribus, concursu magno, fructu non exiguo, comprobatione omnium. Itum sæpe ad publicas custodias, vinctorumque

Digitized by Google

rumque confessiones auditæ, eorum inopiæ subuentum, stipe collecta ostiatim, ad triginta, qui in magno frigore prope nudi iacebant in carcere, induti vestibus: duodecim & eo plures exempti vinculis. Sed hæc, & cætera anniuersaria, vt reconciliationes filiorum cum parentibus, vxorum cũ viris, religiosorum cum superioribus, & complurium cum inimicis, ex superioribus annis conijci facilius possunt, non quòd præclara non sint, & in his nón extiterit hoc anno maximus Nostrorum labor, fructusque vberrimus, sed quòd sæpius audita fastidiant aures. Quam ob causam omittimus etiam dicere de scholis, & congregationibus, quæ tantum abest, vt quicquam remiserint de frequentia, nobilitate, pietate, ac diligentia antedictorum annorum, vt ad eos multum etiam addiderint. Bis data est æstiuo tempore Tragicocomœdia, Sapientia victrix, & in ea distributa præmia magno cum applausu, & conuentu totius Ciuitatis. Præbita quoq; est materia Poëtis nostris excolendi, & ostendendi ingenium. Illustrissimus enim Cardinalis Franciscus à Dieciristain, quem de suo latere ad Serenissimos Austriacos Archiduces Albertum & Isabellam Mediolanum legarat summus Pontifex, nos humanissimè adiuit, à quibus multiplici versuum genere, pro tenuitate, si minus pro dignitate, exceptus est, & animum certè nostrum, ac operam qualemcumque sibi gratam accidisse Præsul eximius multis hisque maximis indicijs beneuolentiæ significauit. Versus autem omnes ad se ferri voluit, in ijsque legendis maximam se noctis partem cum voluptate posuisse postridie testatus est.

Digitized by Google

COLLEGIVM GENVENSE.

MT vniuersè suus cuique è Socijs in spiritu profectus in primis cordi fuit, sic quisque impensè pro suo munere ad proximorum salutem promouendam incubuit. Itaque omnia graviter Societatis nostræ ministeria obita sunt, cùm præsertim in ea ciuitate versemur, quæ minimè nos patiatur otiosos. Virorumque, ac fœminarum nobilium ad nostrum templum ventitantium auctior hoc anno factus est numerus, quorum eluxit pietas non modò in audiendis concionibus, & eleemosynis in pauperes erogandis, verùm etiam in diuinorum mysteriorum frequentatione, præsertim sacro Aduentus tempore. Illo triduo quo Bacchanalia vbique feruent splendido apparatu, solemnique pompa sacra hostia ad adorandum est proposita, & quo celebrior esset comprecatio, ac fructuosior, habiti sunt sermones singulis ferè horis de rebus tempori, ac præsenti hominum necessitati accómodatis, musicorum quoque instrumentorum & vocum varię symphonię, & concentus additi: vt non immeritò dixeris templum nostrum paradisum fuisse vocatum à ciuibus sese ad illud mutuò inuitãtibus: ea verò frequentia omnium æratum, & ordinum, præcipuè autem nobilium tùm virorum, tùm fœminarum toto illo triduo celebratum est, vt intuentibus potuerit afferre admirationem, mirantibus parere incredibilitatem, neminem abfuisse diceres, omnes adfuisse, ita perpetuo templum à summo manè, ad seram vsque vesperam terebatur concursu hominum, ita plenum, semper Oratore, & Auditore. Aderat singulis diebus Archiepisco

chiepiscopus, nec nisi in plures horas protracta oratione discedebat: nec viros modò maturos, & graues, sed adolescentes etiam ac iuuenes primarios vidisse de genibus orantes. Fixos, intentosque vultus, & oculos à sacra hostia nunquam per integrarum horarum spatia declinare. Nec minor in fœminis laus, quarum aliquæ nobilissimæ nunquam pedem efferendo diurnam stationem in Ecclesia exsoluerunt. Vt ergo ciuitati gratum ita Deo in primis acceptum, in cuius honorem, & gloriam factum redundauit, accidisse putamus. Ex ea functione, quam assiduè Nostri in tradenda doctrina Christiana per diuersa vrbis templa magna cum laude & Christianæ rei incremento exercent soliti prodiere fructus, ad vicum sancti Petri de Arena æstate proxima ab vno è nostris Patribus egregiè est collocata opera, in pueris, puellisque loci illius, & adiacentium eadem doctrina imbuendis. Et quamuis id singulis annis eo tempore fiat: illud tamen sæpius repetendum, quod forte incredibile alicui videatur, sola Patris voce præeunte, & explicante, nullo præterea adiutore vsæ, ita omnia, quæ ad Doctrinam Christianam, eiusque explicationem pertinent omnis litteraturæ penitus expertes puellæ discunt, vt ea fidelissimè reddant interrogatæ, & vicissim alias interrogent; nullo etiam seruato rerum ordine, quo eodem modo magnum etiam piarum cantionum numerum, & tenent & occinunt suauissimè. Damnati etiam ad triremes Nostrorum opera in doctrina Christiana instituuntur, vnde fructus extitit non mediocris.

ITVM præterea ad ægrotos in Nosocomijs decumbentes, & animorum languoribus adhibita medicina. Nec capitali sententia puniendis Nostrorum defuit studium: Eorum non modò exceptæ confessiones: sed in carcere, in via dum ducuntur, & ad patibulum vsq; confirmati, animati, & ijs omnibus officijs adiuti, quibus ad

Digitized by Google

mortem breuem libenter, fortiterque perferendam iurari, excitarique possint: nec frustra insumptus labor, vt euētus docuit. Inter primarios aliquot ciues obortа dissidia, quæ in dies non sine magno multarum familiarum periculo gliscere videbantur, vnius è Nostris cura, & diligentia ita sunt repressa, vt reconciliatis animis pax etiam inter eos sit omnino firmata. AEris alieni non pauca summa restituta est, quæ in annos plurimos propagata fuerat.

CVM Serenissima Margareta Hispaniarum Regina dies aliquot Genuæ subsisteret, dum classis ad traijciendum in Hispaniam pararetur, inter alia nostrum quoque templum licet adhuc imperfectum, & impolitum inuisit, nec vnquam illis diebus Proceres defuerunt, qui in eo vel sacra facerent, vel audirent.

ILLVSTRISSIMVS ac Reuerendissimus Cardinalis à Dicctristain Mediolanum missus à summo Pontifice, cùm Genuam appulisset magno omnium ordinum concursu, rem sacram fecit in nostro templo, diuinamque Eucharistiam suis ipse manibus distribuit quamplurimis, moxque ad Collegij atrium aulæis, ac peristromatis ornatum se contulit: hic ab vno è Nostris perbreui oratione exceptus, carminum quoque diuersi generis copia, & emblematis in eius laudem affixis est delectatus, omniaque secum quæ in sui, suæque familiæ laudem erant conscripta afferre voluit. Anniuersario recurrente die, quo inter huius Reipublicæ ciues pax fuit cōposita Serenissimo Duce ac Senatu flagitante ab vno Sacerdote nostro, oratio in summo templo habita fuit de pace, & concordia retinenda, omnium applausu, & gratulatione.

QVOD ad rem familiarem spectat. Fœmina quædam nobilis iampridem Collegio testamento legauerat hæreditatem quandam, quam tamen ob ortas, & intentatas lites, nunquam Nostri adire potuerant: sed tandem ab

Digitized by Google

ab hærede ex asse relicto bis mille aureis nummis persolutis prædium est coëmptum, quod vini, & olei partem Collegio necessariam suppeditabit, vberioresq; fructus sperantur, si illius pars hactenus inculta excolatur in posterum. Ad extremum 30. ex Collegio in nouas ædes demigrarunt, in quibus apud ianuam atrium est, vt in angusta vrbe peramplum, ad externos recipiendos. Triclinium ad tempus non incommodum: cubicula satis spatiosa, reliqua post absolutum templum exædificanda speramus.

SED vt abeamus ex vrbe. Octo è Socijs bini in varias diœceses ad fructificandum in vinea Domini missi, ab eorum Episcopis obnixè rogati, facultate perampla concessa ad salutem animorum ijs modis, & officijs omnibus promouendam, quibus Societas ad proximos iuuandos vti solet: nam præter sermones frequenter habitos, confessiones exceptas, & Catecheseos præcepta tradita, parœciarum Curati ter in hebdomada coacti, ijs de rebus omnibus instruebantur, quæ propriè sunt parochi. Aliquot etiam conscientiæ casus proponebantur in prima futura congregatione discutiendi, ex quo vix dici potest quantam perceperint vtilitatem, cùm inter aliquot eorum tanta esset Christiani officij ignoratio, vt ad hominis vitam seruandam, peierare quemlibet posse docerent, & assererent. Annuæ confessiones exceptæ ad quatuor millia, quibus non solum dies integri, sed plerumque maxima noctis pars etiam fuit impendenda. Multi præterea sublati abusus, superstitiones, & periuria: Fœneratitij contractus rescissi, multis ratio data ijs quibus debebant, quamprimùm satisfaciendi.

IN quibusdam pagis ob factiones, & odia intestina homines plus 130. perempti fuerant, iamque res eò processerat, vt instructa acie desertis pagis, sumptisque armis in campum progressi mutuis se gladijs confoderent: sed Dei benignitate, & Nostrorum conatu tanto malo occur-

Digitized by Google

sum est. Itaque positis armis, condonatis iniurijs, arbitris causa commissa, iunctisque dextris, & alijs cœremonijs adhibitis in mutuam gratiam simul, & in pagos redière, & exomologesi ritè peracta templa frequentari sunt cœpta, in quibus iam virgulta creuerát. In his locis qui rectè confitendi, & orandi modum ac rationem tenerent, reperti pauci, quamobrem in id potissimum incumbebant Nostri, vt eis priuatim, & publicè ea traderent, quæ ante confessionem, & cõmunionem essent præstanda: quóve modo, & orta luce, & pomeridianis, & vespertinis horis esset orandum. Instituta etiam Sodalitas doctrinæ Christianæ, vbi id commodè fieri potuit, in quam adscripti homines ad tria millia, legesque propositæ ad eam promouendam accomodatæ. In his omnibus Missionibus, quod magnam excitauit admirationem, eximiamque erga Societatem conciliauit beneuolentiam illud fuit: quòd cùm nostri per abrupta montium iuga, per imbres, & æstus pedites semper iter facerent, ne obolum quidem, non panem, non vinum, nihil denique à quopiam vnquam acceperunt, nisi soluta pecunia, quam secum afferebant. Illustrissimus ac Reuerendissimus Archiepiscopus cùm suam diœcesim visitaret, & multos vbique reperiret sacro Chrismate inungendos, binos è nostris Sacerdotibus petijt, qui eum anteuerterent, & hominum animos ad illud Sacramentum dignè suscipiendum disponerent: nec irritus fuit labor. Reuerendissimus item Episcopus Saonensis subinde solet è socijs Sacerdotem aliquem expetere, tùm vt extraordinarias Monialium confessiones excipiat, easque suis cohortationibus ad explenda religiosæ vitæ officia prouocet, & accendat, tùm vt conscientię casus aliquos, qui nonnunquam solent accidere, explicet.

DO

DOMVS PROBATIONIS GENVENSIS.

VAE à Nostris hîc geruntur, omnia domesticis ferè parietibus continentur, cùm externorum ad hanc domum nullus propè habeatur accessus: quamquam ad illos, qui in eadem vicinia commorantur, excurrere solent Nouitij, tradendæ doctrinæ Christianæ studio inflammati. Experimenta peracta in Xenodochijs, peregrinationes intermissæ propter valetudinem, atque grassantis pestilentiæ metum. E Nouitiorum numero hoc anno in hanc Probationis domum nouem recepti sunt, sacerdos vnus, duo coadiutores, scholastici sex, quorum vnus nobilis Genuensis, eò ardentius in nostrum ordinem studium ostendit, quò maiora suscepit cum parente certamina, vt suum Societati daret nomen. Etenim eò ventum est, vt pergente patre aditum filio ad nostram Societatem intercludere, is ab illius sese cõspectu proripuerit, atque ad Nostros in Collegium se se receperit. Huc illum Parens persequitur, rogat, obsecrat, obtestatur vt à proposito consilio saltem ad tempus desistat, in omnem partem versat adolescentis animum. Dimittunt Nostri, parentique tradunt filium perlubenter: resistit ille acri, fortique animo, atque à Nostris diuelli se minimè patitur: cum diris quibusdam imprecatorijsque verbis afficeretur, respondit adolescens posse se D. Thomæ Aquinatis exemplo munitum, Christi IESV benedictionem cum parentum maledictione, vt vulgus appellat, commutare: ad extremum vis inijcitur, palliõque comprehenditur; ille verò relicto pallio in interiorem domum profugit, parentisque manus, ac mentem præcla-

Digitized by Google

rè eluſit. Continetur in Collegio adoleſcẽs, dum furor ille paternus, & clamor ingens deferueſcat, conſolaturque Præpoſitus Prouincialis. Interim ad Collegium venit Magiſter Nouitiorum vt animos augeat tyroni Chriſti: ei ſe demiſſe commendat adoleſcens; confirmatur: incenſas fundunt ad Deum preces tyrones alij, pro contyrone in ſummo diſcrimine verſante. Nec fruſtra; poſtridie eius diei ſanioris conſilij compos parens ad Noſtros aduolat, re atque oratione probat ſe repente mutatum: accerſit filium, cumque eadem conſtantia, ac virtute præditum inueniſſet, eundem complectitur, & mira mentis voluptate, ac lachrymarum vi, Chriſto IESV, & Societati dicat volens, lubenſque: domum Probationis adit ipſe cum filio: diem ibi feſtum agit: tandem digrediens in vlnis Magiſtri, tanquam in ara Dei collocat filium, quem vnicè diligebat. Et ſane pergit in dies magis obſequijs, ac muneribus egregiam in hanc domum declarare voluntatem: itaque iam noſtros fouet, complectitur, amat, vt vix vnquá è Collegij tẽplo pedem efferre audeat. Imminutus autem fuiſſet hoc anno numerus Nouitiorum, niſi in hanc ſuam quaſi paleſtram amans noſtrûm, ac prouidus Imperator ex alia prouincia ſtudioſos, ac ſtrenuos adoleſcentes conuocaſſet. Nam cum agro Taurinenſi: qui eiuſmodi adoleſcentum feraciſſimus eſt, in noſtra Prouincia, propter fœdam luis gliſcentis tempeſtatem planè ſit aditus intercluſus, patefactus eſt, cœleſti numine rem moderante, agro Senenſi, qui prouinciæ Romanæ dicitur minimè omnium ſterilis. Tres enim adoleſcentes genere, atque ingenio præſtantes ex vrbe Senarum dederunt hîc nomina Societati, qui ſeruiendi Deo moram ferre minimè valentes data optione maluerunt ad nos hoc tempore hilares, alacreſque diuertere, quàm in prouinciam Romanam paucis poſt menſibus admitti. Quapropter illos aluit hoc anno domus hæc ſupra eos viginti, quos alijs annis alere con

Digitized by Google

consueuit. Aucta domus est opere nouo: instauratus haud mediocri opera, atque impensa aquæductus, quo è proximo monte in annexam domui nostræ villulam vena ducitur aquæ perennis, atque adeò pervtilis. Domestici atrij intercolumnium quod non tam ad aucupandam auram aptum, quàm ad ventorum frigorisque vim ferendam videbatur molestum, muro circumseptum est, certisque distinctum fenestris, atque illustratum. Domus denique fundatoris, quæ propter nostram ad eius vsum pridem exstructa fuerat, hoc anno etiam annexa est domui nostræ, ambulatione vndique tecta, atque eleganti fornice exornata, quo facilior, eique salubrior ad nos aditus interdiu, noctuque in summa hyeme pateret: eadem quoque conuestita est leuibus quibusdam lapidibus, quos in eum vsum fert hæc tellus aptissimos, ex ea tamen parte, qua Boreas flat maxima vi. Insumptum est autem tantum auri ad opus hoc quadripartitum perficiendum poliendumque, quantum soluendo non est tenuitas nostra. Quam ob rem æs alienum cõtrahenduum fuit, certusque census villulæ nostræ imponendus: est autem alienum æs aureorum septingentorum, & quinquaginta, idque totum in eo opere impensum est, & supra id etiam aurei quingenti. Vnius Alexandri Viualdi ex primarijs huius vrbis ciuibus in nos enituit maximè pietas, ac beneficentia, qui cum singulis annis nummos aureos centum huic domui nuper destinasset ad exornandum templum: hoc anno postquam sensit nostram familiam & necessarijs rebus, & æs alieno vehementer premi, spem adeò nostram anteuertit, vt ducentos aureos largiendo huius anni munus cum alterius munere egregia voluntate cumulauerit.

COL.

Digitized by Google

COLLEGIVM MONTIS-REGALIS.

ROST diuturnum morbum ad XVI. Cal. Februarias excessit è vita P. Ioannes Baptista Vaninus: vir multis, & annis, & laboribus perfunctus in Societate, quippe qui Philosophiam, & Mathematicas disciplinas magna cum laude professas, casus conscientiæ multos annos explicauit, in vallibus Pedemontij diù egit contra hæreticos; quorum extitit semper hostis acerrimus, dum eos & voce in publicis disputationibus, & priuatis congressibus, & scriptis argueret, & eorum plures ad sanam mentem ab insano, & phanatico errore conuerteret, & rem Catholicam stabiliret. Perspicax erat in diiudicando interiore homine, & motibus animorum discernendis, demonumque insidijs detegendis, quibus etiam terrori esse videbatur, vt eos sæpenumero expulerit ab arreptis. Subijciam exemplum vnde illius constantia in prauis impiorum moribus infectandis, simulque quanto æstuaret zelo diuini honoris innotescat. Bricherasij (oppidi nomen id est in Pedemontio) die augustissimo Corpori Christi sacro, quo die solemni pompa per vicos, & plateas salutaris hostia circumfertur, quod eo festo ad voluptatem in varijs lusibus, ac iocis abuterentur nonnulli, eâque res hæreticis etiam honesta cauillantibus offensioni esset, & in iniuriam diuini numinis redundaret, cœlesti afflante spiritu acriter in eos inuectus est: & cum non desisterent, ludos execratus diris, ac maledictis nefanda capita cõfixit: mirum dictu, vnus ex offensionis auctoribus biduo post extinctus est: alter haud ità multò post in morbum incidit, iam

Digitized by Google

iam iamque moriturus deprecatorem misit ad Patrem, vt precibus diras auerteret; annuit Pater, si tamen impetrari potuisset, frustra Deo per os Sacerdotis sui iam latam sententiam vindice manu exequente. Hoc exemplo commoti non pauci saniora de sacrosanctæ Eucharistiæ cultu inière consilia. Cum primùm decubuit quartana, eaque tergemina correptus, pertæsus vitæ cœlum suspiciens, & ingemiscens: Nunc demum, inquit, agnosco non irritas meas fuisse preces; siquidem grauis annis, parum idoneus laboribus, Deum supplex de finienda vita rogaui, si tamen ei placitum esset, & en luculentum signum auditarum precum, febrim esse significabat. Manabant interea vbertim lachrymæ indices cœlestium animi voluptatum. Diuinans quoque prædixit se ex eo lectulo non surrecturum incolumen, sed circa brumã migraturum è vita, quod verè dictum fuisse probauit euentus: longo morbo, mensium scilicet quinque conflictatus, multa inuictæ patientiæ, paupertatis, atque obedientiæ homo id ætatis præbuit documenta. Certior de imminente morte factus contenta voce, & cum lachrymis hæc verba ingeminauit, Iustitia Dei, Iustitia Dei, cùm blandè eum consolaretur P. Rector supremo illo tempore ipsi misericordiam potius, quàm iustitiam recolendam, Timeo, inquit, ac tremo iudicem, quidixit, ego iustitias iudicabo: memoria tamen vitæ in Societate exactæ, & mortis in eadem obeundæ post modum alleuauit metum, ac tandem confirmatior abijt ad Superos. Dixit aliquando se magno beneficij loco ponere, quod affecta ætate ad ædem B. Virginis ex obedientia missus esset; quasi à tanta regina dignus habitus qui extremos suos labores in eius præcipuum honorem collocaret. Collegium factum est melius, aucta quippe suppellectili multa, & noua porticu, supra quam etiam cœpta cubicula: ex alia verò Collegij parte ambulatio erat angustior, & obscurior, cubicula verò laxiora,

Digitized by Google

ra, sed pauca: hæc adstricta, & multiplicata, reddita sunt vsibus nostris cómodiora; ambulatio verò laxata, & illuminata: hortus grandi muro circumdatus, & varijs in locis concinnata domus. Ioannes Franciscus Schenardus (è nostris hic erat, & Nouocomi hoc anno diem obijt) ex diuendito oliueto optimo collectam pecuniam nongentorum nummûm argenteorum ex maioribus dono dedit huic collegio; ea lege, vt subitò in amœnam villam vrbi proximam quo diuerterent fatigati nostri laxandi animi gratia conferretur. Coempta villa est, pluris tamen stetit, nimirum 1460. nummis argenteis, eiusdem generis, qui scilicet hic stant, singuli vndecim denarijs Romanis, & duodecimo dimidiato. Pulcherrimo gaudet aspectu; nam immensam planitiem in colle sita despectat, dominatur omnibus; nulli omnino subiecta, nam qua Septentrionem, & vrbem respicit in ipso collis cliuo surgit densum arboribus castaneorum nemus, quo mirè defenditur; reddit quotannis circiter centum argenteos nummos, si pars fructuum, quæ obuenit domino diuendatur. AEdificium quidem magnam partem dirutum est, & cum non suppetat copia restaurandi, ex veteribus parietinis maceriæ factæ, complanati tumuli, circum vndique suppetræ ambulationes factæ, vt interea nostri si non est, vbi commodè habitent, habeant tamen vbi honestè ferientur. Aucti sumus etiam thesauro spiritali ingenti, duobus videlicet Sanctorum capitibus; altero vnius ex vndecim millibus virginum, cum tribus ossibus tibiarum Sancti Ruffini Martyris: altero; quod sublatum ex cœmiterio S. Cyriaci, & illud ex Germania transmissum, cum alijs viginti sacrarum reliquiarum fustis aliunde acceptis, Roma ad nos misit P. Bernardinus Rosignolius, qui vt de ijs certi essemus, addidit scripturas auctenticas. Indicta est publica supplicatio, & à summo templo ad ædem nostram, quo meliore potuit apparatu, sacra pignora succolantibus

Digitized by Google

lantibus noſtris Sacerdotibus veſtitu ſacro, ac ſolemni; tubis præeuntibus, ac per interualla clangentibus fidibus iugi concentu perſonantibus, dein ſequentibus religioſis familijs, clero, & noſtris, totaque vrbe pòſt comitante tranſportata ſunt.

GRASSANTE Taurini, atque alijs in locis peſtilentia, intercluſi, atque obſeſſi quodammodò fuimus. Ad tantum ergo malum auertendum ſingulis diebus ſub veſperam ad diuerſa templa fiebat ſupplicatio in ſeptem partes diſtributa ciuitate vniuerſa. Die Sabbathi Noſtrorum erat ſupplicatio diſcipulorum, virginum, & pauperum. Præibant pauperes, tum puellæ virgines, tertio loco noſtri diſcipuli, multi poſtremò imi, ſummi confertim ponè ſequebantur: terminabatur in templo ſacris precibus, & Sacerdote ſacra pixide, in qua per cryſtallum venerandum Chriſti Corpus tranſlucebat, adſtantibus benedicente: nec fuêre inanes preces. Milites duo cùm huc iter facerent iam propè quingentos paſſus aberant ab vrbe, & produntur peſtifero affecti morbo, extuberat videlicet vtrique anthrax ſub inguine; innoteſcit hoc cuſtodibus, prohibentur ingreſſu, ſeparatim curantur adhibitis cuſtodibus; moritur vnus, alter conualeſcit; ſi introijſſent, conclamatum erat. Deinceps nec periculum propè fuit, quin potius quòd locus tutior videretur huc ſereniſſimi Ducis filij cum tota familia ſe receperunt. In his patris benignitas, & amor in Noſtros eluxit: frequentes eſſe in noſtro Collegio, inire gymnaſia, audire inter ſe de re litteraria acriter concertantes diſcipulos, luſtrare loca omnia; hæc illos iuuabant. Diuertit huc etiam ſereniſſimus Dux, magnificoque, ac ſplendido exceptus eſt verſuum, emblematum, & imaginum quas dictum acutum, ac perbreue quodammodo animabant, apparatu. Nobilis puellus perelegantem habuit orationem ea memoria, pronuntiatione, & gratia, vt meliorem oratorem

Dux

Digitized by Google

Dux ipse affirmarit se vnquam vidisse neminem. Diebus Quadragenarij ieiunij, & in Principum palatio, & in tribus pagis non procul hinc concionati sunt Nostri in summo templo, diebus festis magna cum laude, & doctrinæ, ac pietatis existimatione. Feruet studium catecheseos opera Nostrorum: gymnasia florent nobilitate, numero, studio, & fructu discipulorum: similiter B. Virginis sodalitia, è quibus complures adolescentes nostram Societatem optarunt: sed nullus admissus ob pestilentiam intercluſis viis, nam patri Prouinciali ad nos, tum illis ad domum Probationis. Diligimur, & magni æstimamur, & à prima nobilitate, & à cuibus cuiuscunque ordinis. Illustrissimus Nuntius in ædo nostra quotidie facit: Nostrorum opera pro opportunitate libentissimè vtitur Episcopus. Vrbis Gubernator frequens est in sodalitium nobilium, tres filios Nostris committit in scholis erudiendos. Inuitat de more ad sanctimoniales concionandi gratia, ad Xenodochium, ad carcerem, consilio & re egentes adiuti: fœminæ duæ ereptæ è supremo salutis æternæ periculo, & altera earum dote per eleemosynam conflata nuptui data. Inimicitiæ duæ, quæ ingentem trahebant ruinam, altera in oppido Villa-noua, quod tria millia passuum hinc abest, altera hic pace facta sublatæ.

COLLEGIVM TAVRINENSE.

INNVM hoc sane luctuosum, quo pestifera lues tota vrbe vulgauit morbos, mortesque, vt illustrauit Nostrorum hominum studium in curanda salute proximorum; ita ipsis auxit luctum, eorum inmisto numero. Nam cùm

Supe

Digitized by Google

superiori anno, quo peste comprehensa ciuitas cadaueribus vbique funestari cepit, Sacerdotes duo in Nosocomijs, ac sub pellibus in tugurijs strenuam operam ægrotis confessione, ac solatio iuuandis impendissent, aliorumque charitas euituisset in reliqua ciuitate: hoc posteriori, illo præsertim tempore, quo pestilentia, quæ hyeme remiserat, incanduit, cum feruore anni, populumque mors metebat impia, ita conspecta fuit Nostrorum pietas, vt omnium in se oculos conuerterit, conciliauit animos etiam infensorum. Obuenerat pro nostris quarta ciuitatis pars spiritualibus officijs iuuanda: sed res eò postmodum reciderunt, vt Sacerdotibus omnibus, vel morte sublatis, vel fuga lapsis, Nostris etiam magnam partem ne vitam frustra proijcerent, vrbe exire iussis, tota ciuitas vni Vicario Archiepiscopi, & P. Rectori nostro, & præter eos non facilè alij cuique relicta fuerit. Non solum ergo Nostris vel à contagione arcendis, vel morbo correptis curandis: sed alijs omnibus ægrotis inuisendis, eorumque confessionibus audiendis, eidem Patri laborandum fuit, ac laboratum est, vt non caruerit admiratione versanti inter ægros ac prope inter cadauera nihil mali adhæsisse. Sed hoc Nostrorum studium, & operam non dissimulauêre, quin gratijs publicè actis, remissaque pecunia, quæ Collegio nostro purgando fuerat impendenda, vltrò agnouerunt Gubernator ciuitatis, magistratus, ac ciues omnes, quorum sicut grassante lue, ac identidem remittente præclara in nos beneuolentiæ, gratique animi extiterunt argumenta, ita ea cessante die solemni ijs beatis martyribus Thebæis, quorum cum reliquiæ in ede nostra sint, veneratio Taurini est maxima, vtpote vrbis tutelarium, in eodem templo nostro sacris solemni ritu celebratis sunt ab omnibus gratiæ superis actæ. Dux quoque Serenissimus conatus nostros probasse visus est, cùm multis amoris indicijs, tum præsertim 300. nummis aureis,

Digitized by Google

quos cum in promptu tum haberet, ad P. Rectorem transmittit, quod sciret magna nos premi rei familiaris angustia nō exactis redditibus annuis Collegij. Idem quo tempore inducię fuerunt à contagione, voluit eundem P. Rectorem sibi, suisque ter quot hebdomadis in Quadragesima concionari, & quidem vt id fieret maiori cum Patris commodo tametsi minore cum suo, in templo nostro, quæ res est ante hunc annum in eo Principe inaudita.

IAM verò, vt de luctu nostro dicamus aliqua, qui peste hausta vitam finierunt è Nostris decem omnino fuerunt, Sacerdotes tres, quartus Rhetoricæ professor designatus, reliqui coadiutores, quorum omnium vt rara probitas in vita, ita & in vltimo eius actu eximia patientia. Sed ne longum faciam de Sacerdotibus tantum meminero. P. Iacobus Pauia, vnius, & septuaginta annorum, quorum 40. in Societate vixerat magna opinione sanctitatis, & doctrinæ illius, quæ continet quęstiones de officijs humanæ vitæ, Casus dicunt conscientiæ: vir fuit quidem simplicitatis antiquæ, sed prudentiæ singularis, vtpote qui maximam vitæ partem tribuerat excipiendis confessionibus in domo potissimum Lauretana. De eo multa narrantur à socijs eximiarum virtutum exempla: sed vt è rebus minutis coniecturam facias animi verè religiosi, ac sanctæ paupertatis amantis, eas horas, quas ab oratione, ac studio, vel à confessionibus vacuas habebat, in colligendis frustulis panni duorum, vel trium digitorum, quæ à sartore inter quisquilias, & scruta proijciebantur, ijsque componendis, & consuendis ponebat, quoad formaret, vel cingulum, vel pulvillum, vel tapete, vel tale aliquid, quo Nostri in rebus domesticis vterentur, nec indignum putabat ea ætate, ac grauitate negotio leuissimo ocium fugere, nec frustra operam fallere.

P. Io. Baptista Rainouius alter eorum, quos in Nosocomijs,

Digitized by Google

focomijs, ac tentorijs versatos superiori anno diximus, quam ille sibi prouinciam à Patre Prouinciali vltrò depoposcerat viginti octo annos Deo seruierat seruitutem in Societate quam religiosissimam. Eius mirum obsequendi studium commendatur à Superioribus, quorum nutibus ita præstò esse consueuerat, vt eos etiam anteuerteret, nedum imperium vnquam detrectaret. Charitatem porrò ac zelum salutis animorum experti sunt quicumque ad deponendam peccatorum sarcinam confugiebant in templum nostrum, è quo nunquam ille pedem efferebat, nisi aliò mitteretur, vt nimirum pœnitentes semper haberent paratum confessarium.

TERTIVS Sacerdos cui febris magis, quàm pestis vitam ademit, fuit P. Michael Maria-Dentis, vir non multorum quidem annorum religionis, quam iam grandis est ingressus, sed multorum virtutum, & de Collegio nostro benemeritus, cui magnam suorum bonorum partem viuens fuerat elargitus: ita dum in communi necessitate alijs consulimus, nostros amisimus, aut veriùs in cœlum præmisimus.

MISSIONES.

IN Subalpinis vallibus prædicantium hæreticorum prauitate multum immmutum fuit de Catholica Religione: ad eam ergo, vel restituendam, vel firmandam, ne penitùs amittatur, summi Pontificis iussu, Ducisque serenissimi rogatu sex è Nostris Patribus in earum tribus, bini in singulis commorati sunt.

QVI egerunt in Vallegrana (ab ea desumpsit nomen primum eius oppidum, in quo Nostri sedem fixerunt)

Digitized by Google

frequentè sacrorum mysteriorum vsum, qui iam prorsus aboleuerat, restituerunt: itaque paschalibus ferijs numerus eorum, qui ad sacram mensam accesserunt ducentis maior, quàm anno præterito; & intra annum quod olim videbatur singulare, iam pluribus est factum commune, vt sæpè cœlesti pane reficiantur, qui nunquam antea ritè confessi, totius vitæ maculas accurata confessione abstersérunt. Explicata diebus festis doctrina Christiana, & eius præcipua dogmata contra hæreticos ingenti cum fructu: informati rudes ad sacram Eucharistiam religiosè percipiendam: curatum, vt pueri quotidie deducantur à Magistro ad sacrum audiendum, ab eoque fidei nostræ capita doceantur: vt ter in die pulsus campani æris distinguat horas angelicæ salutationis, vt festo quoque die à Parocho ritu solemniori celebretur. Sodalitium in honorem sanctissimæ Deiparæ denuò erectum, eius Sodales cum ad Deo supplicandum in vias procedunt (procedunt autem solemni pompa primo quoque die dominico mensium singulorum) altera manu faces gestant accensas, altera verò rosaria, quæ modestè ingredientes recitant, eaque re mirum quantum excitentur alij ad pietatē. Huiusmodi charitatis officijs Nostri sibi ita demeruerunt oppidanos omnes, vt ij etiam, qui nostræ Societati pridem erant grauiter infensi: iam omni eos humanitatis genere prosequerentur.

EXCVRSIONES factæ in proximos pagos suo fructu non caruerunt. Quaralia, ac Bernetium frequentia sanè oppida crebris concionibus, confessionibus, pijs sodalitatibus aut institutis, aut restituris; reconciliationibus etiam nobilium virorum exculta: Qui proximè publicato Iobilæo ad pestem auertendam concesso communicarunt ad 300. numerati sunt, quod in his regionibus perquàm rarum est. Hæreticus qui se inter Catholicos miscuerat

cuerat dolo malo, Nostrorum opera detectus, & eiectus ne alios contaminaret.

STVRANA altera vallis est à Stura fluuio sic dicta: In ea plures ab antiquis errorum tenebris ad veram fidei lucem aspiciendam perducti, ita serio Catholicæ Religionis munia obibant omnia, vt cum eorum ardore sæpè vsi fuerimus ad veterum Catholicorum desidiam coarguendam, pudor ex illorum comparatione istis iniectus excitauit in omnibus flagrantius studium pietatis. Omnes vulgò se malle nobis, quàm alij cuiquam conscientiæ latebras aperire profitebantur, quod dicerent se à nemine commodiùs res fidei edoceri: quocirca ne illorum opinionem falleremus, illud in primis præstandum nobis putauimus, vt eorum omnia dubia etiam difficiliora clarè, & distinctè, quoad eius fieri posset, dissolueremus; qua in re labori non exiguo respondit eximius fructus. Hic etiam data opera, vt frequenter adessent concionibus, & Missæ sacrificio audiendo; conuenirent omnes, senes etiam cum pueris ad catechesim pomeridianam: ludimagister instillaret pietatem teneris puerorum mentibus, eorum præsertim quorum parentes hæresim nuper abiurarant: quæ omnia facilè impetrata. De-monti nobili oppido in media valle posito imminet arx munitissima, in ea præsidiarij milites multos annos, nec peccata confessione diluerant, nec communicauerant in Paschate: id cum ad Præfectum arcis, quasi expostulantes detulissemus, continuo is iussit singulorum militum nomina describi, edictoque publicè sanciuit vt ad vnum omnes quamprimùm confiterentur: nec mora: à nobis auditi omnes ad cœleste epulum sunt admissi. Duo præterea è prima nobilitate, qui magna cum populi offensione diu abstinuerant sacris mysterijs, nec potuerant vnquam ad confessionem induci, à nobis primùm deliniti, ac suauiter admoniti eò tandem sunt impulsi, vt con-

Digitized by Google

fessi fuerint omnium cum bonorum gratulatione. Concionabatur vnus nostrûm frequenti populo,& in concione media commodùm in vsuras, ac turpes quęstus inuectus est,eo ardore animi ac orationis energia, vt quamplurimi ex primarijs eius oppidi viris,qui illis vinculis irretiti tenebantur,vsuras detestati, rationem se ijs explicandi à nobis exquisierint. Sodalitium sacræ Eucharistiæ olim frequentissimum(quæ est hominum in rebus maximis incuria)adeò erat destitutum ab omnibus: vt neq; esset qui sacerdotem comitaretur, si quando sacra hostia ad ægrotos foret deferenda. Occursum huic malo adhortatione primùm ad Optimates habita, tùm vbi ij accensi visi sunt,in album relatis nominibus singulorum qui se notari voluerunt, inde creato Præfecto cum reliquis magistratibus,coactaque pecunia ad sacram suppellectilem coemendam. Quibus perfectis indicta supplicatio,& pòst sacrum solemnius celebratum magna pompa, musicis præcinentibus instrumentis ab vniuerso populo perfecta,sodalitati ipsi pristinum splendorem attulit, ac frequentiam. In vicinis oppidis frequentes conciones habitæ: multorum dissidia sublata: pax firmata duo inter oppida,quæ in mutua odia discesserant: sermonibus de præcipuis nostræ religionis capitibus confirmati, qui ad relicta fidei castra redierunt.

VENIO iam ad Salutios,quibus laborauit tertiũ par nostrorum sacerdotum. In extrema Quadragesima summum templum in quo vnus ex ipsis concionatus est, ornatum est quàm magnificentissimè. In ipsum collucens vndequaque accensis facibus,& musico percrepans concentu inuitata ciuitas vniuersa ad cultum exhibendum diuinæ hostiæ in loco sublimi collocatæ: adfuit illa frequens totos illos dies,nam ita erat in partes distributa,vt singulis horis ad preces fundendas, & ad conciunculam audiendam plurimi conuenirent. Die solemni sanctissimo Christi

Digitized by Google

Christi Corpori pia aliquot, ac iucunda spectacula in via populo, ad supplicationes procedenti exhibita, ad fidem, ac pietatem erga hoc sacrosanctum mysterium in omnium animis augendam, & confirmandam. Moniales crebris adhortationibus ad arreptam religionis, ac virtutis semitam tenendam animatæ. Sodalitates item sæpius concitatæ ad pietatem, & per varia vrbis templa eductæ ad preces Deo fundendas, quas brevis concio claudebat. Singulis diebus sub vesperam doctrinæ Christianæ explicatio pueris tradita, auditi, qui plurimorum annorum peccata expiarunt confessione. Mulier quædam semel agnitam fidei veritatem tanto animi ardore complexa est, vt quoscunque nouerat hæresi infectos ad eundem salutis portum reuocandos curarit. In pagis proximis præter alia, sunt explicata parochis officia boni confessarij. Hæc & huius generis alia, ita nobis conciliarunt animos omnium, vt illi ciuitati Societatis Collegium sit in primis votis.

COLLEGIVM VERCELLENSE.

PATER Conradus Cacciaguerra in hoc Collegio reddituum, ac rei familiaris curator immatura morte nobis ereptus est, qui adhuc florenti ætate, cum multa fecisset in Societate plura etiam gesturus videbatur: ea erat prudentia, ac dexteritate in rebus agendis, ea morum suauitate in voluntatibus hominum demerendis. Cætera, vt de aucto numero participantium cœlesti pane, de explicatione catechismi, & id genus alijs quoniam sueta, & communia silemus. Studio quidem breuitatis non permittimur nisi ea

Digitized by Google

recenſere, quæ nouitatis aliquid, aut admirationis habent adiunctum: ſed noſtri in vrbe quamuis non frequentiſſima excolenda non leuem operam poſuerunt.

COLLEGIVM COMENSE.

TRES ſcholas hactenus aperuimus Comenſi iuuentuti bonarum artium ſtudioſæ, ſed quod ea non eſſet adeò frequens vel confluentibus iam grandioribus adoleſcentibus Mediolanum ad vniuerſitatem noſtram, vel plerique litterarum ſtudio mercaturæ ſtudium anteponentibus primam, id eſt, Rhetoricæ, cœpimus hoc anno non aperire, quo reliquæ eſſent celebriores, capaciores que altioris diſciplinæ, quod & conſecuti ſumus. Ineunte anno Ioannes Franciſcus Rhenardus, qui huc ad curandam valetudinem Mediolano miſſus fuerat, diem obijt fallente morte optimam illam, ipſam, quam præclaræ ingenij dotes, bonique mores omnibus præſtabant. Auctum eſt Collegium ſolario ſatis amplo, lætique proſpectus, iuxta quod officina veſtiaria, & infra eam bibliotheca exædificata eſt: addita præterea ſeptem cubicula ad reliquam habitationem: denique porticus inferiores fornicibus, ſuperiores tabulatis adornatæ. Migrauit è vita D. Hyeronimus Fridus vir optimæ nobilitatis, ſed non minoris integritatis, qui munera ſuæ beneficentiæ quam Collegio noſtro, dum viueret maximam præſtiterat, etiam moriens auxit. Nam præter bonam pecuniæ ſummam, quam nobis iam teſtamento legauerat ſignificauit ſe velle condonare Collegio totum id æris alieni, quod ſibi ab eo debebatur. Erat autem aureorum fermè trecentorum. Quam extremam eius voluntatem

Digitized by Google

luntatem licet nullis tabulis, sed verbo tantum expressam, vbi resciuit frater, pari vtique probitate vir, qui tum fortè aberat, sic ratam habuit, vt continuo eam ipsam summam, præter eam, quæ testamento legata erat, nobis adscripserit, & ex debitoribus creditores constituerit. Præter hoc aliud æs alienum dissolutum est hoc anno aureorum fermè centum. Cætera munia Societatis hic etiam obita diligenter. Sed vt communia taceantur: illud fuit insigne Fratres duo iãdiu inter se eas inimicitias gesserant, quæ nunquam vel tertiò cum fratre natu maximo summoperè adnitenti componi potuerãt. At hoc anno tandem opera patris eius qui congregationi nobilium præest ita sunt conciliati, vt etiam Beatæ Virginis simul cum eodem fratre maiori nomen dederint in eius Sodalitium, idque iam summa cum religione frequentent.

DOMVS PROBATIONIS ARONENSIS.

A Patre Francisco Gherardo, magna, & multa expectabantur, vt pote qui ætate iuuenis, firmis viribus, iam Philosophiæ, & Theologiæ spatia cum laude emensus, eximiæ pietatis, ac prudentiæ, Sacerdos ingressus fuerat Societatem, sed vt spes hominũ sunt fallaces, præpropero interitu in secũdo tyrocinij anno omnium elusit expectationem, & ne abiret solus, non ita multo post comitatus est eum è coadiutoribus vnus. Verùm dolorem de eorum discessu consolatus est Thobias Peregrinus Nouocomẽsis canonicus, qui vir 46. annorum, & Abbas opimi beneficij, ex quo mille aureos quotannis bona fide capiebat, consilium de ingredienda Societate, quod Romæ in domo sancti Andreæ ex commentationibus P. Ignatij conceperat, ac do-

Digitized by Google

mestícis tricis impeditus hoc tandem anno exequutus est, non satis mirantibus Comensibus omnibus, quòd homo id ætatis, ac prudentiæ, quique tanta gratia polleret apud Illustrissimum Cardinalem Nouocomensem, & non procul abfuisset ab Episcopatu suæ patriæ, subderet collum iugo religionis in Societate, cuius laboriosum viuendi genus optimè perspectum haberet. Sed nimirum nihil est, quod frangat animum, quem aduersus omnia firmauit Christi amor.

QVAE verò siue à Nouitijs, siue à veteranis, siue domi, siue foris, cum externis, aut in missionibus præclarè gesta sint, ea non habent quicquam inusitati in hac domo, cui præclara omnium virtutum documenta vsitata semper fuerunt. In templo tria sunt sacella: si summum numeres in ijs altaria totidem, omnibus hoc anno additum aliquid ornamenti, & quidem cum duobus iam sua esset tabula iconis elegantis, addita est tertio & sua, & singulis suę margines magno artificio cælatę, sculptęque. Et prima quidem quæ cingit iconem aræ maximæ confecta est opere Ionico, altera Corynthiò, tertia mixto, vnum præterea ex his sacellis recenter pictum ad se conuertit oculos introeuntium.

MISSIO CREMONENSIS.

TANTAM spem iuuentutis tùm Natura sua, & vrbis situ præferocis, tùm consuetudine plus æquo efferuescentis rectè instituendæ ponunt viri graues in futuro Collegio, vt hinc certissimum sperent remedium. Quare ab omnibus adeò votis omnibus expetuntur scholæ, vt vix aliud audias in Nostrorum

Digitized by Google

Nostrorum congressu, quàm moram exproprantium voces; sed nimirum multo celerius ipsa re est desiderium. Faxit Deus, vt expectationi, respondeat euentus. Nostri dum fundamenta iaciunt, domumq; ornant suppellectili, operam quoque animarum saluti procurandæ non inutilem posuerunt. Et quidem cùm in reliqua vrbe, tùm in monialibus excolendis elaborarunt cum fructu. Decerpam capita, quæ videbuntur eminere.

COENOBIVM est in vrbe, & numero, & nobilitate insigne olim magis quàm fama, pleriſque vix persuaderi poterat crimen esse religioso, proprium aliquid possidere. Eò missi è nostris ab Episcopo, qui extra ordinem confessiones excipierent, crebroſq; sermones de religiosa perfectione haberent. Constitit operæ fructus: auditæ confessiones generales permultæ: sublatę simultates propinquorum, qui multos iam annos, nec sine aliorum scandalo, sermonem congressumque sibi inuicem negabant. Nobilis quidam iniuriarum vltionem meditans inimicorum sanguine, iamdiu abstinuerat à sacramentorum participatione. ad eum cum alia de causa è Nostris vnus iuisset, eius verbis commotus iniurias omnes libenti animo Christo Domino condonans generalem instituit confessionem peccatorum. Filius familiàs insigni nobilitate, quod parentis monita nihili faceret, vel etiam contemneret, patrem eò adegerat, vt eum domo exturbare statuisset quod sanè multorum malorum futurum erat seminarium: is demum vni è Nostris confessus, in patris se futurum potestate sanctè pollicitus, parentis etiam supplex grandis licet, veniam præteritorum exorans, in gratiam redijt. Iacuerat multos annos in cœno peccatorum alius non vulgari item nobilitate, is morbo quo & perijt tentatus, vexatusq; aliquot dies, confessionis nunquam sibi mentionem inferri passus est, domesticis miserè casum illius, & penè certum animi exitium deplorantibus fermè sine

ſine ſpe: ſæuiebat enim in dies magis morbus, nec tamen ille de obſtinatione ſua quicquam remittebat. Et en quàm inueſtigabiles ſunt viæ iudiciorum Dei! illo die qui ei ſupremus illuxit, cùm tamen morbi vis non maxima videretur, Sacerdotem è Noſtris vocari iuſſit, cui tanto cum doloris ſenſu, & peccatorum deteſtatione aperuit quicquid dolendum commiſerat, vt confeſſario ipſi lachrymas excuſſerit. Paulò pòſt Euchariſtiæ ſacramento munitus cum morte luctari cœpit, vt ſi vnam, aut alteram horam confeſſionem diſtuliſſet planè amiſſiſſet facultatem confitendi. Mox ſacratiſſimum IESV, & Mariæ nomen inclamans ſanctè abiuit è vita. Porrò ea eſt de Societate opinio, vt plerique eorum qui exactam peccatorum confeſſionem inſtituere cupiunt, ad nos confluant, nec ſibi videantur ſatisfeciſſe ni apud Noſtros peccatorum ſarcinam depoſuerint.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA NEAPOLITANA.

DOMVS PROFESSORVM.

PROSEQVEMVR his litteris & vna, eademque narratio ne, quæ in hac Prouincia gesta fuêre annis tribus, nimirum hoc anno 1599. & duobus præcedentibus 97. & 98. de quibus aliàs nihil perscriptum fuit. Sunt in hoc domo Socij ad sexaginta, quorum Sacerdotes quinque, & triginta, cæteri ex domestico ministerio. Migrarunt è vita nouem, in his quatuor Sacerdotes, & quidem tres potissimum historia digni. Primus Pater Gaspar Aluodus Anglus quartum votum professus, anno 1571. vir insigni probitatis laude conspicuus, qui multis olim in Anglia diuturni carceris ærumnis pro Religionis veritate perfunctus, tandemque afflicta valetudine huc appulsus, mortis potius dolores, quàm vitæ spatium producebat. Alter P. Ioannes Franciscus Araldus vir spectatæ virtutis, & antiqui officij, cuius vnius virtus multorum nobis in hac vrbe benignitatem, ac beneuolentiam conciliauit

Digitized by Google

ciliauit. Tertius P. Blasius Carpelionius quarti voti socius ab anno 1598. Is cum acerbissimo laterum dolore, atque stranguria per multos annos laborasset, nec fine magno patientiæ, & virtutis exemplo tandem veficæ sectionem, vltimum remedium expertus, in summo dolore constantissimus vir interijt, post varios Collegiorum Rectoratus insigniter obitos, huius etiam domus Præpositura perfunctus.

QVINQVE in hac domo externorum Sodalitia celebrantur, eaque optimis institutis ciuium pietatem fouent, ac promouent. Vnum Deiparæ Natalibus sacrum maximo nobilium virorum, ac Principum cętu frequens. His præter cætera pietatis munera illud est solemne in primis, vt corrogata, vel inter sese, vel aliunde pecunia, ijs potissimum pauperibus opem ferant, quos *generis honestas* inopiam vulgare non patitur. In hos ferè vsus mille quot annis, & quingenti aurei erogantur. Alterum Annunciatæ Virginis nomine insignitum forensis turba patronorũ, tabellionum, scribarum, & qui ex eo genere sunt frequentant, numero circiter octoginta. Tertium Assumptæ Virginis appellatione, mercatores, atque honestioris conditionis opifices ad centum quinquaginta complectitur. Quartum, quod è clericis constat, & à Purificata Deipara nuncupatur, quinquaginta Sodalium numero cẽsetur. Apud hos magno Reipublicæ bono sermones de rebus diuinis haberi solent. Proponuntur etiam conscientiæ quæstiones, de quibus ipsi vltrò citroque conferant, differantque magno cum fructu. Ab his præterea semper aliquid opis, atque operæ impertitur malè qualentibus in Nosocomio, quod insanabilium vocant. Est & quinto loco instituta quædã Sodalitas, quæ nomen habet à Virgine Angelorum. Huc omnes familiæ, atque affectæ, famulique nobilium virorum, qui primum illud Sodalitium celebrant, ne dominos otiosè prætolentur ad ianuam

nuam, seorsum conueniũt, habentq; suum è Nostris institutorem, qui ipsos ad officia pietatis erudiat. Iam qui ex summo Sodalitio sunt, præcipuum Christianæ pietatis studium egregiè profitentur. Argumento sunt res ab illis gestæ dignæ memoria posteritatis. Cum quidam Episcopus Sodalium inuitatu ad aram Sodalitij faceret, iamque cœlestem de more panem singulis impertiret, aderat diuino conuiuio Sodalis quidam Episcopo propter veterem simultatem iratior, qui tamen ab illius manu cœlestem animorum cõciliatorem accipere non grauatus, mox peractis sacris, inspectantibus, qui aderant, nobilissimis viris, ad Episcopi pedes accidit, seque accusans diuturnæ alienationis, veniam deprecatur, profusa vi lachrymarum. Episcopus in amplexus hominis ruens incredibilem tanti viri demissionem erubuit, statimque subleuatum humo in intimos animi sinus excipit. Fuit ea res hoc maiori exemplo quo inferior videbatur illius viri dignitate præstantis tantam submissionem. Alter non minore exemplo, grauissimis criminibus per summam iniuriam insimulatus, & ea re in tetrum carcerem, secretumque ab omni hominum commercio coniectus, iniquissimam calumniatorum improbitatem ita pertulit, vt in eos ne vocem quidem asperiorem emiserit, quinimo summam carceris solitudinem, non tàm mœstroris incitamentum, quàm piarum meditationum illecebram habuit. Ad extremum perspecta hominis innocentia calumniam prodidit, & insigne patientiæ documentum dedit. Est & illud in more positum apud hos Sodales, vt singulis annis eo die qui sanctæ Magdalenæ sacer est, sumptuosissimum epulum dent ægrotantibus in quodam Nosocomio amplius octingentis hominibus, idque tam liberaliter, & abundè, vt ex epularum reliquijs ad multos dies Nosocomio suppeditetur non mediocre alleuamentum inopiæ. Adhibent ad conuiuium symphoniam è lectissimis

vocibus

Digitized by Google

vocibus. Adsunt eo die discumbentibus ægris nobilissimi quique de Sodalitio ad ministrandum accincti, nec vllam in tam humili ministerio partem obsequentissimi famulatus omittunt, & habet sane speciem eximiam pietatis, Christianæ submissioni tam ingenuè mãcipata nobilitas. Dato epulo singulis ægrotis sua datur subucula quod tamen anno 1599. factum non est, & is sumptus aliò cessit: empti enim sunt ægris quindecim lectuli, ad quos etiam pro tempore instruendos Sodales ipsi lineam, laneamque vestem abundè suppeditant ex armario, quod ibidem in hunc vsum asseruant. Exhibent præterea semel in hebdomada familiare conuiuium, hoc est minus opiparè comparatum, idque etiam vniuersis ægrotis eiusdem hospitij, cuius insuper duos tantum ordines, in quibus centum & quadraginta censentur, bis in hebdomada pascunt. Porrò eorum, qui è vita migrarint, animas piacularibus quoque sacrificijs adiuuant, pro singulis enim puta quadragenis in mensem rem diuinam habendam curant ad aram priuilegio insignitam. Ex hisce Sodalitijs multi ad varias religiosorum familias se recipiunt.

NON est silenda dedicatio nostri templi ab Illustrissimo Cardinali Iesualdo, huius vrbis Archiepiscopo facta, illustri pompa, maximaque ciuium frequentia res acta est, pridiè eius diei, qui Assumptæ Deiparæ sacer est. Eam celebritatem nonnulli sacrorum Antistites honestarunt, multiq; ciuium Principes, atque Reguli. Neque apparatus templi quioquam vulgare habuit. AEdes tota luminibus auroque fulgebat: aræ imprimis, quæ apparatissimo ornatu præciosæ suppellectilis conuectitæ, impositis ad spectaculum lectissimis plurimisque sanctorum corporum reliquijs, miram, & pietatis, & magnificentiæ speciem præferebant. Inuitabat frequentiam largissima peccatorum venia, summi Pontificis concessu indicta vniuersis, qui eo die templum nostrum inuiserent. Matutina

concio

Digitized by Google

concio, vesperinaque de more habita per eos dies solemniùs, præmisso vocum, neruorumque concentu. Producta est in tertium diem sine vlla satietate celebritas, adhibita quadraginta horarum comprecatione, tanto studio populi, vt multitudinem ædes ipsa, quæ amplissima est, non caperet. Nec exiguus fuit eorum numerus, qui se sacris mysterijs expiarunt. Prorex cum frequentissimo Principum comitatu & sacris, & concioni interfuit. Ipsum verò ædificium templi, cum nondum ad apicem peruenisset tale specimen futuri fastigij repræsentabat, vt iam tùm inuidiam superaret. Nemo enim nostro ordini tam infensus fuit, cuius non aliquam nobis laudem, approbationemque conciliauerit tantæ molis aspectus. Audires aliud sonare vulgi rumores, quàm quod antea murmurabant, non eos iam nos esse, qui putamur à populo homines reconditæ auaritiæ, & priuatis commodis opiparè consulentes, iam tandem apparere qui simus, quos in vsus rei pecuniariæ, si quod est in nobis studium, conferamus, quantò nobis antiquior sit cura publicæ quàm priuatæ vtilitatis, aliaque huiusmodi.

IAM verò concionum fructus haud paulò, quàm antea copiosior. Abductæ mulieres à fœce prostibuli vna & viginti; ereptus vnus à præsenti periculo prostituendæ sororis propter æris alieni difficultatem. Totius vitæ confessiones auditæ quamplurimæ. Qui nautico supplicio plectuntur in vinculis adiuti frequentibus concionibus, & salutari ope piarum confessionum. Publicæ custodiæ sæpe aditæ spiritualis auxilij causa: hìc forte cum quidam admoneretur à quodam è Nostris vt peccata confiteretur, idque se ille facturum aliquandiu pernegasset, instare Noster, hortariique hominem vt Deiparæ subsidium imploraret, alia subinde ad rem subijcere, ac suadere, quibus ille paulisper recogitatis, subitò discedentem iam hortatorem reuocat: se iam in animum induxisse

Digitized by Google

confiteri peccata: affulsisse enim sibi cùm hortationem audiret, radium quemdam, qui animum ingenti splendore compleret suum, & ad monita capescenda facere molliorem.

TRES à consuetudine pellicum ad honestatem traducti. Quædam quæ sæpius viro suo venenum dederat sine effectu, ab eiusdem consilij pertinacia reuocata est. Multorum etiam inopia pio subsidio subleuata. Sedatæ graues inimicitiæ, quarum multæ ad incendium, cædemque spectabant: nonnullæ etiam inter maximè necessarios, non sine magno periculo intercedebant. Libri de rebus magicis, ijque pernitiosissimi flammis dati. Quidam libidine incitante ad insaniam prolapsus, iam se cuidam Mago deuouerat, per quem sperabat se voti compotem factum iri, qui tamen consilio Nostrorum ita resipuit, vt magum etiam ad bonam frugem perducere conaretur. Neque nihil ad Dei gloriam pertinet, quod ex omnibus cœnobitarum ordinibus multi nos de maximis rebus consulunt, siue quid ferendum sit auxilij proximorum saluti, siue quid inter eos domesticæ difficultatis exortum sit: quo de genere effectum est interdum à Nostris aliquid, quod esset operæpretium. Spiritualia quæ nos dicimus exercitia magno Nostris adiumento fuêre ad studium religionis augendum, nec pauci sunt qui sacri Aduentus ieiunia sponte suscipiant, obeantque.

NEQVE interim desunt ad cumulandos patientiæ thesauros diuini prouentus. Ipsa enim illa nocte, quæ diem nobis solemnem Circumcisi IESV Domini consecuta est, templum nostrum repentè excitato (nec certum vnde) incêdio conflagrauit, ne minima quidem parte sacræ vestis incolumi, quæ adhuc tota erat in apparatu ædis expositæ: neque parum negotij fuit flammam latè omnia depascentem à nostris ædibus prohibere, quod miraculo factum putant. AEstimatio iacturæ octo millium

Digitized by Google

lium circiter aureorum fuit, cuius aliquam nobis partem piorum hominum benignitas compensauit. Non ita multo post, aliud in nos multò sæuius excitatum est incendium popularis inuidiæ. Est in hac vrbe nobilis quædam, & luculenta sanè familia Franciscanorum. In eorum templo imago quædam visitur Deiparæ Virginis, cui vulgare cognomentum à gratijs: hanc miracula cœpisse iam edere nescio quo multitudinis errore percrebuit, & iam prima huius aura rumoris ciuitatem commouerat. Erant quotidiani hominum concursus frequentissimi ad cœlestem benignitatem votis, ac muneribus redimendam. Archiepiscopus metuens, ne quid commenti haberet negotium, certos homines constituit, qui de tota re diligenter inquirant, mox quæstionem ritè exploratam in tabulas referant. Quo facto sexaginta Theologos, in ijs tres è Nostris aduocat, qui super ea re cõsulant, pronuncientque, quid fidei sit habendum argumentis miraculorum. Statuunt non esse vera miracula, quòd cùm illicò iussu Præsulis promulgatum esset in omnibus vrbis templis, vulgus audita miraculorum inanitate, indigne ferens iudicium abrogari suum, in nos potissimum furere tanquam primos illius promulgationis auctores. Erat enim constans iam fama, Nostrorum consilio plurimum vti solere Præsulem, quò facilius in nos omnis illa profligatæ quæstionis inuidia redundauit. Vulgi furorem maximè incendebat is rumor, qui vrbem peruaserat, nos homines pecuniarum amatores, imaginem quæ tam egregiè miraculorum lenocinijs alienâ benignitatem alliceret, nobis quærere, ac deposcere, quæ opinio eò processerat, vt palam omnes ederent, constitutum nobis esse certum diem, quo die vesperi ad primam noctem imaginem inuolaremus. Quo factum, vt ad eam ipsam diei horam armatorum manus ad Franciscanos concurrerit, vt eos contra Nostrorum impetum tuerentur. Hîc vbi ali-

Digitized by Google

quandiu in præsidio starum, nequicquam expectato Nostrorum agmine, quidam è turba inclamans, Ergo, inquit, eorum incursio nobis prius, quàm nostra illis repellenda est? quin priores irrumpimus, & in eorum cæde bacchamur. His dictis simul præibat ipse sceleris ductor, nec segnius ad eius vocem, ductumque concitata multitudo aciem in nos mouet, cùm viri cuiusdam nobilis intercursu, atque auctoritate retardatus tantam in nos armorum sæuitiam non exercuit. Cæterum conuicijs, probrisque non parcere, nec dicto vllo abstinere, quod modò nobis contumeliosum foret. Per vrbem ingredientibus Nostris scommata, probraque passim obiectabat multitudo, pudore contempto. Ipsæ puerorum cateruæ nostram domum prætercurrentes sublatis in fenestras oculis clarissima nos contentione ludificabantur. Quę omnia tá liberè, & impunè fiebant, quasi qui nos oppugnarent, Numinis causam agerent. Ad hæc Nostri vnam animi æquitatem opponere, donec oborta inuidorum animis luce veritatis, vis illa turbulentissimæ tempestatis euanuit. Sæpè alias obtrectatorum maleuolentiæ restitum à Nostris ea moderatione, quæ ad tuendam religionis laudem idonea videretur.

NEC tamen si vexamur interdum, idcirco gratiam, studiumque optimi, & nobilissimi cuiusque desideramus. Est enim planè incredibilis erga nos omnium fere ciuium liberalitas, cuius æternum erit monumentum augustissimi templi moles ipsorum nobis beneficio breuissimo tempore iam effecta cum summa spe celerrimæ confectionis. Qua porrò benignitate aras nobis vestiant, sacrarium locupletent, familiarem inopiam subleuent, nullus esset dicendi finis si enarrare vellem: tantum enim abest omnis exilitas, omnisq; tenuitas, vt verendum sit, ne munerum magnificentiam abijciat consuetudo, & copia. Nos interim ad eorum pietatem, vel fouendam, vel augendam

Digitized by Google

gendam, semper noui aliquid commentamur. Iam enim in templo nostro præter solemnes concionesexplicatur etiam festis diebus magna populi frequentia Catechismus, iugi animorum emolumento. Idem quandoque factum in celebri quodam suburbio pari fructu. Pagos etiam de more peruagata est Nostrorum salutaris industria. Multis concionandi labor, multis priuata de diuinis rebus colloquia profuerunt ad expiandas animi labes. Nec nihil operæ nauatum est Clericis explicandis conscientiæ quæstionibus. Fuit præterea vtilissima compluribus, ijsque principibus viris spiritualium exercitiorum communicatio, atque traditio.

QVODAM in vico nobilis viri filius, qui erat eius vici dominus, grauiter ægrotabat, destitutus omni venarum pulsu: is adiectis corpori imaginibus Beati N.P. Ignatij, & B. Xauerij, statim reuiuiscentibus ad motum arterijs melius habere cœpit, & iam vitam qua fruitur Beato Parenti nostro acceptam refert.

ITVM præterea Christianæ rei causa Caietam, in vrbem huius regni celeberrimã. Hic à nostris aliquandiu concionibus, confessionibus, cæteriscque Societatis nostræ muneribus multum operæ datum, tanto ciuium ardore, ac studio, vt præstitutam reuersionis diem Ciuitatis postulatu proferri oportuerit. Personabant matutinis vespertinisque concionibus vrbis templa, compita, suburbia frequentissimis vbique conuentibus, nec exiguus fuit numerus confitentium totius vitæ peccata. Sublata colluforum conuenticula, consuetudo; multorum flagitiorũ abolita, quæ animis inoleuerat. Iniuriæ quæ ab hominibus acceptæ erãt Christo donatæ. Odia sedata duorum, qui obstinauerant animis vlcisci ferro cædem duorum fratrum. Quidam gratu diuturnoque afflictus morbo, cum apud vnum è Nostris peccata confessus esset, ab eoque sanctum B. Nicolai manna ipso die festo eiusdem

Digitized by Google

Sancti acceptum hausisset, nocte insequente leuatus est morbo, qui cum deinde ex curationis negligentia recidisset in eandem morbi molestiam, repetito eiusdé sacri liquoris hausta penitus diuina ope conualuit. His rebus fuit ita grata Caietanis Nostrorum missio, vt continuò nobis sedem in ciuitate decreuerint.

COLLEGIVM NEAPOLITANVM.

NVMERANTVR in hoc Collegio viginti supra centum è Nostris, quorum sex & viginti Sacerdotes. Ex his duo Theologiam docent, totidem conscientiæ disciplinam, horum verò alter sacras quoque litteras profitetur. Philosophiam tres è Patribus, vnus scientiam quæ de moribus est, qui simul & Mathematicam tradit. Grámaticæ præceptores, præter vnum humanitatis, quatuor, ex quo vltima classis propter discipulorum multitudinem gemina ta est.

DIEM suum obiêre sub florem iuuentutis duo Sacerdotes, vnus è fratribus, omnes lenta tabe consumpti. Erat is qui frater, insigni probitate, atque ingenio, obedientiæ potissimũ in eo ita virtus eluxit, vt superiores dicerent se in illo tractando satis expertos esse facilitatem versandi viuum cadauer, ei nomen erat Ioannes Andreas de Vicarijs, obijt in patria apud parentes patrij vici dominos, eò ad natale cœlum curationis causa dimissus. Porrò Sacerdos qui illum eò duxerat, altero fratre comite: mansit aliquamdiu in ijsdem locis, vt rudiorum ingenia, moresque Christianis rudimentis excoleret. Et quidem industriæ fructus constitit: multi enim sacramentis animos recrearunt, quod eo tempore miraculo illis gentibus fuit, quibus anniuersarium Ecclesiæ morem

tam

Digitized by Google

tàm sedulò anteuertere prodigium videbatur.

FRATRES ad vrbis compita concionabundi diebus festis egrediuntur, vnde sæpè in ædem nostram cateruas reducunt hominum quos ipsi ad confitenda peccata induxerint. Ea res populum benè afficit, nobisque conciliat. Accidit enim aliquando, vt cum frater è Nostris vagaretur in foro, locumque aliquem editiorem concionis causa captaret, si qui circulatores non statim loco cessissent, deturbarentur à populo: mox ibidem ingruente pluuia transferri concionem in proximum templum omninò voluêre qui aderant. Ad extremum multi concionatorem ad ædem vsque nostram sunt prosecuti, vt animorum maculas confessione detergerent. Conspectus inter hos vir quidam ampliſſimis perfunctus honoribus, qui famulis certo loco subsistere iussis luce palam per celeberrimas vrbis vias inter infimæ sortis homines concursaret. Sublata etiam dissidentium odia neci proxima, iamque mentibus in mutuam cædem inimicis erepti gladij, factumque Nostrorum opera, vt auctor discordiarum, qui recentem iam iniuriam ferro persequebatur, eam in ipso vltionis articulo condonaret. Deletum & aliud inueteratum animis diuturnitate dissidium. Qui ad nauticum seruitium in catenis habentur multum Christiana ope iuuantur: nec eos qui in custodia detinentur, quoad ratio nostra postulat adiuuare desistimus: effectum vt ab ijs liberiora mulierc ularum commercia prohiberentur, quique alios consuetudine deprauarent, in arctiorem carcerem compingerentur.

GYMNASIA celebrantur hoc tempore, vt cum maximè. Septem in hoc Collegio Beatæ Virgini Sodalitia militant: duo quæ ex discipulis, quorum alterum è natu maioribus constat: alterum è minoribus, reliqua ex omni genere hominum imperitorum, & summa quidem Sodalitas, cui à Concepta Virgi-

Digitized by Google

ne nomen est, trecentorum numerũ complet: eorum institutio ad pietatem nouis quotidie incrementis augescit. Quadragenarum horarum comprecatio de more quater haberi solet pari pietate apparatuq;. Mos præterea inductus, vt omnes sexta quaq; feria flagro corpus afflictẽt, idque ad spatium tẽporis non exiguum, singulis etiam hebdomadis quarto die, solemni ritu Xenodochium, quod vocant insanabilium ægrotorum, inuisunt. Hic lauto conuiuio ægris dato, eorum quoque animos quà concentu deliniunt, quà spiritualium sermonum pastu reficiunt. Videre licet hoc loco iucundum sane Christianæ dimissionis cum sæculi nobilitate commercium. Sodales enim quamuis nobiles, vel honesti discumbentibus ægris ad omnia ministrant, ac prẽstò adsunt famulantium ritu: non illi ægrotorum pedes abluere, non lectos sternere, non solùm verrere, non patinas, ollasque purgare vel fastidiunt, vel erubescunt. Nec virorum Sodalitio sua desunt incrementa virtutum. Eorum vnus colapho percussus in publico loco tantum abfuit vt grauius irascereturr, vt etiam ab eo qui se tam grauiter lęserat ignoscí sibi postularet, si quo vel facto, vel dicto talem contumeliam prouocaslet. Ex his in nostrum ordinem nouem adlecti, in alias Religiosorum familias septemdecim, è reliquis verò Sodalitijs ad nos vnus, ad alios cœnobitarum ordines quindecim se receperunt.

NEQVE suis clientibus cælestis Patrona defuit, deploratam salutem multis inuocata restituit. Imminentem ab inimico cuiusdam iugulo mucronem auertit. Cuidam manibus, pedibus, membris omnibus capto, & præpedito visa sæpius animum ad spem bonam erexit: futurum enim vt conualescceret, neque aliter factum. Alter cuius os fœdum in morem intumuerat, cùm ab impijs hominibus incitaretur vt à veneficis opem peteret, nefarium consilium auersatus, tantum IESV, Mariæque nominibus ter

bus ter inuocatis ad oris tumorem signum crucis appressit, itaque statim conualuit. Alius ex editissima parte domus professæ delapsus ad ruinam ligneæ machinæ Deiparam inclamans, incolumis defertur ad terram exceptus in subiectam calcem, ex qua tamen leuiter ambustus absiluit. Nec obscurum habet miraculum liberata cuiusdam salus ab ingruente periculo. Is infestissima armatorum iuuenum corona circumdatus, dum in summa effugij desperatione B. Virgini se commendat, statim ab ignoto quodam homine manu prænensus, tractusque in ædes suas, quæ proximè aberant introducitur: hic hominem adhuc trepidantem vir ille ignotus admonet, vt timorem deponat, quo dicto statim euanuit.

DOMVS PROBATIONIS.

ALVIT hæc domus his tribus annis circiter quinquaginta Nouitios: mira omnium fuit ad obedientiam indoles, eaque suis incrementis adulta vberrimos fructus tulit. Quidam patris ad se aduentantis aspectum signo crucis exhibito abominatus est. Alius occurrentem sibi matrem tantum, vt aspiceret, exorari non potuit. Adolescens quidam nobilis, idemque ditissimus, multorum aureorum donationem sibi ea conditione oblatam ne in Societatem ingrederetur, magna animi æquitate reiecit. Idem postea in Societatem receptus, cùm ex altero oculo grauiter laboraret, serpente in dies morbo vtrumque oculum amittere maluit, quàm à semel inita religione deficere. Denique elucet in omnium moribus mira contemptio humanarum rerum. Nonnulli vt in domestico famulatu vitam si-

Digitized by Google

bi ducere liceat, ardenter efflagitant, eorumque interdum postulationi verbo indultum, & re etiam in speciem, vt salutaris animi submissio conseruaretur. Quidam accepto colapho præter omnem expectationem, nullum iniquioris animi signum dedit. Iam verò peregrinationes, & Xenodochiorum ministeria, domesticaque vel humillima quæque munera omnes nauiter obeunt de more Societatis. In spiritualibus exercitijs, quæ ipso nouitiatus initio tradi solent, magna omnes cum suauitate versantur ad integrum mensem. De Tirocinij tempore ad superioris arbitrium producendo, quod solet per se aliquid habere molestiæ, iam quicquid moderatoribus placuerit, id sine vlla cuiusquam tergiuersatione decernitur.

COLLEGIVM NOLANVM.

IN hoc Collegio quamdiu studia humanitatis fuêre, numerati sunt ad quinquaginta, quorum qui ad humaniores litteras incumberent, quinque circiter & viginti, qui etiam in proximos vicos octauo quoque die terni, quaternique dimissi rei Christianæ multum operę nauarunt. Conciones habuit aliquandiu in pago quodam vnus ē nostris magistris Collegij, qui tales aliquando stimulos ad pietatem admouit animis paganorum, vt tantum non omnes in ædem nostram ad peccata confitenda concurrerint. In eodem pago exortę inter patrem, & filium inimicitiæ prope iam ad desperationem reconciliationis exarserant. Eos idem frater vt ad concordiam, quam sępe frustra tentauerat, reuocaret, habita concione in cubiculum ad se vocat, nec iam precibus solùm agit, ad quas illi callum obduxerant, sed

Digitized by Google

sed vtroque inspectante procumbens in genua, qua licuit modestia humeros nudat, arreptoque flagello tamdiu se cæcidit pacem orans, donec ambo nouo prædicandi genere exorati in mutuum complexum, osculaque concurrerint. En Xauerij exemplum recenti virtute egregij imitatoris expressum. Alius quem inimici vlciscendi libido triennium iam à diuinis mysterijs absterrebat, eodem fratre auctore ita resipuit, vt & inimicum in gratiam reciperet, & sibi diuinam gratiam peccatorum confessione redimeret. Neque verò B. noster Ignatius nihil horum ciuium miserias è cœlo respectat.

QVIDAM adolescentulus ex graui morbo, desperata humanitùs valetudine decumbebat. Accersitus eò confessionis gratia Sacerdos quidam è Nostris, postquam ritè hominem expiauit, dat illi osculandas B. Ignatij Patris nostri reliquias, quas etiam vt secum æger habeat corpori adiectas, monet. Has ille suppliciter primò ad osculum oppressas, statim sibi de ceruice suspendit, seque dedit quieti. Manè postridie inuenitur à medicis ita leuatus morbo, vt tertio die liber ad patriam concesserit: diuinum erga se B. Ignatij Parentis nostri beneficium identidem apertissima prædicatione commemorans. Ea res postea de medici auctoritate, aliorumque qui interfuerant fide, ac testimonio explorata publicis tabulis consignata est, nobisque tradita. Pauperes, & qui detinentur in vinculis adiuuantur distributa viritim stipe, quam ostiatim Nostri coegerint. Adolescens mulierculæ blanditijs labefactatus cum eò iam insaniæ prolici se videret, vt a suscepto religionis ineundæ consilio penè deficeret, quemdam è Nostris consulit, si quà præcipitantem iam animum à tanto lapsu sustineat. Noster hominem admonet, vt conferat se statim ad summam ædem, vbi S. Fœlicis vrbis Patroni corpus asseruatur, flagitet summis precibus eius sancti præsidium aduersus impudicissimæ fœminæ

minæ nefarios conatus: quo ille facto repentè sic animo confirmatus est, vt è vestigio ad cœnobium, cui se antea destinarat aduolarit. Alter ætate grandior, qui per summam impudentiam patri pugnum impegerat, ad eam sceleratissimi facti detestationem à Nostro quodã inductus est, vt prouolutus ad patris pedes manantibus lachrymis impudentissimæ audaciæ veniam postularit, non minore omnium qui aderant admiratione quàm gaudio. Quidam de vxoris fide, ac pudicitia suspiciosus dubitans, eam simul, & opinatum sibi adulterum venabatur ad cædem: nec longè aberat, quin vtriusque ceruicibus immineret captata iam occasione facinoris: qui tamen vnius è Nostris persuasione deterritus à nefario consilio, vtrique pepercit. Sed admirabilis imprimis visa est, & præclara vox cuiusdam nobilis viri, & hoc sanè digniori historia, quod pari comprobata facinore, Is est vnus ex disciplina Sodaliũ, qui apud nos Deiparæ militant. Hic forte in medio foro palam iniuriosè lacessitus ad singulare certamen, licet esset non imperitus armorum, negauit Christiani hominis esse, prouocantis iniuria commoueri. Multæ totius anteactæ vitæ confessiones factæ.

CATANZARIENSE COLLEGIVM.

HABENT in hoc Collegio Socij ferè viginti, in his Sacerdotes decem, magistri duo, quorum alter, qui humaniores litteras docet, Sacerdos. De Societate nostra tanta est apud omnes ciues opinio, quantam facilè declarat maxima confessionum frequentia, eaque perpetua, nec solùm hominum infimorum, aut mediocrium, sed è nobilissimo quoque

Digitized by Google

quoque ordine. Prorex, cuius in hac vrbe sedes est Prouincialis imperij, cùm fato concederet, sepulturam sibi in templo nostro delegit, attributis Collegio centum aureis eleemosynæ nomine.

QVOD attinet ad industriæ nostræ fructus, multos Christo redemimus ex varia scelerum seruitute. Quidam cum libidinis ardorem, nec voluntaria diuerberatione, nec precibus ad Deum fusis extinguere potuisset. (fœdum dictu! sed tanta animi magnitudo nullius aurem erubescere potest) hausit è sordidissimo loco, vorauitque teterrimam ventris fecem, non ignarus quo se fuco pudicitiæ vellet oblinire: nunc flagrat desiderio nostræ Societatis. Vnam è cœno lupanaris extraximus, eiusque filiam à proximo periculo, & quidem nisi Nostri occurrerent, multis exitio futurâ, perinde vt mater antea fuerat. Domum habebat quidam ab assiduis dæmonum terriculis infestam, nescius quo piaculo vteretur, cùm multa nequicquam expertus esset, Sacerdotem è Nostris, suum scilicet à Confessionibus consulit; ex eo die tuta homini fuit à dæmonum terroribus habitatio. Nobilis quædam fœmina, quam grauissimus morbus iam adduxerat in vitæ discrimen, peracta confessione conualuit, quæres miraculo domesticis fuit. Nonnulli capitali odio dissidentes ad pacem perducti: in his quidam, qui accepti colaphi contumeliam prosequi ad cædem vsque decreuerat, nec à meditato facinore multum aberat. Stipem etiam corrogandam curauimus, qua nupsêre nonnullæ pauperculæ, quarum pudicitiæ insidiari videbatur inopia. Vna è duodeuiginti annorum pellicatu ad veras nuptias traducta est. Inclusos in custodia publica nostro more reuisimus, eorumque inopiam, solitudinem, omnemque, vel animi, vel corporis necessitatem, quantum in nobis est & solatio, & auxilio subleuamus. Eos nuper quædam pestilens morbi lues miserabilem in modum afflixerat, & quod caput

Digitized by Google

put est maximo curationis incommodo laborabant, medicos enim, externoſque contagionis metus arcebat. Nos eorum saluti nullo loco defuimus. Medicorum accessum à periculo præstitimus, ægris in salubriorem locum nostra opera transportatis. Eorum verò qui ad patibulum adiguntur, nemo est ferè cui nos ad salutare animi solatium pręstò non simus: cuius rei fructus incredibilis est: mirum enim quàm bene animati, & quàm bona cum spe salutis Nostrorum hortatu acerbissima supplicia perferant. Quidam in pœnam scelerum ferra secandus erat medius; is æstuans non tam metu mortis, quàm dubitatione salutis, quærit à nostro an extremum vitæ tempus salutari peccatorum pœnitentiæ aptum foret; affirmanti nostro, hortantique ad optimam spem animo concipiendam, respondit cum lachrymis se antea ignoratione Numinis eò prolapsum esse dementiæ, nec sibi quicquam esse maiori dolori, quàm quòd Deum antequam cognosceret, suis flagitijs tam insanè læsisset. Fuit omnibus admirationi tanta hominis muratio: quippe qui paulò antè atrocissimos in quæstione cruciatus obfirmato ad reticendum animo, sine vlla doloris significatione pertulerat.

IN vicinis etiam locis Nostrorum conciones animorum saluti non minimum opis afferunt. Sex enim iamdudum libidini mancipati pellices eiecerunt. Perductus vnus ad consuetudinem, & conuictum vxoris, quæ toro pulsa, domoque, adulteræ locum dederat. Alius, qui viuente adhuc vxore alteram prudens, scienſque duxerat, post auditam apud nos concionem ad priores nuptias, desertamque coniugem se recepit. Sed illud in primis commemorabile. Nobilis quędam virgo ex ijs, quæ sacris apud nos plurimæ operantur, vniuersam ciuitatem præclari facinoris admiratione compleuit: hæc & claritate generis æquè ac diuitijs pollens, & viduæ matri vnica, iamque nobilis spem omnibus dederat illustrandæ domus

Digitized by Google

mus ampliſſimo matrimonio, nec optatus eius ſpei exitus longè aberat. Iam enim conſanguinei opulentiſſimi viri matrimonium virgini ſatis idoneum adornabant. Cum illa numinis inſtinctu rata clãdeſtino connubio iungi ſe, cum Chriſto cœleſtes nuptias clam omnibus ſuis iniit. Etenim in ſecreto conclaui ad Chriſti de Cruce pendentis effigiem prouoluta præciſam ſibi ſua manu comam ad illius clauos appendit, dotem pro æterno coniugio, eumque illi virginitatem ſuam voto inibi deſpondiſſet, ſtatim religioſam veſtem quam ſibi ad id occultauerat, induit. Talem ſe ante matrem nil tale cogitantem perhilari vultu ſiſtit. Exclamantem, eiulantemque ſubitis clamoribus, admonet, vel diuinam voluntatem agnoſcat, vel deſperatione humani connubij pro ſolatio, ſi velit, vtatur. Quidã adoleſcens cùm ſæpius à S. Ioſepho duci ſibi videretur in templum noſtrum, ratus id ſibi eſſe diuinæ vocationis indicium, libenter id conſilij cepit, vt ſe in Societatem noſtram admitti vellet. Conſtituta pax inter vtramq; partium, quæ graui diſſidio totam ferè ciuitatem diuiſerant. AEdificatio noſtri templi, quæ aliqua difficultate temporum intermiſſa erat, repetita eſt aliquando ſumma ciuium gratulatione. In id opus præterquam quod nonnulli nobis ad materiam comportandam hi boues, hi vehicula commodarunt, trecenti etiam aurei à priuatis ciuibus erogati ſunt. Ad rem verò familiarem Collegij facta eſt acceſſio quadringentorum aureorum, quos in emendum nobis prædiolum nobilis quidam ciuis impendit.

IN vicino etiam oppido vernæ cuiuſdam è noſtris conciones ſalutem plurimis attulerunt: Perducti enim nonnulli ad bonam frugem, qui diuturna ſcelerum conſuetudine contabuerant. Compoſitæ grauiſſimæ lites, atque diſcordiæ: in his vna, quæ inter duas præcipuas familias orta totius pẽnè ciuitatis viſcera detrahebat. Duo fratres grandem pecuniam ab ipſorum patre verbo legatam

Digitized by Google

gatam, nullis præterea monumentis testatam Christo debebant re illi aliquamdiu suppressa: quippe nemine conscio, simul ac nostrum audière concionantem, sponte sine vlla cunctatione conscientiam cælati criminis profitentes pecuniam publicis tabulis consignarunt, vt sic omnem sibi sordidissimæ fraudis facultatem abscinderent.

IAM è nostris Sacerdotibus excepti, vt speramus, in cœlum duo, nisi quod eorum alter plurium instar. Is fuit Io. Matthæus Lõgo huius collegij Rector, haud dubiè ad regendi munus à natura factus, & institutus: mitissimo vir ingenio, atque ad eorum quibus præerat voluntates, vel tractandas vel demerendas aptissimo. Funus magno ciuium concursu celebratum populo collachrymante, vniuersoque vrbis clero ad iusta concinente nobiscum alternantibus choris. Nec minore ciuium luctu alteri parentatum, quem verè parentem ciuitas agnoscebat, ei nomen P. Ioannes Marfredus erat, qui duodeuiginti annos in hoc collegio vixerat, non sine laude sanctitatis: ciuibus ita charus, vt eiulatum non modò gemitum ederet multitudo, quæ ad funus infinita concurrerat. In primis illi religiosa vita, & summa cum cæteris æqualitas, omnium laborum, ac munerum cordi fuit, sic vt nihil in conuictu eximium, nihil singulare requireret: quamuis eum & superiorum facultas, & necessitas infirmissimæ valetudinis ad præcipuam victus rationem vocaret, & facile ab omni Societate domestici laboris exciperet. Quidam ineundæ Societatis nostræ percupidus, cum à patre adigeretur ad nuptias, profugit domo paterna, nec prius redijt quàm periculum nuptiarum effugeret. Sedatæ præterea multæ dissensiones, quæ diuturnis iam odijs confirmatę nimis altè radices egerant, & quidem nonnullæ inter quosdam sanguine coniunctissimos. Hæresis quoque periculũ quod à cœnobita quodam clari nominis imminebat,

Digitized by Google

bat, Nostrorum vigilantia propulsatum est, Episcopo diligenter & maturè præmonito.

COLLEGIVM ALETINVM.

ENSENTVR in hoc Collegio Socij ferè quatuor, & viginti, in quibus Sacerdotes duodecim, Magistri quatuor, tres humanioris litteraturæ, vnus Philosophiæ, præter conscientiæ disciplinam, quæ in templo traditur. Est omnium industria, domi forisque fructuosior, quàm pro tali capitum censu: & rei quidem litterariæ cursus idem, qui superioribus annis: cæterùm Christianæ rei progressus in dies maior. Ab audiendis confessionibus, cæterisque muneribus obeundis vix necessaria Sacerdotibus quies datur. Simultates, discordiæ, inimicitiæ sedatæ sunt, & graues, & multæ.

SODALITATES, quæ apud nos quinque celebrantur, Sacerdotum, virorum nobilium, adolescentum, puerorum, artificum, augentur in dies magis & numero, & pietate. Ex his septem in diuersas Religiosorum familias cooptati. Christianæ doctrinæ rudimenta, non modò in templo nostro, sed passim per vrbem explicant sex è Nostris in suo quisque sacello. Mitto confessiones ab vltima memoria repetitas, quarum numerus longam requirit historiam. Subuentum quandoque laborantibus, vel in Nosocomio, vel in custodia: vtrinque relatus is fructus, qui industriæ nostræ proprius. Bacchanalibus, quæ haberi solet supplicatio triduana, celebrata est frequentissimo concursu ciuium, quos & pietas, & apparatus, & scilicet *Musicæ* suauitas allectabat. Duæ mulieres quadringentos

Digitized by Google

nobis aureos testamento reliquerunt: mille, & quingentos largita est ciuitas summo omnium magistratuum, ciuiumque consensu.

FVIT quoque vicinis oppidis vtiliſſima Nostrorum excursio: quoquo aditum, eo tùm sacramentorum frequens vsus, tùm solemnis mos tradendæ doctrinæ Christianæ festis diebus inductus est; multorum animi totius vitæ maculis expiati. Instituti Sacerdotes ad rem Christianam nauiter sciteque curandam. In sanandis animorum vulneribus ita strenuè laboratum, vt audiendis confessionibus non modò dies, sed noctes etiam magna ex parte consumerentur. His rebus in vicina vrbe tantum apud ciues gratiæ initum, vt & nos statim in ciuitatem cooptare decreuerint, & Nostris cùm discessum iam adornarent, obseratis portis exitum prohibuerint, vsque dum de certò reditu fidem darent. Illud verò præcipuum, ac propè diuinum in his missionibus accidit, quod multorum confitendi cupiditas expleri non poterat, tantam se animi voluptatem aiebant ex sacra peccatorũ expiatione percipere. Depulsa nõnullorum toris adulteria, quæ vel vtriusque coniugum consensu, vel alterius dolo committebantur. In primis duæ, quarum pudicitiam ipsi coniuges venalem habebant, Christo redemptæ nostræ operæ pretio. Graues quoque lites, quarum compositio desperata iam erat, Nostrorum tamen auctoritate compositæ. In castro quodam cum à nostro Sacerdote, pro concione explicarentur illa verba orationis dominicæ (*Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*) narrant quotquot erãt in eo castro discordias, illa vna oratione sublatas. Denique quacunque excursum tanta omnium erga nostros pietas excitata est, vt eos palam diuinis Angelorum, sanctorumque nominibus appellarent. Quidam ære alieno oppressus, cùm eo se leuari vnquam posse diffideret, vxorem ipsam debiti vicariam prostituerat creditori, qui

ri, qui eam vicem pro ære depoposcerat, exigebatq; iam in dies auidiùs vsuram quotidiani flagitij. Octauum iam annum in eo commercio versabantur, hunc libido, illum necessitas, illam quoque nisi quid turpius animi remissio, & dissolutio obcęcabat. Eos cum quidam è nostris flagitij commoneret, excusabat inopiam debitor, vxor imperium viri, creditor pecuniæ magnitudinem, neque enim è re sua esse dicebat, mille aureos, quos pro viro suæ pellicis dependisset, amittere: proinde alienam sibi vxorem tanto pretio redemptam iure deberi, præsertim altero coniuge non inuito. Pugnatum hic à nostro cum hominis pertinacia ita strenuè vt ille ad extremum salutari consilio victus, iamque adulterij consuetudinem detestatus, profusis lachrymis totius vitæ maculas confessione deterserit. Idem simul fecêre coniuges, quos paupertas ad arcana coniugij tam nefariè vulganda compulerat. Alia quædam honesti hominis coniux deserto viro apud patrem sibi turpiter indulgentem, tertium iam annum prostabat adultero, virumque à quo metuebat impudentiæ pretium, fugiebat, ea iam ad honestatem, virique concordiam ita redacta est, vt etiam ipsi adultero, qui funem de collo suspensum gerens veniam suppliciter petijt, parceretur: nec tamen à negotio destitum ante omnium conscientias generali confessione purgatas. Alter cum maleficio impeditus operam liberis dare non posset, contenderetque posse salua religione fieri vt maleficium maleficio tolleretur, victus est à quodam è Nostris, vt eam mentem deponeret, quin potius funderet ad Deum preces, & sacra mysteria per mensem impensius celebraret, sic enim præstò ei fore diuinam opem; quod ille consilium dum libenter exsequi perseuerat, sacrisque iam frequentiùs operatur, expectatum illi operis pretium diuina liberalitas repræsentauit, nondum enim exacto mense hominem voti compotem fecit. Sed illud maius & pro-

Digitized by Google

cul dubio diuinum miraculum. Puella recens nupta conspectum viri, quem omnibus prodigijs, diriſque tetriorem ſibi eſſe aiebat, ferre non poterat, cùm tamen antea mirus inter eos amor interceſſiſſet: Eius mali remedium puellę pater à veneficis iam dudum petebat magna impenſa, nullo effectu, quo audito quidam è Noſtris hominem adit, eumque primò obiurgat, quòd ad dęmonem profligandum, dæmonis arma quęreret: mox omnes bono animo eſſe iuſſit; ſperandum à Deo, quod à Dei aduerſario fruſtra peterent: hortatur vt peccata ritè confeſſi ſæpius cæleſti pane reficiant ſe, idque per menſem vnum. Cum illi ſe ad id faciendum paratiſſimos eſſe dicerent; Noſter audita virginis confeſſione, ceream illi cæleſtis agni effigiem donat; non ita multo poſt cùm ſponſus puellæ domum ingrederetur, ecce tibi niger coluber conſutis oculis, albiſque filis quaſi catenulis diſtinctus, per pauimentum non ſine aſpectantium horrore ſerpebat, quem vbi ſponſus occidit, diſcuſſum illicò malefi cium euanuit, virgoque iam reprehenſo erga virum amore priſtino vrgere cœpit celebritatem nuptiarum, quas antea execrabatur.

NEC illud nihil habet miraculi quod in his locis miſſionum initia ſemper aditum abſtruente diabolo aliquid deſperationis habebant. Vbique enim ferè negabant initio oppidani Noſtrorum operam poſſe ſibi eſſe frugiferam, neque enim facultatem ſuam Noſtris ad hoſpitium, victumque ſuppetere: ciues præterea omnes varia occupatione diſtentos, atque in vites, arteſque diſpalatos nihil ad conciones celebrandas habere vacui temporis, nec facilè fieri poſſe vt eorum multi ad templum eodem tempore cogerentur. Ad hæc Noſtri ſedatè, & comiter tantum illud obijcere, negotij tam difficilis, quàm ipſi dicerent, tentari poſſe experimentum ſine vllo incommodo: multis enim in rebus ſpem falli, in multis metum, & quidem

Digitized by Google

quidem perrumpente primos aditus patientia, sic omnia statim procedere, vt pietatis cursum Numinis ductu regi facilè appareret.

MISSIO NARDONENSIS.

NARDONE in vrbe proxima Nostri concionatoris beneficio multorum saluti præclarè consultum est. Mitto illa communia, restitutiones malè partorum, sedationes discordiarum, confessionum celebritatem, compositiones litium, rerum malè contractarum retractationes, quæ non tam dignitatis æstimatione, quàm nostræ Societatis consuetudine vulgaria sunt. Cæterum inter ea, quæ præcipuam narrationem postulare videntur, illud maximè commendandum crediderim, quod Quadragesimæ tempore ter vniuersa ciuitas sacro se confessionis fonte lustrauit; cuius rei vtilitatem, nouitatemque etiam alij cœnobitæ non sine magna nostri ordinis commendatione commemorant. Quidam infandæ libidinis notam suo nomini per summum nefas inustam abolere obstinauerat sanguine sui vituperatoris, eumque iam summa ope adhibitis insidiatoribus quærebat ad cædem, qui tamen ab ea mente Nostri cuiusdam Patris hortatu ita deiectus est, vt Christi causa omnem iniuriam voluntaria obliuione contereret. Liberiores aliquot cœnobitę consilium cępere, vt ad alias correctioris disciplinæ familias se conferrent; idque iam agunt. Complures à nefanda multorum annorum libidine, ad summam eius vitæ detestationem adducti, octauo quoque die communicant, seque acerbissimo ætatis tam turpiter actæ odio mulctare non

Digitized by Google

desinunt. Duo, qui se per biennium nunquam simultatis causa consalutauerant, audita concione de inimicis diligendis, statim cùm exierunt à templo se inuicem salutarunt, congressique non sine multorum admiratione, atque lætitia colloquentes abibant. Concionum is quoque fructus non exiguus fuit, quòd multi, qui fundationem Collegij Nardonensis oppugnabant, eam nunc mutata voluntate adiuuant, procurantque. Tres veteri odio dissidentes insigni exemplo in mutuam gratiam restituti, quam recens acceptorum grauium vulnerum memoria in desperationem adduxerat. Nonnulli qui alienos agros prolatis suorum limitibus clam irrepserant, ad fines suos reducti, legitimis possessoribus de fraude commonitis. Vnus patrui necem vlcisci iudicio cùm facilè posset, noluit, coniectumque iam in vincula propter leuiora quædam facinora inimicum, vrgere iustissima criminatione, id ipsum alijs suadentibus, ita recusauit, vt piam pacem iustæ vltioni prætulerit. Ciues quidam è prima nobilitate, qui grauissimè aliorum famam per incuriam violauerant, palinodiam cecinêre summa cum æquitate: vnus etiam cum voluptate animi tanta, vt profusis lachrymis Deo gratias ageret apud nostrum concionatorem, quòd se ad id consilium compulisset.

BARRENSE COLLEGIVM.

HOC Collegium etsi in summa rei familiaris difficultate versatur, habet tamen minus æris alieni, quàm antea. Cæterum res Christiana præclarè geritur. In vicina vrbe sedata est à nobis grauis quædam, & pernitiosa seditio, quæ inter Clerum,

Digitized by Google

Clerum,& reliquos ciues concitata,vniuersæ ciuitati exitium minabatur. Odia etiam restincta, quæ colaphi contumeliam consecuta,non alium exitum videbantur habitura quàm cædem.Quadraginta horarum comprecationi,quæ apud nos bacchanalibus de more habetur, interfuit honoris causa Polignanensis Episcopus,qui postquam rem diuinam pontificio cantu fecit, luculentam habuit concionem magna omnium approbatione, sensuque pietatis.De confessionum fructu satis est nouum quoddam à Deo testimonium nobis datum. Quidam enim cùm oppressus animi mœrore solus per campestria vagaretur, incidit in hominem eximia oris dignitate præditum, sed habitu vestis asperiore,quasi hominis in eremo viuentis, qualem in ea regione vidisset antea neminem.Ab eo cum humaniter appellaretur,rogaretur que cur ita mœstus in ea solitudine ambularet, quidve secum agitaret pleno mœroris animo,obstupuit primò,tùm alienum hominem conscium sibi esse suæ mœstitiæ, tùm liberius iam congressus, narrare cepit erumnas suas, calamitatesque in quibus miserè versaretur. Hìc verò ignotus hospes: At quæ tandem(inquit)origo calamitatum tuarum? nescio, inquit ille.Ego verò(subdit hospes)haud nescio. Satin' illud tibi venit in mentem? hic peccatum nominauit,quod ille multis annis ante commissum nunquam in confessione aperuerat,quod tamen fuerat memoriæ vitium. Age (inquit ignotus monitor)Iesuitas adito,eos, quid facto opus sit,consule;in primis expia de illorum consilio conscientiam apud ipsos tuam,& diuinam in te agnosce benignitatem,quæ adhuc tibi maius aliquid præparat; quæ cùm dixisset euanuit.Iuuenis ad nos statim accurrit,rem narrat,peracta vitæ confessione discedit; quod ita subitum fuit,vt nulla nobis hominis cognoscendi,vel de ea re iterum percontandi facultas fuerit.

Digitized by Google

COLLEGIVM CONSENTINVM anni 1598.

HABVIT hoc anno Consentinum Collegium Socios vnum circiter & viginti: tribus politioris litteraturæ gymnasijs additum est hoc anno quartum Philosophiæ, postulante ciuitate. Tribus etiam Sodalitijs, quæ antea erant instituta, quartum accessit clericorum, idque rogatu Archiepiscopi, qui pro ea qua ad custodiendum Christi gregem excubat vigilantia, non facilè quemquam patitur ad Christianam Rempublicam nisi optimè institutum accedere. Tanta est apud omnes in hac vrbe, & in tota vicinia Societatis nostræ auctoritas, vt quidquid ad Christiani hominis officia pertinet, id nostro potissimum consilio vbique geratur, nec solum fœnerandi libido coercita est, sed maioribus occursum incommodis: mors enim quadam de causa quibusdam fœminis imminens, opportunè depulsa. Sedatæ inter nobilissimos ciues inimicitiæ, quæ ad perniciem eademque spectabant. Aliquot vulgati corporis mulierculas Christo lucri fecimus, quarum nonnullæ tantum ex Nostrorum monitis hausere castitatis amorem, vt eam ne amplius violarent, mulctari se acerrimis verberibus facilè paterentur. Quædam cùm à Sacerdote nostro didicisset se, si castitatis tuendæ causa interficeretur, salutem animæ consecuturam, etiam si sacræ confessionis omninò expers occumberet (hoc enim illa in simili conflictu antea dubitauerat) mirum, quàm forti animo, atque alacri se ad mortem pro castitatis custodia, si opus esset, accinxerit. Quidam cum maleficio obstrictus esset in pel

Digitized by Google

in pellicatu, ducta in matrimonium pellice, continuò se solutum sensit ac liberum. Plena erat ægrotantium quædam domus, cùm pater familias iussit omnes peccata confiteri apud vnum è Nostris, quo facto statim maleualentibus melius esse cœpit. Itaque solemne iam est in ea familia morborum initijs confessione peccatorum occurrere.

MANAT etiam ex alumnis disciplinæ nostræ aliquid ad proximos vtilitatis, vnius enim è quodam oppido discipuli nostri exemplum, exhortatioque magnam partem oppidanorum ad piam viuendi rationem attraxit, ex quo summa laus in nostrum ordinem redundauit. Duo præterea fraterculi ex auditoribus scholarum nostrarum, cùm Patrem sacræ confessionis (vt assolet) insolentiorem haberent, quotidianis illum clamoribus coëgerũt, vt apud Nostros, quorum ille aures dudum horrebat, peccata confiteretur. Malefici, qui morte plectuntur, vltimo à nobis solatio, monitisque ad id tempus idoneis adiuuantur: nec vinctis in custodia publica desunt à nostris Christianæ vitæ subsidia: denique non modò apud ciues, verùm etiam apud Prouinciales vniuersos ea est de nobis opinio, vt omnes ferè curandis animis opem à Nostris petant, & si qui minus in vita, certè omnes in mortis periculo nostram sibi operam aduocent.

CONSENTINOS siue multitudinem spectes, siue Christianæ disciplinæ necessitatem, cum India conferre non dubites. Eò se Nostrorum industria cum effundit, incredibile est, quàm vtiliter syluescentem Christi vineam excolat, neque vllus est tam difficilis, atque arduus labor, quin præ fructuum vbertate perexiguus videatur. Excipiuntur vbique Nostri magna vniuersorum lætitia, cessant operæ illorum aduentu nunciato, pulsantur in lætitiæ signum ærea campana. Rustici ex agris in vrbem ad templa conuolant. Pastores conductis, qui pro se

Digitized by Google

gregem interim custodiant ad conciones audiendas accurrunt. Latrones ipsi, & fugitiui Nostros adeunt, consuluntque, si quam veræ salutis viam insistant. Hîc verò tanta confessionum vtilitas, tanta diuini verbi, vel audiendi voluptas, vel exequendi celeritas, & constantia, quantam qui oculis non subiecerit, difficile cogitet. Neque vnquam Nostros pagani prius discedere patiuntur, quàm omnium confessiones exceperint. In discessu certatim aliorum pagorum nuntijs aduocantur, coacti semper aliò aliunde concedere.

IAM nullus est ferè pagus, in quo non sit aliqua constituta Societas hominum, qui se ad certam colendę pietatis legem aggregauerint, cuius rei approbatio, admiratioque omnium nobis animos in dies magis adiungit. Erecta est, & altera quædam quasi sodalitas mulierum, eaque festis diebus in templo publicè apertis ianuis celebratur. Hîc mulieres relatis in codicem nominibus certum sibi institutum indicunt Christianè viuendi, & statis diebus confitendi, & communicandi, quæ res mirificum in mulieribus excitauit studium pietatis. Affirmat quidam visum sibi esse per quietem Sanctum Franciscum à Paula insignem illum Calabriæ nunc indigetem, olim indigenam, ab eoque se esse monitum, vt vniuersæ vitæ delicta confiteretur apud alterutrum è Iesuitis, quos eò propediem dicebat esse venturos. Habuit prædictio celerrimum exitum: postero enim die, præter omnem expectationem, Nostri apparent, quò ille libentius datum sibi diuinitùs de generali confessione mandatum, sine vlla mora perfecit. Mulier obsessa iam pridem à dæmonibus corpore, adhuc miris modis exagitatur: tamen ob eam causam (vt ipsi dæmones aiunt) quod illa cùm ossitaret, hianti ori signum Crucis non adhibuerit: eam nunc teterrimi obsessores non modò minis, sed etiam vulneribus absterrent à nostro templo, nec illa tamen si libertatem

Digitized by Google

tem amisit, patientiæ fructu caret. Septem se esse dæmones ipsi dicebant, qui mulieris corpus aggressi essent, sed vnum cælesti pane mulieri dato statim aufugisse, quòd solus ille propter insignem nequitiam (nam hoc quoque dæmones affirmarunt) præter cæteros Christi præsentiam horruisset.

COLLEGIVM SALERNITANVM.

SALERNI tredecim ferè Socij habitant. Ex his Sacerdotes quinque, Præceptores duo. Munerum nostrorum vtilitas eadem, quæ superioribus annis. Adeuntur Nosocomia, custodiæ, pagi, fructus vndique non pœnitendus excipitur. Discipuli, viri nobiles, opifices in suo quique sodalitio dant nobis operam diligenter æquè, atque vtiliter. Sæpè corrogatis à se pecunijs multorum inopiam subleuant, pauperibus duodenis abluunt pedes, ipsosque de integro vestitos, dimittunt; nec cætera pietatis officia negligenter exercent. Eorum vnus accepti colaphi iniuriam obliuisci maluit, quàm vlcisci, cùm tamen vltionis summa offerretur occasio. Bacchanalibus solemnes quadraginta horarum preces habentur præsente Prouinciali Prorege, nec ad eam rem studium populi nobis deest. Qui ad mortem trahuntur, hos Nostri ferè vltimis charitatis officijs prosequuntur. Compositæ dissidentium partes, in quas ciuitas ferè tota discesserat. In templi ædificationem vnus ciuium trecentos, alter quingentos obtulit aureos, alius mille pollicetur ad extructionē sacelli. Adolescens quidam è Parthenijs nostris cùm infensam sibi mulierculæ procacitatem, libidinemque fregisset, statim ad Sodalitium

Digitized by Google

litium accurrit, & quam de fœdissimo hoste victoriam reportarat, Beatæ virgini acceptam retulit, quin etiam in signum grati animi flagello acriter se ipse pulsauit. Alter ingerentem sibi dæmonem libidinis fœces, nec vllo absistentem repulsu, tandem teterrimi odoris olfactu, gustuque fœdissimarum rerum abegit.

ADOLESCENTVLVS quidam apud nos litteris expolitus, cùm ab ipso penè Societatis nostræ aditu, quem sibi multis precibus patefecerat, resilijsset, reuocatus à consanguineis, cumque de sententiæ mutatione cum quodam è Nostris in colloquium incidisset, repentè imbi, dum maximè admonetur, febri corripitur, quæ deinde, cum ad interitum ingrauescceret, diuinam ille vltionem agnoscens, parentes incusat primò, quòd se à salutari vitæ cursu ad animi corporisque perniciem reuocassent, tum illis annuentibus, reprehensum Societatis ineundæ consilium voto sanxit, continuò Nostros accersit: rogat sibi ne desint supremo iam tempore, satis se iam agnoscere vitium ingratissimi animi aduersus Deum, ac Nostros, quare ignoscerent inconstantiæ puerili, seque licet indignum tanto beneficio, tamen resipiscentem iam tandem in Societatem adsciscerent, nec tantum morientis desiderium aspernarentur: sibi enim præsens periculum optimum futuræ vitæ magistrum fore, si viueret. Scriptum statim de adolescentis petitione Neapolim ad Patrem Prouincialem: Responsum, vt homini satisfieret. Ille re impetrata lætus paulò post emissa Societatis vota decessit.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM BAROLITANVM.

SEDECIM è Noſtris in hoc Collegio commorantur, in his Sacerdotes ſeptem, Magiſtri duo. Omnes egregiè pro ſuo quiſque munere ad rei Chriſtianæ procurationem incumbunt. Ex rebus geſtis hæ videntur excellere. Mulier quinquaginta iam annos nata, & ad eam ætatem inter hæreticos alieniſſimis ab omni religione moribus immutrita, ad extremũ inueterata in iam ſacræ confeſſionis in ſolentiã ita correxit hortatione Noſtrorũ, vt pœnitentię ſacramentũ ſtatis diebus repetat. Quatuor malefici, qui vltimum ſupplicium periniquo animo adibant, Noſtrorũ admonitionibus ad tantam animi æquitatem adducti ſunt, vt multò mitiùs, quàm promeriti eſſent, agi ſecum putarent, optarentque ſe præter iuris decretum per vrbem raptari, candentique forcipe ſua membra conuelli viua, concidi etiam mortua, atque diſcerpi, idque non ſimulatis precibus à Iudice vltrò contenderent. Nec minimum negotij fuit duas è ciuitate diſcordias tollere, alteram, quæ totam ferè ciuitatem inteſtinis odijs iam incenderat: alteram quæ vſque eò proceſſerat, vt deſperata reconciliatio videretur. Multorum inopiæ, ac ſolitudini ſubſidio fuimus, quos caritas annonæ non ſine aliqua ſalutis deſperatione premebat.

QVIDAM graui morbo laborans, ſed animi peſte grauius, cùm de medici mandato cuidam Sacerdoti peccata confeſſus eſſet, mortem opperiebatur in horas ſingulas, cùm ecce tibi manè poſt quietem, Sacerdotem quẽdam è Noſtris magnis vocibus nominatim inclamat, eumque accerſiri quamprimùm iuber: actum enim eſſe de

Digitized by Google

esse de se nisi ille adsit auxilio, qui statim atque accersitus accurrit, æger mutato vultu, ac propè læto, hominem erumpentibus lachrymis orat, atque obsecrat, saluti suæ iam præcipitanti ne desit, excutiendum sibi esse dæmonis iugum, quo iam dudum miserabiliter vinctus, atque oppressus erigere sese ad spem salutis haud poterat. Noster hominem consolatus admonet, vt totius vitæ crimina diligenter confiteatur, nullum illi efficacius fore tanti mali remedium. Quo ille facto tantam spem animo percepit sempiternæ salutis, vt propè iam cælestis vitæ lætitiam representaret homini expectatio proximæ mortis. Aderant morienti familiares, & veteris vitæ socij, quos ille acribus verbis reprehendens, hortabatur, vt à flagitiosa vita desisterent, & veræ salutis viam, à qua longissimè aberrassent aliquando repeterent. Illud præterea identidem commemorabat, quantum Iesuitis deberet, per quos sibi cœleste domicilium patefactum aspiceret. Inter hæc bonæ spei plenus, hilari vultu expirauit.

NOBILIS quædam meretrix nostris suadentibus cum pudore nuptias pepigit, cuius formæ præstantia commune iuuentuti præcipitium fuit. Ea nunc amantior castitatis, quàm fuit ante libidinis, anteactæ vitæ supplicium sumit ex sese ipsa piaculari victus asperitate, vsuque frequenti sacramentorum: nec magnum, si corporis cruenta verberatione, quando etiam (quod maius est) summo contemptu delectatur ornatus, ac pigmentorum, quibus venenata olim pulchritudine vniuersorum oculos, atque animos vulnerauerat. Est illi adhuc infesta procacitas multorum, eorumque nobilium virorum, atque potentium, sed quæ omnes ante pellexerat, eadem omnes nunc reformidat, abigitque ab sese constantissimo animo. Eam quidam è pristinis amatoribus noctu per fenestram inuasit dormientem inter duos filios, quæ ad notam hominis vocem expergefacta prosilit repentè ad

preces

Digitized by Google

preces Deo fundendas; subit illicò animum confirmatque S. Luciæ virginitas. diuinitùs olim defensa contra nequissimam procorum insaniam, simul eius virginis opem aduocat fidentissimis precibus, se quoque Christo domino esse desponsam, licet secundis nuptijs, amore tamen ardenti, constantique: proinde impetrat à communi sponso præsentis periculi fœlicem euentum: Fortunet animi conatus castitati fideliter militantes. Hæc ad momentum temporis, vt in summo discriminis articulo. Tum ad prædonem supplex conuersa: Oro, inquit, obtestorque te per effusum Christi sanguinem, ne istam in me amoris crudelitatem exerceas, castitatem, quam tibi infœlix diripiendam antè tradidi, iam Christo dicaui, ac voui, sine obsecro me fidem seruare, quam dedi cæleſti sponso, & Christi torum, quem appetere ausus es, commaculare ne audeas. Ad hæc iuuenis obstupescente magis, quàm deferuescente libidine, abstitit: mox Iesuitas increpans, iratus abscessit. Mulier summo manè ad templum aduolat. Deo quod se à nocturno diabolo liberasset, grates agit, animumque ad summa omnia pro castitatis custodia paratissimum recenti culparum confessione, ac cæleſti pane confirmat. Eadem cum libidinis faces à dæmone per noctem animo iectas extinguere laboraret, ad summæ hyemis algorem nudum corpus exposuit, repetitumque acri flagello tamdiu afflixit, donec flamma lasciuiæ desæuiret.

COL

COLLEGIVM THEATINVM.

THEATI nuper ſata Societas adoleſcit perpetuis incremẽtis: & quidem omnium rerum bonos exitus ominantur initia. Hìc è Noſtris non plus vndecim curant. Summa nos complectuntur beneuolentia omnes ciues, nullo (quod vix alibi contingit) excepto. Neque Proregis Prouincialis ſtudium deſideramus, neque Sacrorum Antiſtitis, qui Seminarij ſui alumnos magiſtris noſtris operam dare voluit. Ciuitas verò ad templi ædificationem mille nobis aureos erogauit. Externi qui apud nos, vel in ſcholis ad litteras, vel in Sodalitijs ad pietatem informantur, ſuos quique progreſſus faciunt, ſcilicet in dies maiores. Tres erectæ ſodalitates, quarum vna artificum. Gymnaſia duo, nec diſcipulorum frequentia, nec ſodalium deeſt. Ex hoc genere tres in noſtram Societatem, totidem in Capucinorum familiam cooptati. Rudioribus Chriſtianæ Doctrinæ rudimenta traduntur, & ad cogendos conuentus ſpirituales cantiunculæ per cõpita decantantur à pueris prælato vexillo. Eſt etiam valde frequens ad Chriſti menſam concurſus conuiuarum inuitantibus nobis. Duo viri primarij, qui mutuis ardebant odijs, cùm noſtrum aliquando Sacerdotem audijſſent verba facientem de voluntarijs afflictatiunculis, ac pœnis eorũ qui ad Sodalitia noſtra ventitant, ita commoti ſunt, vt ſtatim alter ad alterius pedes oſculandos certatim acciderint. Nec eſt prætereunda inſignis quædam pacificatio duorum magiſtratuum, quorum diſſentio graue aliquod exitium prætendebat: eorum pacem vnus è Noſtris à ſe compoſitam,

Digitized by Google

tam, testatam relinqui iussit apud optimum sequestrem, Prouinciæ scilicet Proregem. Munus populo dedimus, iucundum drama, simul & discipulis præmia, Proregis munere comparata. Fratrem quemdam à fratris, virum etiam ab vxoris capitali odio reuocauimus. Vnam quæ propter impudicitiam à viro defecerat, ad legitimum torum reduximus. Duas quibus propter violatam matrimonij fidem cædes imminebat à viris, in gratiam coniugum restituimus. Nec paucis pœnitentiæ sacramentum totius vitæ scelera confitentibus impertitum. Cum fortè quidam è Nostris pro concione veneficiorum vsus acriter obiurgasset, vnus qui venefică apud se in occulto habebat, audita concione continuò illam prodidit, plectendamque iudicibus tradidit.

COLLEGIVM AQVILANVM.

PRIMITIAE sunt hæ vineæ Aquilanæ, quæ nuper à nobis coli cœpta non exiguis fructibus remuneratur industriă. In primis in erudienda iuuentute perutiliter laboratur, nec solum disciplina politioris orationis, quæ tribus classibus continetur, verùm etiam philosophandi scientia traditur, redundante Gymnasiorum frequentia. Externi ad nos discipuli ventitant, non à vicinis solùm, sed etiam à remotioribus oppidis, nec minus ad litteras in scholis, quàm in Sodalitijs ad pietatem proficiunt. Nobilium virorum Sodalitas instituta, quę suos quoque processus habet. Adolescentium mores disciplinæ nostræ beneficio ita correcti sunt, & expoliti, vt nunc demùm in ijs verus humanitatis, non modò pietatis cultus eniteat, idque palam iam omnium iudicio confirmatur. Ea sola res, vt diuinum est

Digitized by Google

benemerendi ſtudio inuidiam propulſare, facilè inuidorum contumaciam fregit, omniumque in nos vel ciuium, vel externorum beneuolentiam, admirationemque conuertit. Itaque omnis iam obtrectatoribus adempta facultas nominis noſtri contumelioſiùs vſurpandi. Vocantur à vicinis oppidis ſummo ſtudio noſtri ad exercendum Chriſti nouale. Sed cultorum inopia laboramus; non enim amplius duodecim è Noſtris hîc habent.

PROFESSORVM DOMVS BENEVENTANA.

BENEVENTI nuper inſtituta Profeſſorum domus maiora in dies incrementa ſuſcipit. Magna eſt Archiepiſcopi beneuolentia, & liberalitas erga nos: is ædes nobis ære ſuo coëmptas in optima vrbis parte ad habitationem dedit. Bibliothecę ſuę partem nobis aliquam donauit, reliquum quod eſt librorum, id quoque deſtinatum nobis eſſe affirmat. Hîc munera Societatis in primis ſalutaria fuêre non ſolùm vniuerſæ ciuitati: ſed vicinis etiam oppidis, quæ à Noſtris concionatoribus peragrata multum lucis acceperunt ad diſpiciendam veræ ſalutis viam. Puellæ in extremum vitæ diſcrimen adductæ quidam è Noſtris ea dexteritate ſubuenit, vt ſacræ confeſſionis beneficio etiam periculum necis imminentis auerterit. Nec minori fuit exemplo extinctum noſtra opera graue quoddam fraternæ diſſentionis incendium. Caſus conſcientiæ in æde maxima explicari cœpti ſunt à quodam è Noſtris, quæ res tùm propter eius diſciplinæ vtilitatem atque præſtantiam: tùm propter Doctoris egregiam facultatem, Societatis noſtræ nomen apud omnes ciues mirificè commendauit.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA LVSITANIÆ.

QVI superioris anni litteras scripsit, reperit in albo duos & sexcentos, totidemque retulit duodecim in domicilijs fuisse. Triginta illi numero nunc fermè addidissem, nisi mors viginti quinque sustuliſſet, quorum pars maior sæuissima grassante per Lusitaniam pestilentia extincta est. Sed duo & triginta denuo recepti illam iacturam resarcire potuerunt, & plures admissi non sunt propter acerbam temporum conditionem. Quot verò singulis in locis vixerint, hoc in exordio explicari nequit, cùm ob pestilentiam sæpè ab suis sedibus in alias incolæ commigrarint. Accreuit Prouincia noua sede in veteri Turdetania, quam suo nomine vel Domum, vel Collegium nuncupabimus, cùm qua appellatione erigatur, apertiùs constiterit.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA OLISIPONIS.

DIVI Rochi Professa domus Societatis nostræ in Prouincia Lusitana propugnaculum, lætis temporibus ciuium, totiusque Nobilitatis ad quærendam pietatem grata sedes, hoc tristi, & luctuoso anno quoddam perfugium miserorum, habuit Sacerdotes omnes ferè, qui anno superiori, & eosdem coadiutores. Et initio scribendi veniam peto, vt si omnia quasi tabe contacta retulero, non propterea Nostri acerbè ferant, quasi alia litteris potuerim mandare, quæ animos audientium à lachrymis funeribusque auerterent. Sed vt pestilentia ea est, quæ cæteros morbos dùm ipsa peruagatur ad se trahit, ita quæ hoc anno gesta sunt, vix quemquam scribentem potuissent ab huius mali contagione vendicare. Ita omnia pestis in Lusitania occupauit.

SEPTEMBRI huius anni exeunte externi mercatores nauim Olisiponem appulerũt, & fama est Galleciæ oram, & portus tenuisse, quo tempore ea Prouincia pestis incendio deflagrabat, incuria fortè magistratuum, & auiditate institorum raptæ in terram merces, spiritu incluso erumpente, proximos afflarunt. Isti cum secum ignari detulissent, eos quibuscum agebant quodam pestifero contactu percusserũt. His initijs clamcularijs incessit, donec Octobri mense aperta contagio se prodijt, & homines intellexerunt Olisiponem à pestilentia captam. Cùm Magistratus pestem se inuehentem Vrbis regionibus apertiùs intuerentur, rati maturanda esse præsidia, quibus tanti mali vim arcere possent, frequentes Domum Diui Rochi ad patrem Præpositum venerunt: exponunt Vrbis periculum

periculum, paratis iam rebus necessarijs, aiunt, opportunam sedem esse delectam, (Salutis appellant ædem) orare vt Nostri eam partem iuuandę Ciuitatis capessant, eoque mittantur, quorum esset prospicere hominum saluti, qui ab vrbe tacti pestilentia in eum locum deferrẽtur: è publico danda omnia quæ viderentur opem allatura, ita sperare se, vt probitate & diligentia nostra amplissimè Ciuitati de nobis optimè semper meritæ consuleretur. Addit pater Præpositus, nostri esse proprium instituti animis opem ferre, ad hanc rem minimè Patres ex ea domo defuturos, ad ipsam Salutis ædem ituros qui opus essent ad eorum confessiones excipiendas, qui vellent se expiare. Alia non esse cur à Societate postularent: accipere enim pecuniam, eam largiendo diuidere, curare cibum, & medicamenta ex albo ciuitatis, aliorum opus esse. Quòd si Societati traderetur, præterquam quòd ad animos curandos impedimentum afferre posset, aditum suspicioni aperire, præsertim cùm ea res non esset maleuolis caritura, qui pecuniam malignè tractatam affirmarent. Non displicuit responsum Magistratibus, & verò ea res saluti fuit ciuitati: nam si Nostri eò non iuissent, fortasse destitutæ intra mœnia multitudini nemo præsidium attulisset, & fama Nostrorum laborasset. Fuit igitur vrbs ipsa Prouincia Nostrorum ad exercitationem patientiæ, & charitatis. At cùm ego per id tempus Conimbricæ agerẽ, vbi intellexi quo in periculo versaretur Olisipo, ad patrem Præpositum scripsi, vt quos ipsi videretur domi retineret, alios emitteret in oppida tutiora, & agendo nostra, se accolis præberent fructuosos. Ille secundum hæc mandata se vnum imprimis esse voluit, qui locum non mutauit, alioqúe delegit tempestatem eius temporis vnà subituros. Nec defuêre Conimbricæ qui inflammato desiderio ne conuenirent, offerrentque prompriſſimè seipsos, orantes vt concessa facultate, fine-

Digitized by Google

rem Olisiponem proficisci, daturos se operam Reipublicæ, quoad ipsos Deus incolumi vita in ea acie versari pateretur. Cæterùm cùm atrox pestilentia ita sæuiret vt iam in dies singulos ducenti à morte raperentur, atque inter ista funera, ea esset rerum necessariarum indigentia, vt si Nostrorum labor, & industria deesset, multo plures appareret morituros, Pater Præpositus proximè D. Rochum ædes comparauit, in quas aliquot Sacerdotes, & Fratres coadiutores amandauit, vt inde tanquam è præsidio in vrbem irent, ad eos iuuandos, quos pestis perculisset.

ET quoniam Olisipo communis quædam aliarum Nationum patria habetur, vbi præter Hispanos, Itali, Galli, Belgæ, Germaniique, & Hiberni, vel habent domicilia, vel mari gratiâ mercaturæ commeare solent: eò etiam missi sunt Patres aliquot earum linguarum periti, quas illi externi homines vsurpant eosdem vt confitentes audirent. Lustrabant Nostri non propinquas modò vrbis regiones, sed etiam suburbana loca, ægrosque latentes suis domicilijs quærebant ad animorum expiationem: se enim clam suis tectis continebant, ne forte deprehensi in ædem Salutis quam perhorrescebant adigerentur, aliaque incommoda perpeti cogerentur, quæ Magistratuum imperio erant subeunda. Quamobrem ipsi etiam ægri noctu vt poterant irrepebant, & ad Nostros veniebant gratiâ animi expiandi, ne si die facerent, caperentur. Crescebat in dies mali vis, & funera passim vulgabantur. Hic quinque viri, penes quos regendi regni erat authoritas extra vrbem nouem millia passuum abiêre, eos nobilitas secuta, & qui diuitijs pollebant ciuitatem deseruêre, præter religiosos homines non multos, & plebeiam multitudinem, cui euadere fugiendo per inopiam non licebat. Hæc colluuio perniciem auxit, nam cum in eam pestilentia inuasisset, vias publicas ægrotantium

Digitized by Google

tium impleuit. Iacebant in nuda humo intra fornices, qui visuntur in amplo illo circo, vbi regium est Nosocomium, & illa platea mercatorum frequentia celeberrima ex vtraque parte arcuata habebat ingentem numerum miserorum, quos egestas, & atrocitas eius flammæ eò compulit. Morientium solitudinem, & orbitatem difficile est narrando explicare. Perantiquus domus professæ accola, quem vnum ex designatis pestilentiæ incendium non afflauit, testis earum calamitatum, quæ elapsis retrò annis Lusitaniam oppresserunt, quantum meminisse poterat, aiebat nihil ita Olisiponem miserandam reddidisse, cùm præteritorum malorum spectator fuisset, & notasset, quæ bello, quæ fame, quæ alia furente lue contigissent. Deportabantur semimortui in Salutis ædem, sed cùm ita iam ibi ad duo millia creuissent, cùm neque locus esset, neq; lecti quibus iacerent, ante ipsas fores relinquebantur, & expirabant, priùs quàm humanæ curantium vires, etsi studio pio accensæ, opitulari possent. Hac de causa in ipsa Vrbe iam Magistratuum voluntate, & sponte sua manebant fermè omnes. Pater Præpositus ne vis morbi, quam humana consilia non reprimebant, vt etiam animorum saluti obsisteret, dedit operam, vt templo semper aperto sacrificia essent, Patresque, qui confitentes audirent, Eucharistiamque præberent, quo bono incitabantur quamplurimi, & frequentes veniebant, vt si corporibus remedium non esset, illa tamen ope diuina animi leuarentur. Ibi sacrificante Sacerdote sacram hostiam attolli cùm videbãt, pacis diuinæ exposcendæ causa lachrymis, & suspirijs agebant adeò piè, & religiosè, vt vero dolore viderentur se damnare, & spem in diuina beneficentia collocare. At domi ad leniendam iram cælestem placamina crebra erant, ieiunia, preces, flagella. Habebatur item supplicatio horis nocturnis, qua per il-

Digitized by Google

las pergulas, ossa diuorum immortalium è loculis prompta ferebantur.

HAEC domi factitabant Nostri, bona cum spe pacis diuinæ obtinendæ, & foris prouidebant, nequid quod ab ipsis esset in remedium plebis afflictæ, præterirent. Fugerant plurimi Curiones, nec erat, qui populo sacra ministraret, visum Antistitem qui etiam aberat admonendum: ille gratias egit ijs qui rem exposuerunt, & edicto proposito declarauit se loco moturum eos, qui non redijssent, quique suo fungi officio recusarent. Redière multi, quos cùm Nostros intrepidos animaduerterent inter eam flammam impunè decurrentes, puduit cessauisse. Et bonæ spei, animique pleni statuerunt agenda sibi quæ deberent: Ipsum verò Deum qui Patres Societatis incolumes seruabat, se quoque seruaturum; aut si morerentur nihil accidere posse ad immortalitatem consequendam magis opportunum. Prodierunt hinc illi bene animati, & prælatis faculis ardentibus ad ægros more nostro accedebant, eisdem expiatis, magna cura Eucharistiam porrigebant, animaduersumque postea neminem ferè sine diuinis mysterijs obijsse.

CAETERVM aduersus inopiam malum aliud atrociissimum se pater Præpositus armauit. Ne extingueretur inedia pauperum multitudo diligenter procurauit. Quatuor è Nostris paratos cibos horis penè matutinis diuidere incipiebant, vespertinis penè absoluebant, & eorum fuit ratio habenda qui se suis ędibus tenebant, quorũ par erat indigentia, sed à publica ope petenda existimatio famę, honorq;, & verecũdia arcebat. Inter quos non pauci habebãtur, quos sanguinis nobilitas decorabat, quibus cocti panis sua portio distributa saluti fuit. Et postea cõstitit neminem ex hoc albo subsidio isto adiutum perijsse: qui si non perijssent è pestilentia, quæ nulli formæ mortalium parcebat, exhausti tamen fame contabuissent, quando

Digitized by Google

quando ipsis nihil aliud remedij suppetebat, hoc excepto, quo à D. Rocho iuuabantur. Ad illos autem qui per fornices iacebant cibi etiam ferebantur; trahentes ægrè animam Nostri dulciori esca recreabant, valentibus orizam cùm butyro coctam porrigebant. Interea fuit eorum quoque habenda cura, qui carceribus attinebãtur, & Hispanorum, qui in custodia erant, in quos tanquam homines externos necesse fuit expromere humanitatem. Item cum intellectum esset in publica Salutis æde penuriam esse rerum, quæ recreandi, reficiendique gratiâ ęgris præberi solent, deesseque è lino fascias ad obligandæ vulnera, dãte Patre Præposito eò sexaginta pondo sidonitis succulentæ, totidemque capsæ sole duratæ, comportatæ sunt; & liba mensis locupletiorum appetita, cibique nobili ex saccaro conditura, sarcinæque telæ lineæ vsu iam detritæ in vomicarum ligamenta. Et viri longè optimi, qui ædem illam tuebantur instituto vitæ religiosi, cùm manus in cælum sustulissent, grates egêre Deo, & Societati, à qua tam matura liberalitate iuuabantur.

QVID priuatim dicam collatum nobilibus, in quorum tecta morbus, & fames penetrarunt? quid puellis, virginibusque adultis? Societas erat Olisipone, in qua est vulgi nemo, omnes patricij, aut honoratorum ex ordine gentiles: erat vsus instituti, vt qui præessent, matronas adirent viris destitutas, & virgines in orbitate relictas à parentibus, qui viui aliquando illi Societati nomina dedissent, ijs vt ęquum suis legibus arbitrabantur, pecuniam octauo quoque die diuidebant. Discessêre huius operis ministri, pestilentia fugati: illæ verò subsidio priuatę exanimabantur. Sed eas cura Nostrorum non deseruit, & remedium inuentum, quo tanto sine dispendio alerentur. Magistratus porrò, qui insigni pietate, ac diligentia dabant operam ne penitùs ciuitas arderet; iterum ad Patrem Prępositum venerunt; rogant vt quando omnia à

Digitized by Google

Noſtris quemadmodum opportebat curabantur, acciperent pecuniam è publico ęrario, quam ipſi numerarunt, & per Vrbis regiones illis darent, quos indigere ſciebant. Ille concedendum exiſtimauit ea conditione, vt aliquis ab ipſis deſignatus adeſſet, qui quantum pecuniæ cuique daretur à Noſtris, ipſe in commentarium referret, nequis poſtea malitiosè argentum publicum perperam expenſum quereretur. Impleuit ea res Vrbem hilaritudine: & ſinguli in laudanda Societate ſe effundebant.

NEQVE verò domi erat otium cùm aperto templo manè, & à prandio Sacerdotes præſtò eſſent ad eos audiendos qui confitendi gratiâ veniebant. Quorum non eſt facile multitudinem recenſere, qui totius vitæ improbitates, & ſcelera euomuerunt. Et multa ſanè euenisſe conſtat, quæ ſi narrarentur paginas multas impleuiſſent. Virtute præditam perſonam commemorant Noſtri fuiſſe, quæ ſtragem contemplata, ſolitudinemque & orbitatem, precibus à Deo contendit, vt ad exercitationem patiendi aliquid ſibi præberet occaſionem: voti compotem cùm feciſſet, & manè ſe ægrotam percuſſamque ſenſiſſet, quamquam magnis doloribus vexabatur, foras tamen egredi coacta eſt; ad aliquem quærendum, qui venam ſanguinis aperiret. Ad veſtibulum D. Rochi cùm veniſſet, puerum vidit ętate ſeptennem, forma oris perelegantem; rogat an ſciret qua in parte Chyrurgus eſſet, quique ſanguinem è venis elicere ſoleret: Puer contrà? abi domum, inquit, me peritum eius faciendæ medicinæ artificem habebis: conſecutus abeuntem pedem facilitate mirabili tractauit, obligauit, & euentu ſingulari quantum ſatis eſſet ſanguinis aperta vena hauſit. Illa cum pretium dare vellet, puer recuſauit, ſe eum non eſſe dixit, qui tali ex opere mereret. Sequenti die eadem doloribus oppreſſa ad D. Rochi impluuium properauit, ſuum chyrurgum inuenit, vocatum ſecum detulit, & repetito beneficio incolumis

lumis euasit. Certum est puerum illum postea conspectum non esse, & quæsitum quisnam esset, Nostri in dubio rem istam reliquerunt. Alij Angelum custodem; alij D. Rochum vt dicerent conijciendo animis inclinabant.

QVID casus alios exprimam scribendo? qui si miserationem faciunt audientibus, videntibus à tristi spectaculo oculos auertissent, nisi charitas adesse coegisset. Euocatus est vnus è Nostris in eam domum, in qua matrona iam mortuo coniuge penè expirans iacebat, vt eam confitentem audiret, eodem lecto liberi duo parui affixi laborabant, quorum alter paulò ante efflarat animam, alter iam trahebat. Nec propterea tot funera lamentata, sui oblita confiteri destitit. Aggressa rem suam egregiè perfecit, cùm filius in ipso confessionis medio moreretur: Ita tribus funeribus non attonita, ritè tamen expiata, oculos in cœlum tollit, gratias Deo agit ea pietate, & tolerantia, vt pater ipse, & vicini hinc animum virilem, inde Christianam patientiam in fœmina mirarentur. In hanc vrbem nescio quis homo puellam honestissimo loco natam furto abduxit; hic ille peste correptus interijt: puellæ verò cum præsidij inde nihil, nisi vnius Patris industria succurrisset, malè fuerat pereundum. Hunc ipsum quidam in locum detulêre in quo mater filias septem habebat, omnibus extremæ penuriæ erat malum, cum sæpè nihil esset, quo ieiunia leuarent: opitulatus monuit seuerè, ne quid improbè de se statuerent: se operam daturum, ne propter inopiæ iniuriam causari possent ignominiæ ætatem obiecisse. Inter hæc annosa mulier procliuis in eas artes, quibus illa ætas fascinatione quadam iuuenes fœminas pellicit in flagitium, orbam puellam illius rudem improbitatis fefellerat, persuaserat vt se euntem sequeretur quoddam in cœnobium, ibi inueniendum apud quem se solaretur confitendo: in via blandiri cœpit, & pudicitiæ insidiari, sed indignitate rei, & verecundia mota co

Digitized by Google

ta comitem deseruit, ad Patremque se contulit, quam cùm confitentem audisset, adhortatus vt constanter virtutem coleret, viam aperuit, qua honestè victitaret. Et mirum sanè grassante peste atrocissima huiusmodi fuisse pestes, quæ tam improbè castitatem hostiliter adorirentur. At mulierem anum, iam non vnam eius sceleris auctorem doleremus, nisi fuissent, qui propter sacri ordinis dignitatem ab hoc flagitio multò longius abesse debuissent. Et fuit, qui modestiam simulando mulierem honestissimam conuenit, cuius in Indiam maritus nauigarat, quam multa ex penuria perferentem prouocauit, testatus se omnia abundè suppeditaturum: hęc vbi malam voluntatem intellexit, ab se repulit iratior, & cùm factum Nostros docuisset, per eos confirmata, & ope subleuata vitæ honestatem prætulit omnia turpiter pollicenti. Multos qui viuebant in pellicatu aggressa pestis horum scelerum vltrix, agitauit, & ad inferos, vt credi par est, detulisset, nisi Nostri eorum animos præripere contendissent, quando corpora sua esse Libitina testaretur: etenim ab Antistite obtinuerunt, vt hi quocumque iure possent, inirent cum pellicibus matrimonia, vt saltem à coniugio in sepulturam irent.

QVAM qui ista legunt fuisse vrbis olim pulcherrimæ formam, quam speciem existimabunt? cùm mortuis vix sufficerent sepulturæ, viuis occurrerent funera, triste silentium esset, & mœsta solitudo, cùm plerique omnes pauperes egena corpora humi prostrauissent, qui domos haberent, in luctu versarentur, & fugerent colloquia aliorum, qui consolarentur nulli apparerent, nulli qui redderent salutem, nulli qui salutantibus darent responsum. In hoc publico mœrore cùm pater Præpositus videret Religiosos, qui sua cœnobia tenebant, mœstitia non carituros, misit qui eos salutarent, bene sperare iuberent: offerrent operam, si eam suis rebus commodam arbitrarentur.

Digitized by Google

tur. Illi lætiores ea commoditate, gratias agere, agnoscere charitatem, laudareque quòd tali tempore inter tam graues procellas, à quibus liberi non essent, sui recordarentur: hæc potuisse ab D. Rochi præstari, miraculo haberi debet, cùm redditibus non alatur, & stipem quæritando victitet ciuium liberalitate. Et spes illa in diuinæ bonitatis thesauro fixa destituisse visa nunquam eos, qui se ipsi alendos credidissent. Ac propterea fratres, quibus corrogandæ stipis munus est, officium non deseruêre. Ibant vt alio tempore solebant, petebant, dabantque si non opulenti, qui euolarant, illi saltem fortuna tenues, qui aspectu Nostrorum læti ab se auferebant, vt tam benè de se meritis recula aliqua subleuarent. Notatumque est eo ære, quod olim angustum esse consueuerat, amplificante Deo suppeditata omnia: neque nostris victum, neque rem aliam defuisse: quin etiam amici ex ijs locis in quos temporis acerbitas propulerat, miserunt, & quæ vsui nostris essent, & quæ egentibus dari possent. Neque tacendus amor, & insignis beneficentia fœminæ amplissimæ, quæ pro salute, incolumitateque Nostrorum vota nuncupauit; pollicita si incolumis reuertisset, pro singulis viuis quos ipsa nosset, totidem in custodia publica detentos annum integrum cibis alituram. Itaque eius voti cùm se ream fateretur, & esset qui commutandum censeret, se exolui eo modo religione recusauit, & viuam Deo præstituram sperat, quod ex voto deberet.

CONFLAGRANTE ergo ciuitate cùm Nostri in ea flamma intacti hactenus seruarentur, neque triumphis careremus, diuina voluntate, paucos illud incendium extinxit. Laurentius Ortogius Belga gente afflatus interijt. Virum eum Nostri existimarunt numerari posse cum ijs, qui primi fidem orbem docuerunt, quem nemo contra tendendo obtinebit, quin vera soboles, atque germana Societatis dici possit. Morbum contraxit à suis Belgis, quorum

Digitized by Google

quorum iussus erat animos curare. AEgrum qua potuit diligentia,& charitate Pater Præpositus seruare contendit,porrecta valida medicamenta; tertio tamen die à morbo in superos euolauit. Vtilissimum illi genti fuisse constat.Festis diebus cogebat omnes:pietatis Christianæ non elementa modò,sed cætera explicabat. Belgas, Gallos, Germanos confitentes audiebat: plurimos perfidiæ nota maculatos ad fidem reuocauit.

POST hunc,Emanuelem Laurentium fratrem coadiutorem formatum eadem morbi vis extinxit:comitabatur Patres, qui vrbem percurrebant, ijsdemque magna charitate ministrabat:laude obedientiæ, boniqúe nominis insignis, consecutus omnium laborum præmium ea morte videri debet.

TERTIVS occubuit P. Ioannes Olingo, patria illi Hybernia;mali vis quatuor perniciosis tuberibus exanimauit; sanctissimè vixisse semper animaduersum. Quo tempore D.Rochi domum habitauit, externarum Gentium homines, qui venena perfidiæ ebiberant, fidei Ecclesiçque restituit. Seminarium Olisipone est Hybernæ iuuentutis,puberes,& impuberes ab domo profugi huc se conferunt:malunt apud Christianę fidei cultores exulare,quàm apud suos in re tanta periclitari. Hos Olingus quacumque via poterat iuuabat, docendo frequens, & corporibus consulendo assiduus procurator.

QVARTVS peste sublatus Melchior Diaz intra D. Rochi parietes correptus eo malo expirauit, vixit pietate,& charitate commendabilis.

QVINTVS fuit Iacobus Dia, grauissimis doloribus ex ipsa natis pestilentia interijt. Cùm valebat Superiorem rogauit,vellet,iuberetque vt ipse ijs adesset,quos tetra lues perculisset:concessum vt Patri Olingo, & fratri Emanueli Laurentio mederetur,non dubium quin eos consecutus huiusce benificentiæ præmium acceperit,præsertim

Digitized by Google

sertim cùm obediendo is fuerit, vt Societatis germanam prolem semper se præstiterit. In hoc albo esse possent, qui his omnibus curandis adfuerunt forti, & ingenti animo cum scirent curationem periculo esse; quorum diligentia præter demortuos, alios qui ex eo malo non obierunt conseruauit. Viuant sibi, Societatique diuturni: suo tempore horum laborum, morborumque fructu consequantur: qui pestilentia tacti euaserunt totidem extiterunt quot demortui, erepti penè è faucibus ipsius mortis cùm propè exanimati iacuissent. Primùm beneficio diuino viuunt, deinde verò solicitudine, & vigilantia Patris Præpositi, qui rem nullam desiderari passus est, quæ possit in corporibus tam desperatis animam continere: Medicos, & Chirurgos optimos conquisiuit, qui tota Olisipone inueniri potuerunt.

AT sine corollario tam atrox inimica abijsset. Sebastianum Ionsaluum à peste liberatum cùm se Patribus per vrbem vagantibus comitem præstitisset, peracuta tandem febris abstulit: tribuenda mors diuinæ bonitati, ad se recipere volenti fratrem longè optimum, accolam D. Rochi perantiquum, boni hominem exempli, ingenio lenem, triginta annis emptorem, quem aliquando cõmotiorem alicui respondisse domi, foriſque vidit nemo. Eodem fere lethi genere P. Iacobus Vicira professus quatuor votorum ætate grandior, & viribus imbecillior diem clausit extremum, cuius inter cæteras laus hæc, cùm Lusitaniæ nobilitas illum præcipuè adiret vt virum grauitate morum auctoritateque pollentem, nihil auditum quo ipse videretur reprehendi, nihil factum, quod suę virtutis opinionem minuisset. Præter hæc omnibus, qui obierunt iusta de more fuerunt persoluta, & funeri cum humo mandarentur Nostri interfuerunt, ne quos in vita dilexissent, propter pestilentiæ formidinem sine funebri honore

Digitized by Google

honore ſepelirent: præcipuè cum digni eſsent, quorum noſtra poſteritas deberet alere recordationem.

SED peſtilentiam debacchantem parumper fugiamus: ad Indiam animum transferamus, expeditionemque hoc anno multis de cauſis memorabilem. Aprili menſe ſuperioris anni claſſis Indica è portu ſoluit: ea Noſtri vehebantur, iter tenuiſse arbitrabamur, cùm accepimus retrò vertiſse vela: mirari quidnam eſset: relatum, multò validiorem hoſtium claſsem viſam cum noſtra nauali prælio dimicaturam: & verò ita erat, nam cùm Batavi per hoſce annos in Orientem nauigaſsent, & Auream Cherſoneſum tenuiſsent, in inſula Samatra gentem inuenêre bellicoſam nomini Luſitano inimicam. Ea nouos hoſpites excepit, dedit inita ſocietate merces, piper, caſiam, chariophillum, cæteraque, quibus opulentæ illæ oræ aromatum fœlicitate nobiles abundant. Eo prouentu allectati cùm repetere eandem nauigationem vellent, metuentes ne è Luſitania naues conſcenderent lecti homines, qui eos ab India Proregis imperio adorirentur, conſilio militari ad fauces obſidendas quibus Luſitana claſſis euadit in Oceanum: venerunt armati: eo impedimento detentæ naues Indicæ proficiſci nequiuerunt. Cæterùm appetente vere huius anni refectæ quæ hybernarant, quæque denuò paratæ ſeptem prægrandium tamen nauium claſsem confecerunt. At obtinente peſte omnia, pauci dare nomina audebant. Et alijs annis ex familijs religioſis multi conſcendebant. Hoc cum fieri non poſſe crederent: quin ipſa peſtis in ſingulas naues eſset peruaſura, metu deterriti incœpto deſtitêre: & qui ituros ſe eſſent profeſſi, quaſi iam à lue raperentur nocte ex nauibus abiêre. Qui Reip. præſunt Luſitanæ lecti ab Rege Catholico, ab illis deſtituti, cæteriſque Sacerdotibus, cùm ire vellet nemo qui ægris, & morituris auxilio eſset, ad Societatem confugerunt: illam eſse quæ dubijs temporibus opitu

Digitized by Google

opitulari soleret: dandum quantum opus videretur: laxandas esse nostris nauium fores: irent Deo bene iuuante quotquot essent ex vsu Societatis: Eorum opera, & virtute seruari naues, & salua Goam peruenire. Viginti Nostri nominati bipartita expeditione nauigarunt. Septem ex Italia venerant, reliqui Lusitani, læti omnes, alacresq; profectionem susceperunt: nauigaturos ope diuina incolumes speramus.

IAM vis illa pestilentiæ mense Iulio remittebat, & illa vrbis deformatio desierat animos, oculosque intuentium offendere, luxque oborta sanitatis spem erigebat omnium. Eluxitque tandem ille dies Vrbi gratissimus, quem D. Rocho sacrum magna Religione, & hilaritate omnes ciuitatis ordines colere solebant: & hunc ipsum propter Diuum Tutelarem, & aduersus pestilentiam patronum celebrare studiosius ipsi etiam Magistratus voluerunt; accedebant studia incolarum, quorum animus in hanc domum multis est officijs testatissimus, & sperabant tanti Diui patrocinio pestis iram omnino exterminandam, quæ non modò vrebat quidquid amœnissimi prospectus habet hinc inde ripa Tagi: sed vlteriùs progressa cæteras vrbes, atque oppida demoliebatur. Instituerunt in primis præsides sodalitij Rochiani, vt pompa maxima, ipsi Diuo supplicaret Olisipo, & Magistratus Vrbisque Senatores præconis voce denunciare iusserunt ab Misericordiæ fano ad D. Rochi eundum quà iter esset populo supplicanti, & Diui simulacro fenestras, atque ianuas, contiguosque parietes festa fronde, & tapetibus ornarent: paruêrunt, & quo facerent animo deciararunt. Solet Olisipon in his rebus & pia esse, & liberalis: tunc verò sic vias, tecta, fenestras, vestibula, parietes exornarunt, vt redijsse videretur ille dies, quo celeberrimè effertur per vrbem Eucharistia. Arbitrantur præterea nostri Lusitani, non solùm grata esse Diuis quibus suppli-

Digitized by Google

cant,illa diuina scilicet quæ in templis ex maiorum religione fiunt: sed humana, in quibus ad studium declarandum est honestas, & quædam vrbana hilaritudo. Ergo plurimas variorum nominum Sodalitates sequebantur ludi,non scenici lasciuia improbi, sed domestici, & vernaculi ex illa antiqua simplicitate Lusitana,quam vtinam nostra hæc tempora retinerent:tripudiantes deinde ante Diui Rochi signum incedebant plures nobilissimæ choreę distinctę habitu,& artificio,quę pulsu pedum ad harmoniam aptissimè ludebant,recurrentes ad octophorum quo ipse Diuus vehebatur,quem non aliter respiciebant, quàm si ex cœlo venisset ad pestem effugandam.Recrearunt ista lepidiora ciuitatem, opportunaque fuerunt, vt qui tam acerbè doluissent, alacriori spectaculo leuarentur.Inter hæc vertebat in se contuentium oculos ludicra ad speciem saltatio,cuius partem alteram matronę ætate grandes cum lana,& colo tenebant;alteram viri ferro armati, corpore & gestu militari. Et prudentiores illam priscæ Lusitaniæ fuisse conditionem recordabantur, cùm mulieres fuso, & lino intentæ domum tutabãtur,viri foris agendo,aut rem augebant, aut militando gloriam sibi,regnoque pariebant:& illo habitu matronali damnari aiebant cultus peregrinitatem ab luxuria inuectam, qua & mores, & reliqua omnia iacerent profligata. Præter ista iocularia incedebat viua Olisipo eo vestis habitu cultu,quem pictoris ars, & manus vix posset æmulari. Aderant illi tanquam matri vtriusque sexus liberi,& qui duorum populorum referrent regiones eistaganus accola, & transtaganus. Lamentabatur vastitatem pestilentiæ:liberos tristi carmine ostendebat eo incendio ambustos:orabat D. Rochum vt quando tantum in cœlo posset,à Deo salubritatem impetraret; abigeret ab se, à finibus, à toto regno luem pristinam:restitueret lætitiam populo Lusitano.Et erat qui pro diuo responderet, opus

esse

esse vt homines peccandi licentiam cohiberent: id esse cœlestis iræ frænum. Addiderat etiam ad ornatum pompæ Angelum vrbis custodem, alterumque exprimentem eum, qui gladio ciuitatem percussisset. Extremo loco D. Rochi simulacrum octophoro vehebatur omni ex parte circumsepto impuberum caterua: ibant eo more adornati, quo Angeli fingi solent. Ipse verò sublimis ferebatur peregrino scomate penulatus: penula ex humeris pendebat ex auro, & purpura refulgens. Et tunc primum Olisipo vidit eam Diui effigiem à sua sede motam. Rex Emanuel sacellum olim vbi nunc domus est D. Rocho ædificauit, in eoque hoc ipsum simulachrum collocauit. Quintum & septuagesimum in sua sede annum egerat, & nunc ex illa prodijt vt pulcherrimum, ornatissimumque sacellum conspiceret in eo templo, cui ipse, & nostro domicilio nomen dedisset tutelare. Arbitrabantur spectatores alacri specie sibi visum tanquam è cœlo missum, quo pestem à suis cultoribus auersam procul ageret, terroreque, ac pauore pulso, redire in vrbem incolumitatem pristinam iuberet. At ea erat multitudo pompam comitata vt vix euadendi, & commeandi locus præberetur, tanta pietate, vt non esset, qui ex recentis memoria calamitatis non fleret, cum Olisiponem restitui videret. Colligebant agmen ipsi Magistratus, & Senatores; ipsa multitudo popularis vix ingredientibus locum dabat: angusti, & constipati in capacissimo templo stetêre: audieruntq; vespertinas preces, dignas eo loco, eo die, ea tantæ vrbis effusissima pietate. Sequenti luce vbi Sacerdotes sacris operari cœperunt, concionem habuit ille ipse Pater, qui triginta antè annis vrbem depopulante altera pestilentia, hoc ipso die concionatus est: dixit quemadmodum tempus flagitabat. Neq; verò accidisse temerè hoc vltimum narrauerim, sed magno numinis beneficio, vt homines intelligerent, quantum ad opitulandum D. Rochus è cœlo

Digitized by Google

posset. Ipso die à prandio venit quidam in hoc templum exhaustus ægritudine, macie, & gracilitate deformis, colore mortui similior, effudit se in preces D. Rochi, opem implorauit, domum abijt. Ibi hirudinem è faucibus imis reiecit; attulit eandem, vt aspectu sciremus omnes à qua peste ipsum D. Rochus liberasset. Mirati sunt qui viderunt, & ex notis intellexêre ex ijs esse, quas periti propter insitum venenum detestantur. Inualuit porrò collecta pluribus argumentis existimatio huius Diui merito & vim pestilentiæ fractam, & Augusto mense ferè extinctam, cùm medici principiò seriò affirmarent belluam teterrimam hanc pestem fore, neminem non deuoraturam: aduersus quam diuinam vnam bonitatem prædicabant auxilio esse posse. Demus medicis suum vaticinium: sed exitum inuenit tanto malo Dei optimi clementia, quę in verum vertit quod illi metuisse videbantur. Valuit sanè bonitas diuina deprecante D. Rocho, nec enim à Misericordiæ fano suaque sede in Vrbem venit, nisi vt salubritate restituta nunciaretur pacem rebus dari. Et nunc qui inter ardentem flammam versati grauissimos labores pertulerunt, quique domi manentes locum non mouerunt, & si vtiles confessiones audiendo, eorum qui ad templum veniebant, incolumitatis ergô, gratias Deo agunt, Virgini magnæ Matri, diuisque cœlitibus, quibus cordi fuit tot Patres, Fratresque euasisse periculum, memoriaque tenent beneficium, quod à cæteris Collegijs acceperunt, cum intelligerent pro D. Rochi domo sollicitos fuisse Nostros, & assiduos in Deo exorando, vt eam domum saluam esse vellet: solatioque id fuit in primis. Id agit à vestra Reuerēda Paternitate, quem sciunt aduersus has formidines esse precatorem, mandasseque cæteris Prouincijs, vt nos in Lusitania pestilentiæ malo pressos, haberent in Sacris, & orationibus commendatos. His auxilijs elanguit pestilentia, diuinitusque fugatæ successit

cessit incolumitas, quam explicato publico vexillo Magistratus ciuitatis inclamarunt vigesimo nono Augusti, vt quo die Ioannes Baptista truncatus celebratur, eo lues Herodiadi penè par iugulata proderetur. Desiderata censentur hominum quinquaginta millia, in salutis æde expensa aureorum septuaginta millia ex albo referuntur. Nostri sua inita ratione septem millia ad varias necessitates leuandas diuiserunt.

IAM mensis October sanitati vrbis lætior effluebat, quo ex mandato tuæ Reuerendæ Paternitatis erat habendus Prouinciæ conuentus, significaui eam rem omnibus Professis quibus esset ius conueniendi: ab suis sedibus venêre in D. Rochi domum designatam. Venerat etiam Ebora pater Petrus Fonseca Professorum antiquissimus, qui autumno caloribus ardente vehementius, per illud iter æstuosum si non validus, ac firmus, tamen, vt videbatur, sine morbo Olisiponem ingressus, cùm cæteris Patribus egit, quæ primis diebus in congregatione agi solent. Paucos inde dies pernicioſa illum febris aggressa est, vocati medici lectissimi, institére qua peritia valebant, qua potuerunt diligentia, sed cùm non remitteret ille ardor venas populatus breui, significauit curationem in corpore debili, annisque confecto, nihil esse valituram. Iacebat ille vir ante obitum deploratus, cuius periculo dolorem exprimebant omnes, cùm illum esse meminissent qui nemini non carus de omnibus bene meruerat, quem beneficentiæ laude prædicandum omnes, qui aderant commemorabant. Trium & septuaginta annorum illi ætas, quinquaginta in Societate vixit, à professione quintus & trigesimus is erat: cui vir esset ingenio, prudentia, religione, quamplurima testimonia declararunt. Is ille est qui eo tempore, quo Rex Ioannes optimæ memoriæ regium bonarum artium Collegium nobis sibi cariſſimis regendum moderandumque commisit, ostendit

Digitized by Google

in Societate esse, qui Aristoteleam Philosophiam tractare posset, eorum sublato desiderio, qui eas scholas habuerunt: quam verò ingenij facem magna laude prætulisset ætati dedit consequenti. Illam etiam vim mentis qua præditum cognouimus, ipsæ res, quæ per eum actæ sunt abundè declarant. Conimbricæ Rector amplissimi Collegij, Olisipone præpositus Professę domus, assistens Romæ extitit quoad vixit R. Pater Euerardus: postremò Lusitaniæ Prouinciam Visitator perlustrauit. Magni virum consilij, atque iudicij Rex Catholicus cum ex sermone grauissimorum hominum audisset, eum esse iussit, qui sederet inter Censores, quos ipse legit ad morum licentiam coercendam, & tabellæ testamentariæ, quam Maria Regis Emanuelis filia condidit tutorem cum alijs esse voluit. Quin ipse rex Philippus coram collocutus vnum Iaponibus dabat antistitem, & multa communicauit, quæ in Religionis vtilitatem redundabant. Romæ tribus interfuit generalibus Societatis vniuersæ conuentibus, & Pontifex Greg. XIII. fælicis recordationis multa illius fidei, integritatique credebat, cum Societati & Reip. sciret fidelem operam daturum. Animi porrò magnitudine sic excelluit, vt nulla rerum difficultate terreretur, quin quod videbat difficillimum, id agendo facile reddebat. Id quoque mirabile in viro tam occupato videri potest, sua statutis horis faciebat, orabat, preces Sacerdotibus indictas recitabat, libros acuentes studiū pietatis legebat, sacrum faciebat, tempus studiorum, componendique seruabat, vt vitam eius Solarium existimare quis posset, quod stata ratione horas indicaret. Virtutes deinde maximas non vulgari laude videtur habuisse. Prudentia cùm excelleret, domi foriſque ad consilium capiendum petebatur, & sine vllo vestigio elatioris animi dabat, & facillimè cedebat alijs cum ipso minimè comparandis. Nec propterea de sui existimatione quicquam

Digitized by Google

quam amittebat, quòd multi eius consuetudine vterentur, cùm omnes hortaretur qua via poterat ad virtutem, maximeque ad pietatem verbis excitaret. Valuit in animis à mœrore releuandis, in conscientiæ ærumnis mitigandis, circumuentis aliquo periculo liberandis, idque modestia singulari, & comitate perpetua, qua omnes complecti videbatur. AEgrotos assiduè inuisebat tanta facilitate, vt non sint, qui recordentur domi, aut foris cuiquam grauem, morosumve extitisse. Humanitatem verò quæ in viro nostri ordinis comprobatur, ita coluit, vt constet neminem vnquam illius verbo violatum, neminem habitum despicatui, neminem acriori dicto lacessitum. Taciturnitatis laude floruit, quæ silentio tegenda existimabat, non dicebat, quæ subditi peccassent non vulgabat. Quæ potuit solus emendare, exemplo B. Patris Ignatij, alteri non exponebat. Quæ videbat emendata sic ex animo delebat, ac si nunquam scisset perpetrata. Et deprehensos in errore, si facti pœnitebat, adeò amplectebatur, vt se in eorum amicitiam insinuare videretur. Ad se minimum quemque alliciebat, eundemque humanior solabatur. Charitatis officia in Lusitanos, peregrinosque exercuit, ad eum tanquam commune perfugium se conferebant Nostri, & externi. A fundamentis domicilium excitauit, quo reciperentur, qui à Mauritania in Lusitaniam veniebant animo religionis profitendæ: alijque barbari à fide alieni & misterijs instructi hic in domo D. Rochi sacro fonte lustrabantur, & ne egerent, à Rege vt pecunia singulis daretur, impetrauit, ijsque suum esset stipendium, qui istis moderarentur. Idem præcipuus auctor extitit alterius domicilij, quo fœminæ in frugem receptæ meliorem, continentur, magno ciuitatis bono & earum vtilitate mulierum. Addenda his illa domus ab eodem ædificata, qua virgines parentibus orbatæ viuunt, (& appellant Præseruatas) huic à conceptæ Virginis no-

Digitized by Google

men esse voluit, legesque dedit & obtinuit, vt in Misericordiæ nobilissima Societate tutela esset. Floret inter Parthenones ille, qui à Diua Martha nominatur primam disciplinam D. Claræ sanctissimè profitetur. Eum etiam bona ex parte fundauit. Et quia virgines puellæ in tanta Ciuitate desertæ morte parentum sine præsidio plurimæ narrabantur, & propter periculum ætatis, & inopiæ trahi poterant aliquando ad impura, domum his extruxit dato nomine à Virgine tutelari: effecitque, vt decem millia aureorum ad parandos redditus conferrentur, quibus illa ætas puellaris aleretur. Néve temporibus periclitarentur, si nemo esset, qui curaret, octo viros legit ex ipsa nobilitate, qui volentes eam rem sibi curæ fore reteperunt. Consilio etiam, & opere perfecit, vt sedes esset puellis destinata, quas Hispani milites, qui in præsidio arcis esse solent, in orbitate relinquunt. Et fuit hoc opus non minimi momenti: nam facilè cùm adoleuissent, ad turpitudinem trahebantur. Hiberni adolescentes frequentes per hosce annos Olisiponem appulerunt, hos inopes & pene naufragos P. Fonseca tutabatur, operamque dabat ne propter indigentiam de reditu, vel re alia tristiore cogitarêt. Ea de causa Collegium, & Seminarium extruxit, quod certum esset eius gentis domicilium: viuendi non modò istis rationem præscripsit, sed viros lectissimos, qui prospicerent, conquisiuit. Hisce beneficijs subleuati incumbunt grauiter in studium litterarum, & vitæ subsidijs non carent, vnde ætate, doctrina, & virtute validiores nauigabunt aliquando in Hiberniam. Obtinuit dante tua Reuerenda Paternitate, vt Sacerdotes nostri genti Itali, Belgæ, Hiberniique in Lusitaniam venirent, vt suos quisque iuuarent populares, quorum omnium multos habet Olisipo, & eam rem certum est plurimis salutarem extitisse, cum à Religione aberrantes in viam non pauci fuerint reuocati. Neque verò illud extremum in

laudibus

Digitized by Google

laudibus ponendum quod pro causa pauperum suscepit, voce, & scripto monuit. Quinque viros, qui Regis auctoritate rem Lusitanam gubernabant, quantum Reip. interesset non Olisipone modò, sed cæteris in vrbibus atque oppidis loco aliquo continere pauperes, alereque ne ipsi vagarentur in primis, & otium ortum ab ignauia tolleretur. Nocebant etiam moribus comœdi, qui aliunde veniebant, in scenam turpissima sæpè dabant, quibus adolescentiam inescabant. Pater Fonseca istis regni aditu interdixit. Mangonibus idem obuiam iuit, qui cupiditate pecuniæ seruitia à suo natali solo mari deferebant, quorum iniuria libertas miserarum gentium amittebatur. Ea de re doctissimè disseruit, iniecitq; Religionis metu, cùm diceret grauissimè peccare eos, qui seruos fieri paterétur, quorum erat propter Imperium tueri libertatem. Paucos dies ægrotauit, & nihil agente medicorum ope, in D. Rochi professus antiquissimus Professa domo expirauit, vir dignus, qui inter memorabiles ingenij, prudentiæ, religionis, cæterarumque virtutum laude collocetur. Quarta dies Nouembris vltima illi fuit; illis nempe horis matutinis quibus optabat emori, vt quamprimum sacrificijs, & fratrum suffragijs orantium iuuaretur. Mortuo ea fuit species, qua ij, qui in domino obdormiunt, intuentium oculos oblectant. Ruerunt in manuum oscula qui aderant, & lachrymis dolorem ex tanti Patris iusto desiderio expromebant: occurrebat non ætas, quæ suo curriculo fœliciter peruenerat ad metam; sed communis omniũ tanquã parens, qui sine sensu, sine voce, sine spiritu mortuus iacebat, qui viuus cõsolabatur omnes. At rumore de illius obitu peruolante, grauissimi quique viri non sine lachrymis ingemuerunt; Gubernatores Regni, ipsique duces, ac comites, cæteraque nobilitas officij sui esse putauerunt nostros consolari, & qui erant in Vrbe domum venire: absentes porrò litteris, & nuntijs expo-

Digitized by Google

fuerunt, grauem fuisse iacturam, quam non solùm nomine Societatis, sed totius regni deplorabant.

Quod attinet ad institutionem puerilem, & si iam nõ habet Olisipo Ignatium Martinũ præceptorem, dignum cuius memoriam semper alat, magistris tamen non caret. Et dant operam Nostri ne ea res, quæ tantum incrementi illo docente accepit, intermortua videatur. Viget id docendi Christiana rudimẽta studium, & vigebit, cùm sibi persuadeat vnusquisque plus esse in vna catechesi emolumenti sæpe, quàm in plausibili concionum apparatu.

COLLEGIVM D. ANTONII Archimandritæ.

SECVNDIORE S res in Collegio D. Antonij esse nequiuerunt, cùm omnia lues immanissima perturbasset. Illi duo & quinquaginta qui habitabãt dissipati, paucos domi reliquerũt. Luctuosus annus, atque funestus in prima fronte obijcit nobis funera. Pater Sebastianus Corderius annum ætatis quadragesimum expleuit, is viuendi finis illi fuit. Creatus Prouinciæ Procurator, causis singularem præstabat defensionem, quocumque erat in iudicio litigandum, eumque quod difficile in hoc munere videri solet, se præbuit viris principibus, & causarum patronis, atque aduocatis, vt omnes eum obijsse non sine tristi animi significatione doluerint. Sensêre causæ, & negotia demortuum, quæ hominem non modò expertum diligentemque requirunt, sed etiam ingenio mansuetum, atque tranquillum, vt propter trãquillitatem nihil temerè, & perturbatè

tè agat, propter diligentiam, & peritiam nihil omittat, quod ipsa negotia requirunt: ob hæc quæ in illo videbantur, Prouinciæ detrimento sanè fuit obijsse. Peste verò pater Calixtus à Motta è vita discessit: erat illi tractabile ingenium, & perfacile ad ea susciepienda quæ maioribus viderentur. Coorta pestilentia, ipse Rectorem adijt, obtinuitque vt liceret vrbem peragrare, & quos luc perculsos inueniret, confitentes audire. Itaque matutinus cum fratre socio sacrificabat, inde ad laborantes carpebat viam, neque solùm ad eos ventitabat, qui ipsum accersebant, sed etiam ijs opem assiduus præstabat, quos depositos, & omninò destitutos reperiebat: ita vir optimus decurrendo, excitando ægros, ad benè moriendum animando, inopiæ consulendo, nihil omisit vnde in albo eorum esse debeat, qui hanc prouinciam magno sui desiderio, & præconio tenuerunt.

HOC malo agitatæ res Collegij suum cursum habere non potuerunt in publico luctu ciuitatis, & insigni calamitate, rebus iustitium est indictum. Conticuêre classes, siluerunt conciones, missi in tutiora quorum non erat opera necessaria, precati Diuos Cœlites & magnum Antonium Archimandritam, vt interea suum Collegium tutaretur. Qui verò non discesserũt, ea quæ Societatis sunt sedulò exercuêre: nam Patres publicè aperto tẽplo sacrificabant, & confessiones audiebant, Eucharistiam ministrabant. At cùm finem Diuina bonitas his malis attulit, sopita peste mense Septembri, cum qui ad Collegium pertinebant remeassent, Octobri aperta sunt Gymnasia, & studia instaurata, & quamquam ea non sit frequentia, quæ bonis temporibus solebat: quòd iam quingenti auditores censeantur spes est tranquillata ciuitate fore vt iusto numero classes impleantur.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM CONIMBRICENSE.

SI pestis atrocissima Olisiponem afflixit, vrbemque pulcherrimam miserum in modum deformauit, ea ipsa aggressa quoque Conimbricam, suam exprompsit diritatem, & per minorem vrbem temulenta sanguine, quasi absumpturæ quicquid erat populi Conimbricensis incessit. Aditum illi homo vnus patefecit, qui Olisipone veniens auctoritate sui muneris, quod dicendi iuris quamdam haberet potestatem, inuitis Conimbricensibus in vrbem inuectus est. Is suam attulit scintillam, quæ cùm in fomitem incidisset, & vnum, vel alterum corripuisset, postea ita exarsit vt neminem viuum relictura videretur. Neque verò ea contagio ex aeris corrupti vitio coorta existimatur, sed ex halitu eius hominis, & eorum quos secum deportauit, siue oribus pestem efflarent, siue inclusam vestibus gererent, vt est opinio vero pronior, quarũ pestifero contactu vitiati, qui propiùs accessissent, ad se id veneni traxerunt, per cæteroſque vulgarunt. Repentè quippe ægri decumbebant, & è corporibus erumpebant strumæ vomicæque pestilentes, & breui percussos exanimabant. Principio verò contendêre multi pestem non videri, argumentariique ex nobis quæ à medicis, & libris proferebantur, & Pontifex vrbis Alfonsus Cælebranco, vir ingenio suo, animoque interritus, in hanc sententiam inclinabat, siue ita putaret, siue crederet dissimulandum, ne terrefacti ciues, plebsque consternata ab ipso metu vehementiùs quateretur, qui pestis signifer esse ferebatur. Ob eam rẽ ipse Antistes diutius in vrbe fuit, & aliquando totam

tam cum tubicinibus eques perlustrauit, vt incolæ excitati præsentia pastoris sui, & cantu tibiarum, formidare desinerent. Sed cum modò hic, modò illic conclamaretur, & ex domesticis eius Antistitis vnus concidisset, intellectum, non esse cur amplius eludendum videretur. Seriò ardere vrbem, arsuramque vehementius, ac fuga sibi quemque consulere oportere. Recessit ipse Pontifex, sedemque in Castello mari proximo collocauit, vnde quotidie scire posset, qui status rerum esset, & ipse, vt fecit magno animo, ac liberali, opem ferret. Interea in Collegio ducenti erant, Sacerdotes plus minus quinquaginta, Coadiutores septem & viginti, & Nouitij triginta nouem, cæteri magistri, & discipuli suis quisque litterarum studijs intenti. Qui esset habitus animorum in hoc acerbissimo vrbis tumultu non est cur litteris explicetur, nam constantia singulari nemo nisi pro animi salute trepidauit.

ET hæc sit prima laus Collegij Conimbricensis, in quo cum rarior sit senectus, & floreat adolescentia, sic disciplinæ legibus stabilis, & morigera est, vt non fuerit, qui inde euolandi facultatem postulauerit. Expectandum quisque putauerunt, quid Deus, quid ipsa obedientia de capite cuiusque statueret. Principium erat anni 1599. Ianuarius Conimbricam funestari vidit per eum hominem, quem dixi, quique suam audaciam paulopost ipsa lue, quam inuexit moriens expiauit. Et vxor magni, & boni animi mulier dolore facti se deuouit, ituramque in Salutis ædem Deo promisit, vt quoad pestis grassaretur ibi ageret, & malo laborantes omni qua posset ope subleuaret. Perstitit in incœpto constans mulier, & seruiendo, medendo, consolando vnumquemque, tandem eadem peste saucia extincta est. Hoc ipso mense duo ex Nostris Sacerdotes cum fratre coadiutore in Villam proximam commigrarunt, vt inde ijs succurrerent qui iam ægri

Digitized by Google

gri ad Salutis ædem trahebántur. Ineunte verò Februario fuga fecit vrbis solitudinem, quâ quisque potuit euaserunt. Deseruêre studia Scholastici, eoque celeriùs ne excluſi fama pestilentiæ à suis oppidis vi, & imperio suorum popularium pellerentur. Ipse ergo qui aderam cum Patre Rectore mente tractantes quantum lectissimæ nostræ iuuentuti vnius incluſæ parietibus Collegij, periculi immineret, primum externis omnibus consuetudine Nostrorum, occluso templo interdiximus. Et ne sacris, alijsque diuinis rebus Conimbrica priuaretur, breui aulam illam capacem accómodauimus in qua actiones litterariæ scholarum haberi solent. Ibi quotidie plures sacrum faciebant, & cætera quæ Nostri solent diuina ministrabant. Ad hanc operam nauandam populo Conimbricensi duodecim à cæteris segregati in vetus Collegium se receperunt, nihil cum alijs, nec colloquia quidem commune habituri. Tirones etiam in vicinum prædium amandauimus, veriti ne si impuberes viderent quicquam domi accidisse, metu terrerentur, in illa præsertim ætate, quę facilè visis funeribus expalleſcit: sed bene cum illis actum est: & menses quinque abfuerunt, suis semper exercitati legibus, habitique magna cura, ita vt intelligerent in ipsis nihil esse, quod vnos illi flammę, exitioque obedientia eripuisset, nisi quod vellet spem tueri, quam illa iuuentus afferebat, ne acerbè ante tempus concideret, fructumque tandem aliquando pareret, quo satisfaceret Societati tam benè de se merenti.

AT ego, ne à cursu rerum gerendarum, gubernandæque Prouinciæ retardarer, paucos dies extra Conimbricam agens cùm cómodum fuit Eboram me recepi. Neq; propterea quòd pestis in vrbem inuasisset, & desertam Academiam fuga reliquisset, feriatum à Nostris est, sed multo magis studia pietatis, & litterarum viguêre: nam Rhetores, Philosophi, Theologi, Mathematici suas scholas

Digitized by Google

las inter priuatos parietes habuerunt, vt verò intelligeremus nullam satis esse diligentiam ad pestem auertendam, etsi maxima solertia illi omnes aditus intercludantur. Nouitius cui nomen Emanuel Rodericus celerrimo mortis genere interijt. Non credidêre Nostri peste laborare, idcirco ægroto assidebât plures, sed cùm repente exanimatum viderunt, & vestigia mali non incerta, ne rumor tam aduersus omnium saluti reperet, clam sepelierunt: diuinitusque planè accidit ne pestilens ægri aspiratio hæserit ijs, qui vinum, mortuumque tractarunt. Quamobrem enixè procuratum, vt omnia cælestis iræ placamina adhiberentur, preces, ieiunia, verbera, cilicia. His armis ipso Deo mitiore pestem aboleri posse sperabant. Eluxit incolumi Collegio vigesimus quintus dies Martij: is repetit memoriam eius beneficij, quo legato Gabriele magna Virgo in parentem Dei filio quærebatur, eo in Virginis honorem tria sacra facta. Primum in recordationem Virginis nascentis: alterum in præsentis diei celebritatem anniuersariam: tertium ad repetendam memoriam eius gloriæ, quam accepit, cum reuiuiscens in cælum delata est. Et idem honor habitus antecedente ieiunio, cilicio, & flagellis. At horis pomeridianis circumlata imago est ijsdem lineamentis colorata, quibus D. Lucam pinxisse fama est: egregioque concentu sua peculiari nomenclatura virgo rogabatur, vt Nostros sanos, incolumesque seruaret.

CAETERVM cùm flamma vehementius exardescens popularetur vrbem: pater Rector in eam mentem venit, vt omni animi affectu Collegium magnæ Virgini, matrique committeret sospitandum. Et vota nuncupauit si incolume stetisset diem quem postea designaret totum in laudibus ipsius transigendum, epulumque quod à Collegio præberi posset omnibus Conimbricæ pauperibus se daturum. Interea mandauit, vt Sabbathis omnibus cum

cum cantu, & harmonia litania eidem sacræ Virgini ci-
ceretur, omnesque adesse voluit in genua prouolutos
cum facibus accensis. At ea hebdomada qua Christi pa-
tientis cruciatus recoluntur, omnia studia pietatis increuerunt. Implebant cœnationem qui se volebant macerare, hi in ipso solo prandere, illi pedes osculari, alij se verberare, ter dato signo orare omnes, adesse frequentissimè illis precibus, quibus vniuersa Resp. Christiana litat, in augustissimum Christi corpus oculos intendere, & argenteam pixidem contueri, qua per eos dies includi solet, theatro excitato. Quę etsi clauso templo fiebant, nihil accepêre minus quàm habuissent, si Academiæ, & Vrbi sua frequentia abundanti pararentur. Abijt Aprilis Conimbricæ funestus Collegio tamen innoxius. Secunda die Maij in honorem trium Diuorum Rochi, Sebastiani, & Antonij Lusitani, totidem sacra peracta, & vigesimo nono eodé numero instaurata. Primum magno Michaeli cælestis militiæ Imperatori, alterum Lusitaniæ Custodi, tertium Angelis omnibus, quorum in tutela essent, qui Collegium incolebant. Hisce porrò sacris cum facibus accensis, omnes etiam Sacerdotes interesse solebant: Fratres diuino pabulo reficiebantur, adhibito etiam vocum cantu, qui animos ad pietatem excitabant. Bis vno eodemq; tempore in ipso octo dierũ curriculo recurrente, singuli verberibus se castigabant, magno animorum fructu, vt ipsa opera pollicentur, magna etiam corporum salubritate, cùm funera ex ipsis fenestris crebra viserentur, & à Collegio sospitas videretur pestem expulisse. Itaque cum his officijs pietatis litari viderentur, omnia augenda ratis, vt quemque diem celebrem menses effluentes, deferebant: ita enim excipere venientem omni celebritate mos erat.

QVO die memoria est Ascendentis Christi in cœlũ, & à meridie ad horã primam omni quo potuit fieri ap-

paratu

Digitized by Google

paratu sacra Eucharistia è suo sacrario deprompta in ara collocata est, toto præsente, supplicanteque Collegio. Et illo ipso altari, qui corpori Christi Seruatoris est dedicatus, postquam sacrificatum fuit, ipsum Christi corpus magna pompa per Collegium circumlatum in sacello magno domi ornatissimè compositio est collocatum. Ibi horis integris quadraginta habitum. Ipse verò Christus Nostros haud dubiè audiuit expiato cœlo, finibusq; Collegij, cùm iam animis sentirent pestilentiam desæuisse, in posterumque ad nocendum parum virium habituram: Attulit tandem Augustus eum diem quo Virgo in cœlum abijt; lætissimum Nostri habuêre; & pestilentiam iam deferbuisse apparebat. Pridie ieiunium anteceſſit preces, & flagella. In ipso Templi aditu erectum est theatrum, in quo Virginis erat simulachrum in cœlum abeuntis sub aureæ telæ ditissimo conopæo. Subiecta luna pedibus visebatur, & in capite stellis aureis pellucens corona splêdebat. Effundebat se circum lucis nimbus, & radij solis præfulgentes. Ea erat denique species qua D. Ioannes refert magnum apparuisse signum. Plures Angeli circumstabant, quorum alij deferre videbantur euolantem: alij tamquam citharedi, tubicinesque, & cantores in gratiam abeuntis voce, fidibus, tibijsque canebant. Hanc ante aram longo temporis spatio Collegium se effudit in preces; cantores in laudem Virginis multa præclara cecinerunt. Cæteri præsentia pulcherrimi simulachri, & ipso cantu, suoque ingenio, & pietate commoti ardebant studio contemplandi, & plerique visi collachrymari. Ipso verò die patre Rectore sacrificâte pio cantu templum personabat, & mens fratrum, cœlestis mensæ mysterijs, & epulo, auresque hymnis, harmoniaque tenebantur. Accessit ardens, vehemensque adhortatio ab eodem patre habita. Illi ipse dies, & Virgo fuit argumentum, cui publicè coram ea concione gratias egit, quod creditum

Digitized by Google

ab se Collegium ipsa materna charitate à peste defendisset. A prandio cùm in eundem locum se omnes contulissent, prodiêre singuli, qui artem oratoriam discebãt, & suos versus memoriter recitarunt, quibus Matrem verè sospitam, & salutarem appellabant, eiusque beneficio Collegium ex impetu pestilentiæ, & lethi faucibus ereptum tribuebant. Secuti suo ordine Philosophi, quibus illa ingenij iucundissima fuit exercitatio.

AT Theologi ne à suo artificio recederẽt, in vtramque partem propositis quæstionibus in Virginis gratiam disputarunt. Primus in controuersiã vertit; Melius ne fuisset viuam sine funere iuisse Virginem in cœlum, an mortuam, & humatam reuixisse, è sepulchroque delatam? qui posteaquam more velitari in hanc, & illam partem suæ argumentorum tela contorsit, secutus sententiam quam debuit approbare, alteri ad differendum locum dedit. Hic argumentum suæ quæstionis esse voluit; An quæ à Christo Deo petebantur, suo proprio, an Matris nomine citior libentiorque daret? Cum iste peroraſſet, tertius inquisiuit: An spiritus beati, qui Virginis in cœlũ delatæ festũ diem celebrabant, materno magis honori applauderent, an sanctitati? At quartus ita proposuit; Aulàne vteri sanctissimi filium è cœlo venientem augustior conceperit, an ipsam in cœlum euolantem magnificentior receperit? Egêre magna dexteritate omnes, non tam aculeata illa ratione disputandi, quàm scholæ in publicis certaminibus affectant, quam eleganti eruditione licentiùs, atque liberiùs per scripturarum spatia, & Patrũm sententias euagando. Oblectarunt ista auditorem cùm ingenium, & varietas rerum appareret, suisque interuallis adesset cantus, qui numeris, & sententia omnes detinebat. Nec cœnatio egregia concione caruit, qua eiusdem diei lætitia ita terminata est, vt antiquiores dicerent nullum meminisse tempus, quo se possent dicere vixisse spiritu

ritu alacriore. At Pater Rector cùm ex hac parte voti religione se soluisset : quemadmodum altera curauit, ne cælo, ne Virgini ingratus non reddendo maneret postea commemorabo.

INTEREA dum Nostri inclusi parietibus Collegij, precibus & sacris perlitabãt, qui in Collegio veteri manebant, ventitantibus in nouum, téporariumque templũ, quæ à nobis requirebãt minimè procrastinãdo ministrabantur. Ex duodenis ne aliquem tanquam decumam inde pestis non haberet, patrem Arnaldum Crucium sustulit: vnde pernicies in eum impegerit non licuit diuinare. Ea porrò trigesimo tertio ætatis anno, decimo sexto in Societate confecto, candidum ingenio, moribus integrum, extinxit. At ille triumuiratus ductus in Coloniam non ad nouas sedes habitandas, sed ad arandum solum fossisque aperiendum, quibus morientium cadauera humarentur. Ille Societatem ornauit; laudibusque impleuit, cùm tres ita decertarint, vt vix credi possit tria corpora tantum laboris sustinere potuisse; & duo erant ętate grandiores, quibus si quies daretur, nemo non diceret benè collocatam.

INEVNTE Ianuario, vt dixi, in villam Collegio propiorem tres ex Nostris secessérunt, inde opem laturi ijs, qui ab vrbe tacti lue in Salutis ædem vehebãtur. Omnes tres incolumes ad Quadragesimæ ferè exitum vixerunt. Erant illa castra (sic locum appellabant) lamentantium plena, referta omnium malorum, quæ homines reformidant. Mors, & fames ęquè nuda & egena corpora laceffebant. Pater Georgius Tauora multus erat, & assiduus in ægris inuisendis, & iuuandis, eisdem sacra diligentissimè porrigendo. Et opinor operæpretium me facturum si priusquam narrem, ea quæ grassante pestilentia perpetrauit, maximas eius virtutes per capita recẽsuero, ad memoriam retinendam eius viri, cuius gesta non erãt

Digitized by Google

scribendo solùm ab obliuione vendicanda, sed præstanda, quæ olim boni homines solebant, cùm summo studio eorum corpora conquirebant, qui pro Christo Seruatore animam profudissèt: præsertim cum Tauoram sic discessisse opinemur, vt ab ijs non procul esse videatur, qui testes Christianæ fidei cruciatus perferendo extiterunt. Hic est ille, qui insigni charitate iacentes in publico, inediaque confectos in hospitia tollebat; hic qui miseratus nuditatem, corpora vestiebat; hic, qui ob squalorem tetra repurgabat; hic, qui capillũ pauperibus tondebat, qui artus deformatos vlceribus tractabat; hic, quem superioris anni litteræ docuerunt ex facto pulcherrimo sic Rectorem Academiæ perculisse, vt ab eo diceret didicisse quo pacto Christiana officia exercere oporteret; hic qui biennio ante mortem creatus spiritualis Coadiutor, agendo docuit, quorsum à B. Patre Ignatio Societati parente ille gradus sit institutus. Domi, foris, in Collegio, vnus pallium ex humeris non deponebat expiaturus numerum ingentem omnium ordinum, qui ad eum confitendi gratiâ properabant. Et nox illi non vacabat, surgebat quacumque hora, & pernoctabat: ibat ad eos, qui varijs casibus moriebantur, vultu quodam ad speciem ingenuo dato à natura vt domesticos & externos hilararet. Quicquid id fuit, hoc certum vltimis vitæ temporibus ardentius in eas actiones impulsum, è quibus non posset alia morienti palma, & laus concedi, nisi ea, quam magna charitas suis amatoribus procurat. Et si moris esset de mortuorum epitaphijs docere posteros, quæ, & cuius sint ossa condita sepultura, iacere diceremus rara felicitate, non ad vanitatem ementiendos laudis, sed ad veritatem virtutis condecorandæ, cineres eius viri, qui posset haberi ex optimis commilitonibus, quos aliqua memoria Societas eduxit.

SED quæ furente pestilentia egit, perstringam breuiter,

Digitized by Google

ter ; nè in vno laſſem vires, cùm de alijs non pauca ſint ſcribenda. Sunt qui recordentur de ipſo audiuiſſe, antequam Luſitaniam hæc inuaderet lues, optare ſe, quod ſine Dei offenſione,& Regni calamitate fieret, peſtem aliquam teterrimam in qua pro ſalute hominũ ſe deuoueret; parabat verò ipſe Deus(vt ex euentu credere par eſt) animum tam cupidum laborandi, cùm peſti locum dedit ſcelerum vltrici, vt corporum vita periclitante eſſet qui inexplebili iuuandi cupiditate ſe in ægrotorum morientium agmen immitteret. Ineunte igitur Ianuario oborta peſtilentia ſe contulit ad patrem Rectorem, non deprecaturus vt liceret ad id bellum proficiſci ; ſed ſuo quaſi iure eam prouinciam ſortitus extrema allocuturus acceſſit, adeò elato animo, & confidente, vt ipſe pater Rector ſe obſtupuiſſe fateretur. Abijt à Collegio cum Socijs optimè animatis, non diſſimili alacritate lætis, tempore quidem importuno, à ſua ſtatione tamquam miles arte velitandi exercitatus prouolabat, neminemque afflatum illo igne ſine confeſſione relinquebat. Creſcebat in dies mali vis, cui parè opponebat diligentiam, neque vinci ſe ferebat, etſi vnius hominis impar viribus onus videbatur: & quamquam ſatis laboris erat in ijs alleuandis, qui ex vrbe foras in oliueta pellebantur: tamen cum ſciret multos intra mœnia decumbere, moriquè, quos Sacerdos nemo confitentes audiebat, quia ægri ipſi verebantur, ne ſi accerſerent, detecti, mox in Salutis ædem raperentur, in hanc ſententiam litteras ad patrem Rectorem ſcripſit: Intellexi in vrbe eſſe plurimos, qui interire malunt, quàm prodere ęgritudinem: his non eſt apud quẽ onera conſcientiæ deponant. Si Antiſtiti ; & Magiſtratibus videbitur, poſſem in vrbẽ ire : incedam præferens vexillũ illo ipſo more, quo Veſpiliones, Sandapila mortuos efferunt : ita & vrbani ægri, & eiecti in exilium mihi erunt curæ, vtrisque animum, & voluntatem arbitror

Digitized by Google

non defuturam. Eadem in epistola hæc deinde: Nuper aliquot in hanc arenam deportatis, euocatus abij ab ipso prandio quàm celerrimè, in tugurio puerũ, & mulierem inueni, hanc quòd metus esset citissimè morituram statim audiẽdam putaui. Puerum viribus fractum cùm mouere se non posset, sustuli in humeros. Fateor appulsum sensisse naturæ reluctantis: sed stat sententia nihil omittendi, quod hoc officium in quo versor possit quoquo modo retardare. Testem huius propositi Deum esse volui, ille animum ad optandum, ille ministrat vires ad agendum; neque ab incœpto reuocabor, etsi repẽtino impetu pestilentiæ intelligam subitò moriturum. Ex his nõ est difficile cognoscere quàm promptus esset in animis hominum medendis. At parem afferebat operam in corporibus leuandis.

PAVPERES quos crudeli consilio, sed, vt videbatur, necessario, ab vrbe Magistratus depulerunt, eos cõplexus, vt poterat, alebat: frigore, & inedia multi perierẽ, perijssent multò plures nisi opem attulisset. Nõ defuêre nobiles, & opulenti, qui subsidia mittebant, & ille scripto Antistitĩ exponebat quo in loco res essent. Cæterùm cùm anni tempus per eos dies sæuum esset, & illa multitudo tecto careret, accederet præterea fames, & illuuies, necesse fuit vt passim animas efflarent in ipsa nuda humo ad oliuarum truncos acclinati; quamquam ipse Pater tuguria extrui curasset; issetque pedes ad materiam cædendam tria millia passuum, delatamque componeret, & suis manibus vallos figeret, sepiendoque teneret virgulta. At cùm pestis iam hos quoque inopes tamquam suas pecudes inuasisset, ne non confecti exanimarentur, persuasit, vt antequam infesta pernicies adoriretur, se ritè expiarent. Dolebat contuens illos vultus inedia haustos, illa corpora sine sanguine, & colore, languentem maximè pueritiam humano præsidio orbatam,

ob

Digitized by Google

obtinuit vt è suo victu partem detrahere liceret, detraxisset omnem si licuisset. Cùm pergebat ad Sacrum faciendum circumstabat euntium grex exanguis puerorũ, dabat equis portionibus diuidẽdo. Facto Sacro ægros inuisebat, qui confessione egebant: opera & voce vnumquemque leuabat. Hæc prædicabilem adeò effecerunt, vt de eo omnes tanquam de parente communi loquerẽtur, & harum virtutum odor ciuitatem recreabat. Monachum ex illo Diui Antonij Lusitani sanctissimo contubernio ijsdem in rebus operam egregiam nauantem, cùm Sacerdos noster vrbis curam agens (vt dicetur) offendisset, eum percontatus an pater Tauora valeret? respondit eum virum Societatis ornamentum esse, eumque videri dignum cui viuẽti publico Nostrorum cõsilio statua decerneretur. Deinde: Ne tu metuas, inquit, illo viuo quemquam ex illis quos pestis inuadet, sine confessione morituru.

TERTIO iam mense Conimbrica deflagrabat, cùm illum tandem cuiusdam moribundi cui assidebat venenata aspiratio infecit, aduolauit in Collegium acerbus rumor, qui ita commouit omnes, vt sensu quodam mœstiore doluerint, occurrebat non solùm Patrem omnibus charissimum periclitari; sed eo moriente extingui lumen quod Conimbricensem Ignatium vocabant populares, vt gloriæ esset Conimbricæ, quòd patre simili potiretur, & quem Olisiponi opponeret glorianti se Ignatium Martinum habuisse. Declararunt omnes studia in eum, cùm frequentes à Deo, à magna Matre, à Diuis cœlitibus ante aras precarentur vt euaderet; & pater Rector nullum neque diuinum, neque humanum distulit remedium, quo posset sospitari. Et in primis ab Antistite impetratum, vt in ea domo in qua esset, liceret Patri alteri superstiti sacrificare, vt victu cœlesti ægrotum reficeret, & recrearet. Tenuit dies quinque ægritudo tanta

Digitized by Google

patientiæ laude, aliarumque virtutum, quanta quis à sanctissimo quoque posset sperari. Illum denique viribus non robustum, sæuissimo morbo haustum, laboribus cõfectum absumpsit. Precari possem, & qui ista audierint adhortari, gratias vt agant, quòd ex nostro ordine vir talis curriculum vitæ confecerit, tot virtutum luminibus illustratum. Eum cum Sandipilarij efferunt ad proximũ sacellum eiulatu illa castra, & gemitu omnes in ea relegati impleuerunt, & si lapide litteris inscripto ex votis eius multitudinis sepulchrum fuisset occludendum, præter lachrymas quibus parentabat, legeretur ibi iacere omnium parentem, quos Conimbrica peste laborans eo in loco orbos exposuisset.

COMMOVIT ea mors Collegium vehementer; & secuta trepidatio, non ea qua consternati animi fugam capescere meditantur, sed qua excitati in ipsum periculum ruere contendunt. Accensi Patres, Fratresque certatim ad varia officia se obtulerunt, quidam rogabant vt liceret pergere ad curandos quos pestis vulnerarat: alij vt ijsdem escas medicinasque deferrent: alij vt eum locũ occuparent quem Tauora moriens reliquisset; hi & professi Patres erant, Fratresque Theologi, & Coadiutores præter Philosophos, & Rhetores, tanta contentione, vt celeritate, cursuque putarent impetrandum, si primi Rectorem postulando circumstitissent. Nec defuit qui syngrapho expugnare voluntatem seueriùs adoriretur. Ille quisquis est, ita tendebat: Tibi patri Rectori locum Dei occupanti offero meipsum, Tauoræ defuncti prouinciã habiturus. Agnosco me Deo debitorem, quòd ab Orco sæpius retraxerit, in quem vecors me deieci: & cum piacula quoq; ex scripto retulisset, ea propter, inquit, de me, Pater, quicquid iudicaris decerne liberaliter; fœlicitati tribuam, si obedientia mandante expiauero sepulchrum aliquod sordibus infame consecutus, quo nequeo meliore sepeliri:

Digitized by Google

fepeliri: fat erit propter Deum obſequendo interiiſſe. Interea duo illi, qui Tauoram comitabantur adhuc intacti, licet fractis penè, viribus animo tamen ad omnia perferenda anhelante, operam illis nauabant, qui per illa oliueta decumbebant, quiq; ad ædem Salutis pertinebant. Sed vrbs ipſa funeribus abundabat, & Noſtris atrocior iam conditio apparebat, quòd nemo eſſet qui ægrotis aſſideret, eoſque confitentes audiret. Deplorabat hanc ciuitatis orbitatem quidam Pater ea ipſa hora in iſta cogitatione defixus, dolebatque ex Societate non eſſe qui in illa acie verſaretur, cùm vocatus à Rectore de ipſo eodem audiuit, quæ paulo antè cogitarat. Viſum illi dandam hanc prouinciam, quæ in ſalutem multorum, & Societatis exiſtimationem redundaret: videret modò quem ſocium ſibi dari vellet. Cùm gratias egiſſet quòd rem optatam vltrò detuliſſet, de ſocio reſpondit malle ſe neminem quàm illum eundem fratrem, quem in miſſione ſuperioris anni comitem quatuor menſes habuiſſet. Et verò vbi denuntiatum fuit cum eo Patre ad peſtem abeundum, gaudio exiliit: abijt ad Rectorem expoſiturus nihil in vita iucũdius ſibi denunciari potuiſſe. Ergo tunicati ambo, & pileati nigra tela quæ oblita lomento & compreſſa, aërem non retinet, à Collegio exiêre. Noſtris vtrique vires precantibus & incolumitatem, egreſſi omnia loca vrbis perluſtrarunt, & voce quæ audiri poſſet denũciabant ſe adeſſe, qui vellent ſua opera vti, ſcirent expeditos, ſiue die, ſiue nocte mallent, non eſſe cur vocati venire cunctarentur. Ciuitas in communi luctu hoc gaudij, ſolatijque habuit, & verſa in Societatis laudes multa commemorabat: ſuos quiſque ægros alleuabant cùm adeſſe dicerent è Collegio qui confeſſiones exciperent. Euntibus ad arcem medicus honeſtioris loci obuiam iuit. Vos, inquit, Patres venerandi, proficiſci arbitrabar in caſtra peſtilentiæ extra vrbem, eò ſecuturus

Digitized by Google

ibam, vt quemadmodum animis hominum miserorum tanto vestro periculo opem fertis, ita medicus discrimine non minore corporibus mederer. Ea gratia vxorem, vnicamque filiam putabam deferendas, nunc quoniam intelligo agi rem in vrbe, en medicum habetis, pollliceor pauperrimo cuique quem inuisendum vobis cordi fuerit non defuturum. Adeò se sui proposíti præbuit tenacem, toto vt tempore mali sæuientis assiduum se præstiterit, & quacumque Nostrorum significatione ibat ad afflictæ conditionis homines, vt abijsset ad nobiles, & opulentos, à quibus posset aurum sperare.

EST prope Collegium fanum peruetustum Christo sacrum Seruatori, ibi ara cum signo Virginis cultę religione magna à populo Conimbricensi. Hic pater ortu matutino sacris operatus, ipsam Deiparam precabatur, vt tutela esset: inde vrbem cum socio lustrabat, & quemadmodum à Patre Rectore erat imperatum, ignem ambo facibus præferebant, incendique pyram mandabant, vt flamma aërem repurgaret. Hos in publico, illos septis, alios à feneſtris confitentes Pater audiebat, ad quas scalis erat ascendendum: in ipsas enim subire ædes læthale videbatur. At quando huius non erat locus industriæ, quod æger eo loco esset, à quo propter ægritudinem se agere nequiret, frontes signo crucis armabant eum arbitrantes munimentum, vbi nihil esset humani adiumenti. Numerare non licuit quot solo nutu, cùm aliter non possent se expiarunt: quique lethali somno consopiti, se excitarunt animo confitendi: quique insania vexati in breui sanæ mentis interualio expectati, vt præbita materia beneficium absoluentis assequerentur. Et ægri ex ipsis lectulis quibus affixi attinebantur, cùm Nostros vociferantes audiebant, & adesse se clamabant, qui nemini suorum respondebant, capita & oculos attollebant, læti quòd confitendi oblatam viderent facultatem.

Digitized by Google

tatem. Neque defuêre quibus ipsa expiatio saluti fuit, cùm lætitia animo concepta in corpus penè mortuum redundarit, eaque propulerit ægritudinem. Testabantur ipsi ab animi hilaritudine morbum effugatum.

AC dum Pater in ægris audiendis tempus terebat, socius ardenter singulos, plures, vniuersos, qui coibant admonebat cauerent studiosè peccata, inde bellum cum Deo inexpiabile moueri. Percurrebat vrbem, & discebat quibus locis atque vicis ægri laterent: Patrem orabat idem, vt mox quemcumque peste tactum, ad confitendum hortaretur, eum maximè qui in sequentem diem medicinam animi differret. Prouida namque mente diuinabat, illi vsuram temporis non futuram: & fuêre plurimi qui sui errore iudicij sine confessione perijssent, si importunitate victi Fratri nostro non cessissent. In his fuit adolescens, qui quamquam corpore affecto, tamen an ex peste laboraret, dubitabat. Anteceserat Sacerdos citatiore passu, recurrens frater reuocauit, ad eum orat vt retrouerteret, adolescentem vrget precibus, & obtinuit. Trahentem tempus, quid in singulas horas periculi esset, admonuit. Ille quanquam non putabat à morbo se vrgeri, tamen consilio parendum ratus, confitetur. At si non repentè, paucas tamen post horas efflauit animam. Infinitum esset singula scribendo persequi, sed omnia prœterire religio esse debet scribenti, ex vno cætera poterunt agnosci.

DIE dominica cùm pater in suo templo esset, & seriùs, quàm soleret, sacrificare vellet, impeditus antea cõcursu rerum multarum, adfuit qui diceret in extrema vrbis parte ad ipsam Mondæ fluminis ripam esse mulierem animam iam agentem. Pater ne tempore excluderetur Sacrum facere tendebat. Et nuntius assentiebatur: nam aiebat, & si iret mulierem iam exanimem inueniendam. Hic cum se vestibus componere ad sacrificandum

vellet

Digitized by Google

vellet, nullum habuit apparatum, & mox à templo abijt citato gradu, quasi trahente Deo,& viuam reperit,quam mortuam fore dicebant. Præsentia Patris videtur solùm ad confitendum reuixisse. Confessa magna spe immortalitatis obtinendæ expirauit. Qui in vibe percussi hoc malo detegebantur, seuero Magistratuum imperio cùm ducerentur in Salutis ædem,orabant portitores, vt viam facerent per ædes ipso tempore matutino, quo Patrem inuenirent, vt saltem expiati eò truderentur, vbi se scirent morituros.

HAEC quæ ad animos pertinebant indefessi Nostri procurabant.Verùm ad commune pestilentiæ malum accedebant multa, quæ reddebant statum ciuitatis lamentabilem : nam intolerandæ vis pestilentiæ non solùm sana corpora in funus præcipitabat : sed quorundam audacium efferauerat animos, quorum etsi oculis mors obuersabatur, tamen à scelere non auertebat. Nacti namque locum in tecta peruadebant, compilabant ædes,vestem, stragulam, & suppellectilem auferebant, & ne cum furto caperentur in oppida, vicosque vicinos deportabant. Infecerunt quicquid oppidorum est in Conimbricensi ditione, & longius hac maleficentia fortasse malum peruasit. Quin etiam alij vt sua seruarent clam secum detulerunt, eodem periculo nocendi,& paulò antè eiecti in salutis ædem, nec dum à plagis recreati repetebant vrbem,sanosq;,qui eos non poterant vitare,noxio corporum afflatu contaminabant. Ex his malis cum solus supereſſet compleratus eorum, qui mortuos prosequebantur, lati ocinia diripientium, fraus abeuntium, & redeuntium, fiebat, vt nihil nec publicè, nec priuatim quod saluti esset prospiceretur. Hic Pater non modò se optimum Sacerdotem ad expiationem animorum, sed Reip. amantem ad ista propulsanda ostendit, docuitque acriter contendendo verbo, & scripto legendos esse viros

Digitized by Google

ros impigros, quorum esset cum imperio tueri Vrbis regiones, arcere sceleratos, aditu hos prohibere, illos cum suppellectile abeuntes coercere. Venit in Vrbem opportunus qui præerat iuri dicundo: is cum hæc & alia magno animo præstitisset, Conimbricensi populo haud dubiò fuit salutaris.

CAETERVM cùm nec Nostrorum vires tot laboribus pares viderentur, nec pestis eisdem parcere decreuisset, modò hunc modò illum atrociter quatefecit, & Patrem sua habitudine succulentum grauiter adorta, Deo volente magis repulsa est, quàm medicamentis, quæ ab Collegio celeriter missa sunt: feria secunda ante Christi ascendentis solemne festum ægrotauit, pridie eiusdem diei conualuit, & cum socio illo ipso solemni die abijt in templum Seruatoris ad sacrum faciendum. In eo cum esset Socius, nomen illi Petrus Franciscus, tanquam maligno aliquo sydere correptus in solum ruit. Ad se cum redijsset, & non inani coniectura putasset eum sibi supremum fore diem, quo sacra Eucharistia potiretur, eam tanquam è vita discessurus accepit. Inde cum ægerrimè domum cum Patre reuertisset, vt paratiorem ad moriendum se præberet, totius vitæ labes confiteri pergit, & Pater testis lachrymarum expositi quantum virtutis in eo fratre toto vitæ curriculo ad extremum enituerit, deditque mox operam, vt quicquid adiumenti afferri posset ad morbum mitigandum adhiberetur. Cæterum tabe confectus ad cœlum mox euolauit ætatis anno quinquagesimo primo, cum septem & viginti coadiutor iam formatus in Societate vixisset. In Collegio porrò cum alter socius esset Patri designandus, accensa demùm sunt studia competitorum. Patrem Rectorem multi petendo fatigarunt, sed nouitius rem obtinuit, qui viribus posse videbatur, & par esse ad ferendam congressionem.

VIS

VIS morbi magna ingruebat, tamen si rerum copia suppetias veniſſet, infirmi, saniq́ue recrearentur. At pari atrocitate peſtilentia, & fames ciuitatem obſidebant. Exceſsêre qui ad Academiam pertinebant, ciues qua potuerunt eruperant: quicquid erat dignitatis, aut ſplendoris euaſerat. Manebant quos à fuga morbus, indigentiaq́ue compeſcuit. Ipſa plebs miſera vnde victum compararet non habebat, & æſtimatio frumenti intoleranda ſpem omnem euadendi ſuccidebat. Exanimabat centum aſſibus tritici modius emendus. Itaque plebi cum tanta annonæ caritate, & peſte colluctandum. Hinc ora pallida viſebantur, gracilitate corpora tenuata vacillabant, ſine ſucco, ſine ſanguine pallebant, lacrymæ manabant inter voces gementium & complorantium. Narrat ille Pater qui Vrbem perluſtrabat viſam ab ſe mulierem macie deformatam petentem aliquid, quod filio daret, oculos in ipſam intendentem, & cum procul non abeſſet eò ſe contulit, vt videret quid illa oratione mulier, ſignificaret. Reperit puerum iacentem oculis intra ſuos orbes iam incluſis, vultu hauſto, & penitus decolore, expallido corpore, tanquam exanime cadauer apparebat, ſolùm oculos verſabat, quibus matrem tuebatur: cætera erant frigentis, cui motus nullus eſſet. Id ætatis erat vt confiteri poſſet, & ſciret, quamquam loqui nequiret: id tamen primùm contendit Pater vt fieret. Eo ſpectaculo compulſus plateas clamoribus implebit, rogabat an eſſet, qui daret aliquid ad detinendam animam ex corpore pueri inedia fugientem. Commouebat eà lamentatio omnes, dabat tamen nemo, quòd eodem malo laborarent. Interea ne puer expiraret tabernam ingreſſus ſextarium cum vino arripuit, ſtipulatus pretium cum menſura redditurum. Attulerat iam neſcio quis ſidonitem, ſed dentes vix ad cibum illum, potumq́ue aperiri potuerunt, cùm fruſtra pater niteretur, fame namq́ue ille contabuit. Matrem

Digitized by Google

trem tamen alioſque liberos conſeruauit. Quid ſi dico inuentam quæ peſte depoſita cum iaceret, & dies quinque nihil præter aquam habuiſſet, eandemque confeſſione expiatam cum diceret, ſperare ſe victuram ſi pullus gallinaceus daretur, abijſſe Patrem ipſum conquiſiuiſſe, attuliſſe, parauiſſe, ſed ægram ſe componentem ad edendum, expiraſſe? Quid ſi ciuem ex ijs qui de ſua gente gloriantur enectum fame, tota cum familia & plurimis liberorum, vxore grauiter perculſa tabe, cui nihil eſſet ad eſuriem ſedandam, at eam domum integram illius Patris diligentia ex iſtis malis eripuit. Et eiuidem exempli viri cum vxoribus atque liberis ſimilem tempeſtatem hac vna via euaſerunt.

MAGISTRATVS autem quoniam vrbem pauperum colluuio vexabat, id conſilij cœpêre, externos vt expellerent: inclusêre tamen ſepto noui recentiſque cœnobij, & propemodum ita facto opus erat. Vagabantur per ciuitatẽ, & importunitate quadam modò hic modò illic cibum flagitabant. Ipſa eluuie corporũ quicquid erat aurę peſtilentis facilè colligebant, & tabe, odoreque peſtifero nocebant. Benè tamen his conſultum fuit: nam è publico ſubſidia erant, & præcipuè opem contulit Collegium quod ſine controuerſia Conimbricæ fuit ſalutare. Etenim ad hos, atq; alios pauperes alendos præter carnis obſonia, lectæ, albæque cereris panes ducenti libræ pondo è Collegio quotidiè ferebantur, gratias agente ciuitate, cùm omnium aperta confeſſione diceretur obſtitiſſe ſua charitate, liberalitateque Collegium quo minus lues, & famès Conimbricam funditùs euaſtaſſent. Nec enim ſolùm hæc aperta ſubſidia à Collegio in inopes abibant. manabant etiam in cuſtodias, & maximè in cœnobia attrita eo malo vehementer, cùm non eſſet vnde acciperent mendicando: Quid faciſſent, quibus opinio, & generis authoritas eripiebat petendi facultatem? quos domi incluſos

incluſos tenebat erubeſcentia? At quoniam intelligebant ſibi non fore detrimento ſi à nobis agnoſcerentur, ad hanc aram confugiebant, quam ſibi non eſſe ſurdam experiebantur: hinc ad illos frumentum, obſonia, medicamenta ferebantur. His auxilijs corroboratus ille Pater, & ſua fretus induſtria quotidie cibum ſexcẽtis,& ſeptingentis diuidebat, qui ne quid perturbatè ageretur, ætatem,& ſexum in claſſes optimè partitus,pueris,viris,fœminis præbebat, idque horis matutinis, ne morbos ipſa concurſatio, coitioque vulgaret. Octauo item quoque die ſuis erat vinctis prandium,& ducentis, qui conualuerant:ſed adita vrbis arcebantur. At vt exilij acerbitatem vtcumque ferrent, & Religioſi oppreſſi rerum inopia largiùs aliquid acciperent, hoc ipſo Patre prouidente epulum omnibus exhibitum, tam mirabile, ſi tempora ſpectentur, quàm propter indigentiam neceſſarium. Vim frumenti quantam potuit coegit,comparati arietes, additi cibi dulciores ſolatia ægrotorum. Et vt eſſet publica lætitia, ordine, & quaſi pompa ibat iſte commeatus per vias vrbis celebriores. Interea Pater ille qui ex villa ad ægros extra vrbem relegatos frequens venire ſolebat, peſte quoque laborauit,diuina ope magis quàm humanis conſilijs conualuit. Quamquam ipſe in ea temporum conditione,inquies,ſibi ratus minimè feriandum, agebat quæ valentior feciſſet: is erat, fuitque ſemper ardor proximi iuuandi.

IAM Maius abierat funeſtus, & Iunius menſis nihil ſecum clementiùs afferebat. Duo illi villam incolebant, Pater, quem nunc commemoraui, & frater Ludouicus Antonius, qui in ægritudinem cadenti auxiliatus nihil omiſit,quod vir excellenti præditus charitate,& diligentia cupidè præſtare potuit. Nam & ante morbum redeuntem ex illis ſtatuis fractum conſpectu morientium, laſſum continendi labore quàm grauiſſimo immerſum ſtupore

Digitized by Google

ſtupore quodam ex tabe tam latè peruolante, erigebat conſolando, brachijs iacentem attollebat, reſpuentem cibum ad cœnam prouocabat. Quibus officijs (vt idem Pater teſtis eſt) quemuis patrem filio ægrotanti ſeruientem longè ſuperabat. Et ambo colloquijs ſuauiſſimis mutuo ſe conſolari nitebantur: quamquam illa colloquia in illa ſolitudine, habita inter funera & comploratum in lachrymas abibant, præſertim cũ vtrique ad eas ſua eſſet animi mollitudo. Ille frater ad Patrem hæc: Ne tu, inquit, mi Pater, vereare in tanto malo orbitatem. Si volente Deo in hac præclara occaſione moriendi te peſtilentia tentarit, intellige à me viuo non eſſe deſerendum. Et manabant lachrymæ dicenti quæ os illud irrigabant ſua canitie, & probitate venerandum. Excipiebat Pater ſpondentem: Quid non faciam, chariſſime, ſi tua ægritudine Deus inconſolabili afflixerit dolore? aſſidebo, ſeruiam, miniſtrabo. Nihil à tuo latere diuellet niſi ipſa mors, quæ chariſſima capita diſiungit. Hæc duo ſenes inter ſe iactabant, quorum vitæ inſidiata peſtis, cùm alterum non abſtuliſſet, alterum aggreſſa breuiter confecit. Nam poſt quintum menſem actum in exilio Ludouicus inter quoſuis noſtri ordinis, ſuique ſtatus memorabilis, Chriſti optimi Maximi amore & obedientia mãdante in acie cecidit: tanta vitæ, & virtutis laude, vt meritò ibi ſcribi poſſit, vbi in faſtis nomina clariſſimorum virorum collocantur. Sex & quadraginta annos in Societate vixit tenax propoſiti, & vocationis ſuæ. Per omnia genera laborum exercitatus, cùm nihil fuiſſet tam abiectum, quod libens, & alacer non feciſſet, & pertuliſſet alacriter quicquid longa vita obedienti afferre potuit. Omnia tam benè morienti concedi poſſunt, nec laus merita virtutibus in ſcopulos vanæ gloriæ impacta frãgetur. Sint homines obliuioſi, nec ſciant ſuo põdere põderare momenta ſingula virtutũ. Ibi ſtupore defigantur vbi ſanguinem illuſtriorem

Digitized by Google

quocumque virtutis amplificatæ splendore rubere vi-
dent. Si vera, si solida, si diuturna exempla virtutum, com-
probata, exploratáque procellis temporum, ac iuditio-
rum valitura sunt, vt apud Deum valere solent. Hæc Lu-
douicum Antumum in cælum recta via detulerunt. Iam
non moror diutissimè sordidum in culina; non laniena
cruentum, cùm ipse boues, arietesque mactaret, non fu-
mo, fuligineque nigrum cùm panem coqueret, non medi-
camenta redolentem cùm infirmis medebatur. Ad quæ
munera sex annis, & quadraginta spatium amplissimum
præbuêre. Eum quinque menses extremi Deo clarum ob-
tulerunt; & ijdem orbi aliquando spectabilem osten-
dent. Quid enim ille ea in æde quam vocabulo Salutis
honestarunt, ipsi ægri tanquam mortem perhorrescebãt?
Eos quos propinqui viuos non attingere, non efferre mor-
tuos, sepelireque audebant, Ludouicus noster brachijs
complexus, attollebat, in his medendis curam, diligen-
tiamque ponebat, cibum in os inferebat, ex suo victu
quod venia superioris detrahebat egentibus porrigebat.
Hæc quamquam quemuis hominem lacertosum defati-
gare potuerunt, illi non eripuêre laborandi voluntatem.
Quicquid otij dabatur in colendo horto collocabat, vt
olus esset, quo egentes, quo ægros recrearet: pridiè eius
diei, qui Christi Seruatoris corpori confecratus est tenta-
ri morbo cœpit; & scissa vena, is (id remedium illi malo)
plurimum saguinis effudit; ità affectus, ità æger pietatis
amicissimus, ad illius diei celebritatẽ allectus, dedit ope-
ram vt sibi, Patrique socio lætus esset, fronde festa con-
quisita, domum laceram, & vento peruiam adornauit,
conuestiuit altare situm ad fenestram: ipse linteatus Patri
sacrum facienti ministrauit: sacram Eucharistiam acce-
pit: suis lachrymis excuit multitudinem quæ ab Oliueto
interesse solebat, fleuitque largiter contuendo: (tantum
valet exemplum.) Sequentes dies eodem modo egit, sa-
cra

Digitized by Google

cra audiebat, pascebatur cœlesti cibo, animum confirmabat. Sed cùm magis atque magis vis mali augesceret, in cœlum tandem euolauit, cùm ætatis annum sexagesimum sextum confeciſset. Extuliere feretrum Veiſilones; Pater linteatus cũ face, & cruce proſecutus, quæ per illa oliueta vagabantur prope Patrẽ Georgium Tattora pientiſſimè omnes precibus, & lachrymis & cãtu funebri parentarunt. Conquieſcat hic noſter optimus Ludouicus cum cæteris, qui tanta laude noſtri ordinis, occubuerunt, & felices ſua ſorte cum vitam tam præclaris actionibus terminarint, ipſi conſecuti ſuorum factorum immortalitatem, etiam hoc habebũt. Multorum hominũ qui modò viuunt pedibus oſsa terent, qui aliquando ſtuporem opibus, nobilitate, potentia alijs attulerunt, ſed de ipſis poſteritas conticeſcet: at de noſtris Conimbrica non tacebit. Adibit Vrbs, & Academia illa Caſtra ſpectabit fanum D. Sebaſtiani, ibi humatos eſſe dicet ex Societate plures, qui, quo tempore Conimbrica peſte arſit, in eam ſe iniecere flammam, vt ægris opem ferrent, quos etſi peſtilentia interfecit, eorum tamen memoriam non aboleuit.

POST obitum Ludouici, peſtilentia ſedari cœpit, & minus vrgere, quàm ſoleret. Iam Iulio menſe pauciores inuadebat, & qui laborabant eripi periculo videbantur. Intellectumque die ſacro Mariæ Magdalenæ Vrbem eo malo liberatam. Is dies noſtros ab ciuitate poſſe reuocari declarauit; cùm neceſſarij nemini mortalium eſſent, & diuino beneficio corporum ſanationem impetraſſent: ſed interim fluxêre dies ad illum quo ipſa Maria Virgo in cœlum profecta eſt. Eum gratiſſimum Collegio, & populo Conimbricenſi Pater Rector voluit quoddam eſſe omnium Noſtrorum luculentum teſtimonium. Et Patri, qui vrbem perluſtrabat negotiũ dedit, vt epulo ampliore redderet populo vniuerſo iucundiſſimum, quo

Digitized by Google

se voti nuncupati religione solui existimauit. Reuulsis ab ostio repagulis bos ingens, & præpinguis Virgini Matri datus est: vt foribus exijt ab expectantibus fronde, & floribus est exornatus. Concisus in frusta in sequentem diem Virginis festo solemnem ab suis sedibus plebem conciuit. In id epulum sexaginta tritici modij à Patre Rectore concessi, & Pater ille ex liberalitate quorundam, qui vltrò pecuniam contulêre, rem amplificauit: ad eosque epulum detulit, ad quos antea detulerat, sed modo opulentius, & apparatu magis spectandum, cùm per stationes illas arietes, & ingentem cocti frumenti vim distribuisset. Cecinêre tibicines euntes ante pompam à nemine acciti, sed vltrò se dantes, & grato animo admissi, quod ad sanationem corporum valere cantum, lætitiamque certum erat. Anteceserê pueri qui virentes suo folio arundines arripuêre, & saltu, cantuque lætabundi incesserunt. Arietes quadraginta per tria D. Frãciſci cœnobia imprimis distributi. Seruata sua pars publicę custodię, & vis ingens cocti frumenti. Hæc etiam ad eos, qui aditu vrbis arcebantur, & alios nondum recreatos omnino à morbo peruenerunt. Et ita factum nõ modò vt bonis esset argumentum, gratias agendi Deo, sed vt suspitiosis clauderentur ora, cum viderent Societatem sua conferre, & conquisita, tanta vtilitate omnium expendere. Confirmauit hæc munificentia vet eres amicos, nouos non paucos comparauit. Cœnobia se in tutela Societatis esse prædicare, illam illuxisse vt non modò secundis temporibus doceret Vrbes, atque oppida, sed difficillimis ab ijsdem famem, luemque propulsaret.

VOLEBAM ab hoc loco commigrare ad alia, quæ restant, vt faciunt, qui contagionis metu se proripiunt: at detinent illa statiua, vt quædam commemorem, quæ silentio si premerentur accusarent, qui sciunt multa perpetrata litterarum digna monumentis, & ea maximè quibus

Digitized by Google

quibus constat salutarem quibusdam interitum fuisse, quorum vita illis ipsis erat pestilentia. Hic iuuentus qui viginti annos integros pellicatu irretitus, se exoluere nó curaret, & liberos tres susceperat, homo litteratus, atque notus, neque ille locus qui mortem sanis minabatur, cómouebat, vt saltem caueret offensionem tot mortalium, qui testes publicæ improbitatis erant. Vim alij adhibendam putarunt, cùm monendo nihil effeciſſent. Erat illi homini remedium, si pellicatum in matrimonium verteret, nolebat. At quidam ex Nostris vehementiùs adoriri decreuit, dixit, quæ oportebat, & grauiter terrefecit: affirmauit reus se in potestate futurum. Impetrata ab eo qui dare poterat facultate, ipse Pater linteatus cum orario, mulierem detulit in tugurium, quo iam æger latitabat; adhibitisque testibus necessarijs legitimo vtrumque matrimonio copulauit. Egêre gratias quadringenti penè homines qui illis locis deerrabant conscij mali exempli; hilariqúe pulsu cymbalum D. Sebastiani percusserunt, vt signum lætitiæ ederetur, quod à scelere tam aperto duæ animæ recessissent. Vtrumque confitentem Pater audiuit, vtrique expiato Eucharistiam porrexit, & improbo testamento antiquato vir monente Patre nouum condidit, quo & vxorem declarauit, & liberos fecit hæredes, nec multo post interimente peste extinctus est.

VENIT in hęc ipsa castra maritus cum liberis, & vxore, quos pestis violarat. Ipse integer charitate tactus sibi non parcere decreuit. Et cũ mulier, & liberi euasissẽt, ipse correptus interijt: verùm periculi non ignarus opportunè ad Patrem adijt: eo dolore, illis lachrymis peccata confessum asseruit, vt postea sępe in eum locum cùm veniret, quo humatum sciebat ab arbitris remotiorem, vi quadam adigente procumbere soleret, orareque vt ipse eum dolorem, quem vir ille optimus habuisset confitendo, acciperet à Diuina bonitate, ne ad pedes iacen-

Digitized by Google

rem contingeret videre se fletu pœnitentem, cum sua sin-
gula peccata fletu deplorarit. Ex commemorabat Pater idem, multos maxime animam prope miracu-
lo quam cito demum efflabant, cum auditos absoluebat. Multa alia in hisce castris, & in Vrbe euenerunt, quæ propterea omittuntur, ne aceruata mole crescant, & scribendi modum vincant.

EXISTIMABAMVS periculo defunctos qui in Collegio diuino tuti beneficio ardentem Vrbem, & Oliueta è fenestris conspexerunt. Là reuocabantur absentes, cùm nó opinato quasi pesti abeunti succenturiatæ febres restitissent in insidijs, exortæque vehementi impetu Collegium ægrotorum implesserint cum periculo vitæ amittendæ. Extinxit molestissima ægritudo Patrem Gaspa-
rem Sosam, Fratrem Paulum Antonium, & Franciscum Georgium. In Patre erant omnia, quæ possent iuuare Societatem, ingenium, littera, vita bono exempli laude cumulata. Docebat primo anno curriculum aggressus Philosophiam, euasurus: inde ad cætera quàm aptissimus: tertius decimus erat illi annus in Societate expletus, quartum & trigesimum ætatis conficeras. At Paulus Antonius adolescens, qui iam non spem solam, sed fructum demonstrabat, duodecimum egerat in Societate: septimum & vigesimum ab ortu, artem Oratoriam docturus in sequentem annum: sed spes omnes acerba mors præcidit; nihil deerat quod ad egregium formandum concionatorem quisque requisisset, ingenium, peritia, vox, actio singularis, qui aliquando domi, & foris plurimum delectauit. Quatuor extremis mensibus animaduersum est ex bono in melioren se mutasse, cùm ad moriendum animum parauerit, è cuius ore fertur à multis auditum propediem se moriturum. Franciscus porrò Georgius ex quadraginta & sex annis, vnum & viginti in Societate confecit, coadutor omni, iam formatus, suum vitæ gradum

dum industria, & virtute egregiè tutatus est. Hoc ipso fermè anno exeunte, Pater Petrus Maris è viuis etiam sublatus. Decimum octauum agebat in Societate annũ. Longa febris contabefecit ingenio, & eruditione Theologum singularem. Potuisset, si siuisset valetudo, longe optimè quemcumque tueri locum docendo, cùm subtilitate ingenij, & dicendi perspicuitate polleret. De virtute nihil est quod commentemur, à puero ita parendo, & studendo decurrit, vt specimen esset candoris, modestiæ, demissionis. Hæc si multa ex vno Collegio videbuntur, intelligant, qui audierint porrectos scribenti quatuor veluti commentarios, & quædam aduersaria, è quibus ea retulit, quæ sine piaculo nequibat præterire.

ABIERVNT Nostri vt moris est ad D. Fœlicis cœnobium, vnde redditus sunt Collegio; ibi concionando, & cætera præstando, Quadragesimæ menses, aliosque egerunt apud eos homines qui vicina amni Minio incolunt, vtilitate non parua. Ab cœnobio ad oppidum Monsonẽ in ipsa ripa fluminis situm, ibi Noster conciones habuit. Et incolæ natura pugnaces, opinionis tenacissimi, qua abducti aliquando aduersus rationem; & Christianæ vitæ documenta difficilè ad æqua reuocãtur, mitigari, fractique dedêre concionatori manus. Sacris vestimentis paludatum Sacerdotem quidam verbis contumelioſus grauiter offendit. Hic quod leges, aliaq; metuerat ab oppido discessit. Ille quod vereretur ne quid sibi acerbius ab aduersario clam pararetur domum reliquit. Perturbauit oppidum ea dissentio. Cæterum lenitus oratione Nostri, qui ininitiam acceperat, alteri pepercit. Ita reditũ est in gratiam, & oppidum tranquillatum. Alius infamis dolorem ita retinebat animo, vt auctorem qua via posset perdere moliretur; placare viri principes sed frustra contenderunt. Pater aggressus nihil ab eo nisi inhumana expressit. Dicere non remissurum, etsi scires

Digitized by Google

sibi morienti ad inferos propterea eundum. Conaturum quà iure, quà iniuria, vt publicè legibus strangulatus pœnas sceleris luat. Ita obstinatè benè monenti resistebat. Concionantem hic ipse forte audiuit, & cùm acriter dissereret in eos qui odijs deflagrabant, quique offensiones retinebant implacabiles, ipsa vi dicendi, & contentione ferbuit, sanguinemque reiecit. Vidit concio, & indoluit. Hic ille ipse propter quem illa dicebantur assurrexit: At tu, inquit, Pater, si me vnum his iaculis petijsti, cedo victus, & publicè contestor, nihil aduersus hominem illum decreturum. Post concionem de re actum, & tabellis venia consignata. Hîc familiæ duæ inueterata inimicitia disiunctæ infectabantur se mutuo, qua maleficentia poterant maleuolentiam exprimebant. Excitant sæpè pugnando suorum incendia odiorum. Et Reges iam olim restinguere contenderunt: sed cum semper scintillam reliquissent, facilè suæ factionis partes quisque incendebat. Actum cum Philippo Rege vt imperio iuberet ne dimicarent, & ad tollendam veterem iniuriarum memoriam connubijs se cõglutinarent. Valuit ea res non diu, redière ad pristinam dimicationem. Cum his à Patre pugnatum, & post eam concionem quæ à mandato nomen habet habeturque ea ipsa die qua Christi cruciatus recoluntur, octoginta in eodem templo coëgit viros fœminasque. Ibi de concordia iterum breuiter perorauit. Mirum in eo populo euenisse quæ narrant, gens durior ad lachrymandum, fletu madens & pudore victa fateri improbitatem, pollicerique amicitiam, ex pactis conuentis, fœderibusque statutam. Testes fuêre comploratus, mutuique complexus.

HABET hoc oppidum Monialium parthenonem, in quo accidit quod modò sum narraturus, incredibile fortasse, nisi idem Pater retulisset. Eo quisquis ille fuit habitu monachus accessit gratia colloquendi. Adfuit Antisti-

ta

Digitized by Google

ta Parthenonis, & quatuor fœminæ eiusdem contubernij. Hic quamdam suo nomine compellauit, quæ monachum illum viderat nunquam, & ille quædam apertè piacula recensuit, quæ ipsa fecit aliquando. Expalluit mulier, vt oportebat. Et perrexit quisquis erat minitando, caueret ne ea, quæ modò coram proferebat ad Apostolum (nostrum intelligebat) deferret, multo minus eidem confiteretur. Id porrò seriò ediscere venturum constituta die, se sequestro, & sacerdote animum bene lustraturam. Vertit ad aliam sermonem, proprio nomine eodem modo salutauit. Deinde truculentior omnes metu quatefecit. Viderent quid agerent, perituras si in eo essent parthenone, in quo pœnitentiæ veræ legibus peccata nequirent abolere. Propterea monere inde discedendum. Se ducem sequerentur, ducturum in aliud contubernium, vbi facta vitæ improba ritè castigarent. Attonitæ mulieres ea de causa maximè perculsæ, quòd cogitata quarundam detexisset, quid fecissent? secutæ optimum consilium, omniâ, non vna fœmina, sed plures eidem Patri exposuerunt. Ille videre sibi cacodæmonem, cuius esset quietos perturbare: hoc ex illa fabula apertissimè apparere: noxium consilium verterent in vtilitatem. Ita omnes benè animatæ non illum, sed totius vitæ quem nequam ille reijciebat habuêre Apostolum lustralem. Quæ in hoc genere piandorum animorum, odijsque fugandis, illo in oppido præterea euenerunt, peculiari possent commentario recenseri. Sed hactenus rem Conimbricensem prosecuti, fas erit cæteris Collegijs locum dare, in quibus sua sunt quæ litteris mandare oportebit.

Digitized by Google

COLLEGIVM EBORENSE.

INTEREA dum Olisipo, Conimbrica, Vrbes aliæ, atque oppida peste vrebantur, Nostros tenebat Ebora solicitos: verebamur ne quemadmodum illa conflagrabant, ita quoque Collegium, & Academiam hoc malum vexaret. Cæterùm quod gaudio fuit magis ibi huius procellæ metu trepidatum, quàm periculo, etsi pestis non semel aditum sibi pervadendi parefecit. Sed diuino beneficio in primis, & singulari diligentia magistratuum opportunè consopita est. Et in hoc Collegio centum quinquaginta quinque erant Nostri. At hunc annum non egêre sine funeribus. Pater Blasius Viegas interijt, cuius mors magnum Prouinciæ attulit detrimentum. Nam præter omnium planè disciplinarum cognitionem, quibus Societatem adiuuabat, virtute & morum suauitate carus erat. Vnde non solùm domestici, sed etiam externi mortuum defleuerunt. Amisimus eo mortuo egregium oratorem, poetam non vulgarem, concionatorem optimum, sacrarum interpretem litterarum, eas secunda fama tunc docentem. Nó tenuit diu ægritudo, & breuiter sua habitudine non imbecillum sexto, & quadragesimo ætatis anno extinxit; cum duobus, & triginta noster, quindecim modò Conimbricæ, modò Eboræ diuinas litteras explanasset. Abijt etiam ex humanis F. Michael Proenca. Rem dolebat vnam ipsam, nempe molestam valetudinem impedimento fore ne posset in Indiam nauigare: supplementum in locum demortuorum quatuordecim fuêre, spe, & ingenio habiles Societati feruntur. Cæteri nostri instituti rationem

Digitized by Google

rationem, & viam præclarè tenuerunt, & ipsa tempora calamitosa studia virtutis accendebant. Supplicabant Christo opt.Max.ante ará in templo: ibi aperto tabernaculo opem flagitabant Vrbi, Collegio,& Regno vniuerso ardebát:inter preces faculæ, & cætera erát,quæ pietatem augerent.Ipse qui aderam,meũ esse cum putarem ad hæc placamina omnes inflámare,quadragenis horis institui a Collegio orandum.In eam rem à templo delata Eucharistia, & in sacello domestico quantum fieri potuit ac debuit ornatissimo collocata. Ad sextam horam pomeridianam orandi tempus defluebat. Inde inclusam sub splendidissimo conopæo sacram hostiam ad horam quartam matutinam continebant. Narrant hisce horis fuisse lachrymas, & suspiria, & vltum mitigari cœlum, cùm ipse Deus à mœnibus pesté auertisset. Reducta postea in suam sedem Eucharistia,ibat pompa celeberrima, & vestitis pergularum parietibus quàm pulcherrimè statis in locis deponebatur.Creuêre hæc incitamenta quartis,sextisque ferijs, cum ab examine nocturno dato signo quisque se flagellis cecidissent. Neque propterea exercitationes litterariæ languerunt. Philosophi: & Theologi suis diebus ingeniosè disputarunt. Et ne in Academia deesset quoddam stipendiorum simulachrum ijs, qui contra-tendebant disputando,sua præmia fuerunt. Prodiêre qui carmine, quique oratione soluta perorarunt in ipso Academiæ lyceo, cùm tamen foribus occlusis nemini externo ingredi liceret. Ibi adornati parietes festa stromatum,& frondium hilaritate Nostros detinuerunt, recrearuntque epigrammata, ænigmata, & ingeniosa quædam argumenta.

D.V.M hæc domi: quod pestis clam varijs euentis in Vrbem penetrasset; à victu & consuetudine aliorum Patres quatuor,tribus cum Socijs segregati; in Vrbis auxilium destinantur. Qua spe iuerunt, qua alacritate, cur

commen

commentabor? Fuit, qui se iturum in Salutis ædem voto obligaret, si fineret, qui posset imperare: Hi confitentes audiebant, Eucharistiam ministrabant, opitulabantur ægris, si qui in Vrbe erant; bonam sanis spem iniiciebant, egentes pecunia, & annona subleuabant. Eos verò maximè subsidiis attollebant, quos tempora ab statu copioso in inopiam deturbarant. Ad hæc argentum quod dederat clarissimus Antistes Eborensis suppetebat; eo etiã pauperes alebantur, quos Magistratus extra Vrbem pernoctare voluerunt, ne si admitterentur secum perniciem deportarent. Et perijssent inedia egena corpora occupante, nisi Nostri magna cura succurrissent. Effecêre etiã ne medici, chyrurgique diffugerent: nam opinione mali communis peruadente, isti primi elabi constituerant. Præuidebant namque animis detecta lue, sibi imperio eorum, qui in Vrbe rerum potirentur, esse manendum. Ad ista carceres, & Xenodochia accesserunt, itemq; aliqui Parthenones, quibus quoque necessaria fuit opera Nostrorum, partim ne victu carerent partim ne mulieres metu consternatæ, pauoris omnia implerent, & fugæ cupiditate sua domicilia desererent. Cæterùm Ebora non tam humanis hominum consilijs, & diligentia se liberatam agnoscit, quàm diuina ope, & magnæ Matris, Virginisque tutela: cui amplissimum donarium ex argento vouit, eoque decreuit vt ædes Guadalupensis in Hispania eidem Virgini consecrata donaretur.

INTER hæc puellæ septem mala consilia secutæ, ab improbitate reuocatæ. Ad eas Nostrorum hortatione se receperunt, quæ simili errore lapsæ aliquando melioribus auspicijs castimoniam colunt. Et quatuor, quibus idem pudoris violãdi periculum imminebat eò productæ, vbi sine cõtumelia formæ, & ætatis victitare possent. Erant quæ matrimonij fidem ruperant, quæque à maritis improbo diuortio recesserant. Cum vtrisque actum

Digitized by Google

tum vt ad officia, legesque Christiani connubij redirent. Narrantur item pecuniæ restitutæ, odiaque sublata. In oppido vicino acerbitas, & contumelia discordiam incenderant, & factiosi oppidani ita tumebant auiditate decertandi, vt cùm pacis spes non esset, meritò à sedatis timerentur, quæ ira, præcepsque in vindictam furor imperabant. Ipse cuius eius oppidi erat dominium, auctoritate contendit, ne quid audaces, & efferati molirentur; cùm nihil effecisset de trãquillandis suis desperarat. Nostri hanc tempestatem odiorum sedauerunt. In hoc albo esse possunt, ære obligati alieno, qui vinculis attenti inde Nostris agentibus abierunt. Et numerus ingens confessione expiatus, homoque mysterijs Christianis restitutus, qui quàm diutissimè suo peccato execrationibus, dirisque deuotus oberrabat.

SVNT in Transtagana regione oppida incolarum frequentia, & soli vbertate celeberrima: ad ea missi Nostri preclarè se gesserunt. Pax Iulia olim dominante populo Romano iuridicus conuentus, nunc etiam ciuitas populosa Regia nũcupata Nostros accersiuit. Iuère duo: hi excepti publico ordinum omnium applausu memorantur. Ibi ista perpetrata compendio retulerunt. Pueri etiam Christianis rudimentis, & moribus institutam, doctam à iurandi temeritate abstinendum, ruentes in hanc improbam licentiam quos viderint bono modo coercentes impura minimè canenda, addiscenda quæ possent sine bonarum aurium offensione modulari. Et fecisse pueros vt erat commendatum, animaduersum, cùm iurantes admonerentur, & passim honesta cecinisse audirentur. At ætate adulta homines atque mulieres Nostros otiosos esse minimè pertulerũt. Concionibus aderant matutini, circunstabant gratia confitendi Patrem: die quiescere non sinebant: nocte plures horas audientem detinebant. Inter cætera quæ mala opinione inoleuerant,

Digitized by Google

uerant, fœminarum lugentium demortuos consuetudo erat. Domi se continebant diutissimè, idque nō tam dolori dabant, & desiderio charorum, quàm inani cuidam existimationi. Arbitrabantur se honoratissimas si plurimum latitarent. Ita à publico, à templis, à sacris, à concionibus abstinebant. Persuasum tantum lachrymis esse dandum, quantum ratio, & leges sinerent. Eas transiisse metas nihil laudis apud benè institutos moribus, & disciplina vnquam habuisse.

FERIIS sextis ipso sub crepusculo vespertino Pater de rebus diuinis differebat, hortabatur vt in peccata odium conciperent: pœna castigarent corpora: pro ritu flagellarent, datoque signo ad concentum psalmi Miserere se verberabant. Mouit ea res homines duos ex ipsa vrbana nobilitate motis ambo inimicitijs in alios infesti. Sequenti die Patrem alloquuti, se facturos quæ imperaret, receperunt. Quicquid erat in ea vrbe splendoris abesse ab ea verberatione non solebat. Et senex ipsa canitie, & nobilitate grauis, solùm audiendi gratia cùm venisset, vbi vidit quàm cæteri animo sese vlciscerentur, existimans sibi turpe, si tot hominum suæ conditionis pœnitentium spectator esset, non quieuit: se discinctum, pro verbere cingulo vsus atrociter castigauit. Erant item duo gente clari. Hi quòd magis alea, quàm illud genus supplicij oblectaret, domi aleatores restiterunt, eo ipso tempore, quo cæteri vapulabant: puduit vtrumque facti, & cum solerent ludum aperire, aliosque pellicere, ab ea se consuetudine remouerunt; pecuniaque multarunt, quam ad pauperum alimenta contulerunt. Aliam verò pecuniam narrant libera litate datam eò peruenisse, quò ingressa si non essent peccata emersissent. At publicè Nostris edocentibus nobilissimi quique sine pallijs in custodias iuerunt; deportarunt cibos, & stupente vrbe sua manu diuiserunt. Sed nihil tam memorabile, quàm

ingentem

Digitized by Google

ingentem inter ipsos Optimates discordiam per antiquã, auctam quotidiana ferè pugna, insolentique congressu, sic repressam, vt ingenium vertisse viderentur, cùm inimicissimi antea, modò sibi amicitiam imperassent: & singulos suorum certaminum puduisset. Ità parentes liberis irati pepercerunt, liberi parentibus morigeros se reddiderunt, litigiosi contendere, & propinqui suum sanguinem insectari desierunt. Et studio partium quidam sic exarserant, vt alios ad pugnam prouocarint, istique ne timuisse viderentur, pari audacia duellum postulauerint. Pendebant syngrapha in publico, & per manus aliorum ferebãtur: eum verò furorem Nostri damnata ea prouocatione repressérunt.

CVM pestis per agrum etiam Transtaganum liberè vagaretur, & custodia vrbis in viri primarij fide esset, aliunde homini venienti in Vrbem ingrediendi facultatem præbebat. Dissentire Senatores, & pernegare; cur enim fas illi esset disceptabãt, in vrbem penetrare, quem ab locis correptis pestilentia venire suspitio esset? At custos cùm suæ auctoritatis esse existimaret, eum intra mœnia recipi quem iussisset, vim parabat, & armatos attulit more militari, quasi cum hostibus congressurus. Id superbè factum cum alij interpretarentur, irritati vehementer pari audacia concitant populares. Euadunt plerique ex ista factione armati, nec dubium quin ferro essent decreturi: nisi ad rem tam perturbatam componendam Nostri peruolassent. Quod eo tempore agi potuit, id actum: nempe ne pugnando hostiliter perpetrarent quod postea à crimine seditionis non posset recusari. Continuêre se ex vtraque parte, sed ita discessérunt, vt sequenti die Magistratus coegerint Senatum. Ibi de custode exauctorando vehementiùs sententijs certauerunt. Intellexêre aduersarij, iterum arma capiunt. At Nostri vt superiorem pugnam, ita quoque

istam

Digitized by Google

iſta dirimerunt. Hæ, & aliæ quædam conſpirationes Paeem Iuliam ad ciuilem dimicationem cõcitabant. Sed incurſionem armatorum, impetumque eorum, qui ſe duces præbuerunt, Noſtrorum auctoritas compreſſit, adduxitque in concordiam, cùm refrigeratis animis, & ira fracta, quiſque quietum ſe fore polliceretur. Et fuit ex ipſa nobilitate in ſpondendo quidam liberalior, torquemque aureum detraxit, pignorique dedit pauperibus erogandum, ſi quemquam amicitiæ ſe opponentem pateretur. Læta bono pacis deſperatæ ipſa Pax Iulia Societatem laudibus efferebat, eam eſſe eorum hominum altricem, qui quò veniebant non modò diſciplinam moribus, animisque ſalutem, ſed corporibus vitam, & Reip. incolumitatem afferebant. Has ob res ipſa plebs & nobilitas gratias non modò agere; verùm etiam vltrò dare Societati patriã, atque ſolum, vt ſi vellet Profeſſa domo ædificata, ſecundis auſpicijs Pacem Iuliam veniret. Quare quod antea feciſſet, iterata ſuæ voluntatis ſignificatione orare vt ipſe hoc Patre arbitro, & ſequeſtro quem concionatorem habuiſſent, quamprimum de mittenda ad ſe Societate deliberarem.

A D alia qui miſſi oppida fuerũt, etſi accolas pacatiores reperêre: amplam tamen ſegetem inuenerunt ad induſtriam exercendam. Multa concionando, & confeſſiones audiendo conſecuti ſunt. Abutebantur malis artibus tres perſonæ ad libidinem explendam, & à paterna domo ex his vna magno ſui periculo oberrabat. Pellicere alteram in flagitium cupiebat. His ita veneficia diſſuaſa, & in hoc genere amentiæ laborabat, quem ita nefaria medicamina à mente deturbarant. Quærebantur tamen piamina, magæque mulieres, quarum remedijs piaretur. Ac cùm nulla quæ in Luſitania eſſet, placeret, fama notatiſſimam notarunt conſulendam. Alibi eſſe veneficam inſignem didicerunt, eò eundum ſtatuerant. Præter hæc ablata

Digitized by Google

ablata dolo malo feruntur restituta. Impeditæ quoque delationes odiorum segetem parituræ: piaculaque sublata, quibus iam diu non pauci trahebantur irretiti: qui viginti iam annis odio desciuerant concordiam inierunt. Alij horum exemplo pacem reddere inimicis maluerunt. Lites, iniuriarum actiones, linguæ, ferrique damna sublata memorantur. Filia nupsit suis inuitis, cui pater nuptam esse noluit. Acerbè cùm tulisset præter cætera illi etiam colloquendi vsu interdixit. Tentauit mollire sæpe filia patris animum, non potuit. Hic homo eo anno sodalitij princeps erat, Misericordiæ nomine nuncupati, & in oppido frequenti atque claro, non poterat esse nisi ex ijs, qui eam dignitatem stirpe & familia tueri possunt. Moris est ea hebdomada qua Christi Seruatoris cruciatus recoluntur, hunc ire in supplicatione vltimum, & eiusdem Seruatoris è cruce pendentis deferre simulachrum. Filia eam occasionem nacta loco constitit, ex quo posset venientem patrem adoriri. Adorta voce lachrymabili non flexit. Durior, & inhumanior repulit, quàm is dies, ea mulieris collachrymatio, ipsa effigies Dei quam gestabat, imperabant. Offendit omnes contumacia, cùm etsi honestissima non postulasset mulier: tamen propter multa rebantur necessarium pacati animi significationem dari. Postea Noster rationibus eum fregit, & ambo modum dandæ veniæ inierunt. At in depraua tam iurandi consuetudinem ita pueri se præbuerunt animosos, vt neminem iurantem ferrent. Contendebant casu viri graues vt fit, & incandescens honoratior deierauit. Inuolauit ab latere puerulus, alacriterque coercuit. Ille ad amicos: Video, sed hoc aio, eum qui sit iuraturus, circumspecturum prius ne in pueri insidiantis reprehensionem cadat. Sed bene quod viri à pueris admonemur: risêre cæteri, & certamen in hilaritatem conuerterunt.

Digitized by Google

COLLEGIVM BRACARENSE.

PECVNIAM vel fraude, vel furto ablatã, narrant reſtitutam, & controuerſias, quæ diu tenuerunt litigantes Noſtrorum opera diremptas. Maritus natura, ingenioque ferox, magna crudelitate ſine culpa vxorem vulneribus quatuordecim penè confecit. Ad expirantem Noſtri euocati, cùm ad benè moriendum confirmarent, & Sacerdos confitentem audiſſet, præter omnium ſpem, quodam quaſi miraculo euaſit. Recuperata ſalute, hæc cum filia in parthenonem ſe incluſit. Quidam oppreſſus grauiſſimis doloribus, remedio fore dixit ſi is quem nominabat Sacerdos è Noſtris ad ſe veniret. Venit, cùm pro ægro ſacrum facere cœpiſſet, cruciatus remiſerunt. Procurauit animum confitendo, & trium dierum mora qua apud ſe Noſtrum habuit, ſua ad conſcientiæ leges compoſuit. Vir præter nobilitatem grandis pecuniæ hæres, poſtquam in eius poſſeſſionem venit, ingentem eius partem ærario Pontificio obnoxiam intellexit. Et lite iudicatum inde aureorum millia quinquaginta ad ſummi Pontificis fiſcum peruenire debuiſſe: quòd ea pecunia ex bonis, rebuſque ſacris ab eo coacta eſſet, qui nec indictas ſacerdotijs preces recitaſſet, nec alia præſtitiſſet, quę fieri iure mandante oportebat. Erant alia præterea quibus ab æquo ius eius hæreditatis laborabat. Contulit omnia cum Sacerdote noſtro, eius conſilio cum ſummi Pontificis quæſtoribus tranſegit. Et Pontifex legitimum hæredem cùm denuò appellaſſet, plurimis oneribus liberauit ijs impoſitis, quæ ferre poſſet. Re confecta ex animi

Digitized by Google

animi sententia respirauit, confessus ingenuè multis annis animo fluctuasse. Sed vbi Societatem consuluisset à cælo datam sibi lucem, ea rationes perturbatas consuluisse, & animum tranquillasse.

COLLEGIVM PORTVENSE.

QVI in hoc Collegio sunt non via vna suæ ciuitati consuluerunt: Angore conscientiæ multos respondendo liberarunt. Hærebant plerique incerti rerum propter quasdam controuersias, vias ad tranquillandum animum aperuerunt. Nec solùm hac ope adiuti qui vrbem incolunt, etiam accolæ aliorum oppidorum, atque peregrini, inter quos homines graues religionem professi censentur, qui cùm alios iam consuluissent, tum demùm sibi conquiescendum ducebãt cùm vera à Nostris didicissent. Fuit qui clauibus adulterinis in perniciem alienam vtebatur. Illæ dedêre locum ad piacula, quæ ob magnitudinem, & infamiam non exprimuntur. At iam eruperant, & rumore per vulgus obrepebant. Quæ quo pacto fieri possent cùm homines dubitarent, fecit diligentia, industriaque Nostrorum, vt impedita celarentur. Minori famæ damno, incommodo tamen graui, similium clauium artificio rem elepebat alienam alter: ab eo extortæ claues, & prohibitum bono modo latrocinium. Multi inierant matrimonia, quæ sine concessione pontificia valida esse nequibant, & qua via rata esse connubia tentarunt, iure nulla apparebant, quæstum quo pacto firma denuò redderentur. Mariti in vxores iniqui, vxores parum viris morigeræ inter se discordias alebant. Data opera vt offensionum occasiones

Digitized by Google

tollerentur. Et erat qui propter quasdam suspiciones vxori interitum machinabatur, & veneno sæpius re infecta cædem tentauit. Id mali à quodam patrabatur, qui familiam illam in probo animo perturbabat. Hunc cùm Nostri à proposito nocendi deterruissent, illum à parricidio depulerunt. Eiusdem generis illud inimicè mulieres odio bonæ matronæ viro in mentem iniecerunt, quæ falsò commentabantur. Credulus de cæde cogitabat. Rem Nostri cùm rescissent, religione & metu impleuêre auctores. Illæ territæ, & facti pœnitentia ductæ viam quæsiuêre, qua telam tam periculosam retexendam susceperunt. Non defuêre qui audacter in sacrum Sacerdotij ordinem irrepserunt. Quæ incommoda sequebantur huiusmodi homines apertum est. Remedium inuentum quo diuina exercere possent sine piaculo. Sublatæ lites etiam commemorari possunt, & cum his abolitæ dissensiones. Ex iis qui publica auctoritate conficiunt tabellas iure apud omnes valituras, quidam acta transferenda dedit. Is qui transtulit dolo malo mendacia scripsit. Tabularius cùm ex animi innocentia minimè dolum præsentiscaret, eas tabellas consignauit. Senatores, quique præsunt iuri dicundo deprehenso scelere, tanquam in publicam fidem peccasset, acriter sententijs puniendum decreuerunt. Nostri cum innocentiam probassent, eo hominem periculo eripuerunt. Quidam, & quod grauius est, non profanæ conditionis comparauerat sicarios, qui vitam eriperent cuiusdam religionis Prælato, & iam insidias tetenderant, in quas præcipitatum iri imprudentem intelligebant, cognouêre Nostri per indices maleficium, operam dedêre ne ille necaretur, & tandem sublatis inimicitijs, res tam mali exempli consopita est.

CVM ea Lusitaniæ pars, quæ Minio, & Durro fluminibus inclusa fame laboraret, vis magna pauperum in Portũ tanquam vrbẽ copiosã se contulit, arbitrata portũ aliquem

Digitized by Google

aliquem inuenturam; Nostri quod agere potuerunt diligenter præstitêre, ne multitudo remedijs destituta periret, vnde periclitari contagione ciuitas posset. Dedêre operam vt stata die in templum maximum conuenirent, qui vellent opitulari: Adfuit Antistes ipse pauperum studiosus, & Prætor: Magistratus item, & tribuni plebis cum omnium sacrorum Ordinum Moderatoribus. In hoc grauissimo consessu causa pauperum agitata est. Ad duo millia censebantur: & præter mille aureos depromptos à publico ærario ciuitatis, Antistes, cæteriqúe contulerunt, quod trium mensium spatio abundè fuit ad illam multitudinem alendam. Quam cùm in certo loco esse iussissent magistratus, lectissimi quique ciues eò ibant, & beneficentia, exemploque singulari annonam diuidebant. Ea res non modò vrbem exhilarauit, sed spei bonæ quicquid soli est inter duos amnes Durium, atque Minium impleuit, cùm tam hospitalem suis accolis eam ciuitatem esse didicissent.

CONFLAGRABAT item pestis incendio oppidum à Portu duodecim millia passuum remotum, & qui ibi laborabant nihil habebant commeatus ad vitam, nihil medicamenti ad ægritudinem. Ita vtroque malo, peste, fameque vastabatur; consenso nauigio mari ex oppido venerunt, qui vtramque necessitatem Senatum vrbis, populumque docuerunt, suscepit à consilio publico curam opitulandi demandatam Magistratus ætatis prærogatiua auctior, isque cuius in custodia vrbs erat vir grauissimus. Hos duo è Nostris comitati per ciuitatis regiones decurrerunt; & tantum pecuniæ coegerunt, quantum potuissent aduersus ea mala sperare. Hæc Nostrorum erga pauperes diligentia in ægros maximè redundauit, non modò hoc tempore, quo magis premebantur; sed toto anni curriculo cùm in Nosocomia

Digitized by Google

portarentur, & à morbo recreatis, integrisque daretur quo vitam deinde tutarentur. At Antistes nobilissimus sua peculiari in pauperes propensione, cùm passim inopes leuaret, orbas fœminas dote collocauit. Et cũ Nostro referente intellexisset esse ex honoratis, qui grauia ob indigentiam paterentur, in menses singulos dedit, quod satis esse posset, vt honestè victitarent. Indotatas virgines, quarum ætas, & pudicitia erat obnoxia iniuriæ, præsertim cùm improbi nõ deessent, qui allicere ad turpitudinem niterentur, Nostrorum vigilantia defendit, prouisumque ne propter inopiam committerent vnde infamia sequeretur. Honesta conditione natam, & ætate adolescentem, cùm sua imprudentia fefellisset, parentes dolore facti incluserunt, & à conuictu notorum segregarunt. In superiore parte ædium continebant; addiderunt quicquid acerbitas, & dolor imperabant, contumeliam, inediam, supplicia. Exspes, noctu ex edita fenestra præcipitauit, casu debilitata vt potuit, in amicam domum irrepsit. Inde Nostri certiores, patrem, matremque conuenerunt, persuasêre, vt casu dissimulato filiam reciperent, æquoresque haberent: fecêre, ac postea ductam in Collegium confessione repurgatam retulerunt, conquisitumque remedium Nostris adnitentibus ad præterita sarcienda. Nosocomia, carceresque non negliguntur. Aegri, vinctique diuinis, humanisque auxilijs alleuantur. Sunt qui audiunt his in locis cõfitentes, qui in odium peccati incitant, qui studium virtutis accendunt concionando, qui corpori necessaria quærunt, quique totius vrbis gratulatione humeris interdum prandia ferunt.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM BRIGANTINVM.

COLLEGIVM Brigantinum in saltuosa Lusitaniæ regione situm, tot montium obiecta munimenta à peste peruadente defendere non potuerunt. Agebant in eo ex Nostris vndeuiginti, sua quisque studiosè procurabat. Ad conciones erat ciuium concursus, ab oppidis alijs concionatores petebantur, crebri qui confiterentur veniebant. Hæc quæ suo cursu pacatè agitabantur coorta lues non mediocriter perturbauit, & ante hoc tempus, cognitum cùm Nostris esset in custodia publica emori homines, quibus deesset Sacerdos ad audienda peccata; bis octauo quoque die eum locum repetebant; vt ægros, si qui essent, confitentes audirent, aliosque monerent, vt confitendi oportunitate vterentur, ne obire contingeret sine animi lustratione, vt alijs contigisset. Morientibus ibidem sacram Eucharistiam Sacerdos nullus porrigebat, nullus item inungebat ante mortem; Antistitem Nostri monuerunt: in posterum diuina, & humana diligentiùs apud istos fuerunt procurata.

Grassabatur fames, qualem alijs retrò annis homines non meminerant, & hi ipsi vni vehementissimè hoc malo cruciabantur; quamobrem Nostris cibaria deferentibus, optimo quoque iuuante effectum est, ne omnes centũ, & sexaginta iam mortuis, inedia interirent. Et inuenti cũ nocte expirassent, cibaria, quibus sorices oculos, nares, labra, aures, digitos manuũ, pedumq; omnino arrosissent. Eo tristi aspectu Nostri eos orarunt, qui valentio-

Digitized by Google

res aderant,ne quos videbant morituros nocturno tem pore defererent;& cùm funera nemo curaret, exanimes ibidem dies aliquot iacebant,propterea actum,vt quàm fieri posset citissimè humarentur. Pater Gartia Gonsaluus horum auctor operum extitit diligétissimus,idemque vt in custodia faciebat, ita in publico decumbentes confitentes audiebat, tractabat morientes humanissimè, attollebat ægros,à sordibus repurgabat, & quibus sæpe auditis alij nauseæ molestiam suscipiunt,ea tolerabat ille,insigni patientia,& charitate :, quin etiam eosdem in templa deferebat,vt ibidem diuina habere possent,quærebatque opem aliquam , qua corpora inedia confecta reficeret , & nuda penè operiret. Hæc cura illi sanctitatis peperit opinionem,& verò is etiam apparebat,quem Brigantini rebantur populares.Contagione igitur sordidæ illius multitudinis morbum contraxit , nam ex illuuie & pædore noxia adspiratio sana corpora contaminat,eumque morbum inuehit, quem à maculis lenticularem appellant quidã,pesti nõ dissimilimũ.Is eum morbus extinxit cum tres & viginti annos in Societate confecisset , omnibus quibus vixit in Collegijs exemplo modestiæ, demissionis,taciturnitatis,aliarumque virtutum spectandus.Hic ille est , qui antequam Societatem ingrederetur, captum pugna Africana patrem redemit , non pecunia sed libertate:se enim immani barbaro captiuũ dedit,ea conditione,vt parenti ad tuta esset iter:euasit inde à dura seruitute,qua odio Christianæ religionis Mauri in Christianos sæuiunt, miraculo.Virgo etenim sanctissima, cui se , vitamque suam commendabat, ex ergastulo eripuit, suisque incolumen restituit. Obijt etiam frater Augustinus Ioannes Coadiutor temporalis iam formatus, animo candidus, integritate morum cognitus , & multis rebus exercitatus.

HIC est ille annus Brigantiæ,& finitimis oppidis funestus

Digitized by Google

neſtus propter famem: nam cum his in locis copioſis vilitas frumenti eſſe ſoleret, annonæ caritas pretium auxit,& prodigiũ habetur hîc centum quinquaginta aſſibus modium tritici veniſſe ſexcentis medimnum æſtimatum. Ex tam acerba caritate vias, & plateas ſtrata corpora morté ex inedia expectantium tenebant, quos ad ea deuoranda fames impellebat, quæ dictu intoleranda videbuntur, cani, feli, aliiſque animantibus non parcebant, rebuſque quas ediſſe in Luſitania portentum eſt. Et vnde leuamen eſſet ipſa inopia torrente opulentos? Solum Collegium tantæ reſtitit diritati. Cum obuiæ multitudini publicè ad ianuã,& alijs clam ſuccurriſſet, cœnobium quoque eadem neceſſitate preſſum ſubleuauit, eoſque qui agros arant Collegio vectigales. Aratores etiam erexit fractos deſperatione, quibus in ſequentem annum ſpem arandi ipſa fames ſuſtulerat: nam cõmodata fuit vis frumenti ad ſationem. Fuêre qui tantam liberalitatem pertimeſcerent, Collegio inediam allaturam: ſed euentus declarauit hiſce temporibus, non modò dandum habita ratione parcimoniæ, ſed charitatis ingenio effundendum, cum maturiùs agri nobis fruges peperiſſent, quas alijs ſeriùs fundi attulerunt.

INTEREA qui gemitus eſſent, qui comploratus, ſi id etiam eſſet ſcribendum, vix explicari poſſunt. Noctes, dieſque Diuos fatigabant, atque homines voces lamentantium. Erant qui mortem prouocabant, eamque eſſe dicerent, quæ tot malis finem eſſet allatura: repetebant nomina Seruatoris & Virginis ſanctiſſimæ opem implorando: petebant vt ſolùm nucis magnitudine panem darent, quem precarentur non videbant. Obſidebant fores ædium, in quibus eſſe auxilium aliquod opinabantur. Contumaciam ex importunitate alij adhibebant, non abeundum affirmabant niſi aliquid porrigeretur: lachrymæ,& lamentatio terribilem ſpeciem mali attonitæ

Digitized by Google

ciuitati obijciebant. Nec potest gloriari pestilentia plures à se occisos postea quàm fames antecedens enecauit. At Pater Rector ne tot, tantisque malis succumberet, quicquid erat nominis Brigantini quantum potuit consilio, & diligentia contendit, vt remedia pararentur, quibus leuaretur fames, & finem aliquem publica haberet lamentatio. Cum sæpius Antistitem conuenisset, vrbisque summates, in hanc sententiam ierunt, vt denuò venientes pauperes adiutos præsente aliquo subsidio ingressu ciuitatis prohiberent. Eos porrò qui iam in vrbe essent, inter se distribuerent, & victu quotidiano sustentarent. Suos Antistes septuaginta esse voluit, Collegio obuenere plures quadraginta, cæteris quot quisque poterat tolerare, & quatenus facultas suppetebat. At Nostris eiusmodi detersa & pædore, præbita vestimenta, quibus nomen sanctissimum IESV erat tessera, exemplum verò ciues imitati suos quisque vestierunt, ea æmulatione, vt inter se certare viderentur quinam suos cultiores haberent. Hoc vno inuento & ciuitas respirare visa est, & lamenta impediri: qui huius non erant conditionis alia via leuabantur, pecunia scilicet, quam ipse dux Brigantinus miserat, precatus vt iudicio Patris Rectoris diuideretur. Nondum noua copia frugum domita fames excesserat, cum atrocior tempestas reliquias populi Brigantini aggressa est. Pestis multa oppida, quæ longo spatio non aberant depopulata in Vrbem penetrauit, & principio obscura vt solet latitabat, cum toto impetu cœpit debacchari: hoc metu, qui Brigantiæ ditiores erant fugam meditati, cùm sibi prius consulere vellent pacata conscientia, certatim ad Nostros conuolarunt studio confitendi. Ex his iam aliqui perculsi malo videbantur, & alij tectis inclusi Nostros ad se vocabant, quos iam laborare suspicio erat: ea de causa ne totum Collegium periclitaretur, templo, ianuaque occluta Pater Rector vnis ædi-

bus

Digitized by Google

bus extra Collegium paratis Patrem cum ſocio collocauit. Sed cum delectum haberet pia quædam concertatio officij Chriſtiani plena, omnes attulit in certamen, quiſque eam ſortem cùm optaret vehementiùs tendebat. At eo bono populus Brigantinus reſpirauit, ſerperet in corpora, aiebat, permittente Deo peſtilentia, vitam ſi eriperet, habere ſe qui animam tueretur. Patres nempe è Collegio, quos expeditos ſine pallio, pulla veſte tunicatos audiebat cum facibus acclamantes. Hæc erat porrò acclamatio, vt quamprimùm omnes faterentur, & diligentia furorem peſtis anteuerterent, periculum eſſe ne poſtea circumſeſſi à tanto bono arcerentur, & re aptè diuinarunt: Nam repentè aliqui percuſſi, iudicio perturbato nihil, quod ad animam pertineret agere potuerunt. Sed Patrem laſſauit ipſa fatigatio, vix illi tempus reſpirandi. Integri confitendo detinebant, ægros ipſe bis quotidie quæritabat, nullum locum non adibat, domos, vicos, cuſtodiam, Salutis quoque ædem perluſtrabat, quin à parochis deſerta turba, accolæque eius frumentariæ regionis commoti fama Patris audientis omnes, à ſex paſſuum millibus approperabant. Excipiebat venientes libentiſſimè, & expiatis Euchariſtiam porrigebat. Illi venerari Patrem, benè velle Societati, quando à ſuis curionibus ſpreti, neminem præter Societatis viros inuenirent, qui tali tempore opem ferrent. Principio cum vini Patrem ſociumque detinerent, mortuorum eclibitinæ non potuit eſſe curæ, vnde neglecti, deſertique non pauci quo loco iacuerant, ibi mortui inhumatique manebant. Sed poſtea animaduerſum eſt, & adhibiti Sandapilarij qui è tectis, & plateis corpora exanima efferebant, mandabantque ſepulturæ. Inter hæc conſilio, & breui interdum concione plerique iuuabantur, ij præſertim, quos ſuarum rerum cœperat deſperatio. Et monitæ accuratiùs, quæ in orbitate relictæ, forma, & ætate abuti poſſent,

ſent, quibus quam tempora ferebant operam, Noſtri illi duo afferebant. Agebant in primis multi ſuis ædibus incluſi, qui non erant ex fæce populari: laborabant ægri cum ipſa morbi vi, tum inopia conflictati: vxores extinctis maritis iacebant in ſordibus ſine victu, & puellæ ſine tutela, quò ſe conferrent non habebant, à cuſtodia ſola fugerant alimenta, cætera mala eiſdem vinculis cum vinctis attinebantur, illuuies, pædor, ægritudo. His omnibus ſubſidia quæſita ſunt, ſed nemo liberaliùs quàm Collegium ſua ope has miſerias propulſabat. Vt illa ſe habuerint, non tam videtur inquirendum, quam grates agendæ Deo immortali, quòd tot rebus Pater vnus vno cum ſocio ſatis eſſe potuerit.

QVAE verò perfecta ſunt expiatione animorum litteris mandare nefas omnes intelligunt, ſed per capita iſta poſſunt recenſeri. Bona reſtituta quæ iam diu improbè retinebantur: qui publico odio arſerant, nec ſatisfecerant hominum offenſioni, aut ipſi coram veniam petebant, aut lectulis affixi propter morbum orabant Sacerdotem, qui ſacram hoſtiam deferebat, vt ſuo nomine pacaret inimicos, & ſi quæ mendacio dixerant ingenuè reuocabant. Qui impurè vixerant ſublato pellicatu matrimonio copulati, aut antequam morerentur occaſionem ſceleris eiecerunt. Ac præclarè cum his actum, nam modò integri, & bona valetudine affecti, peſte laceſſente biduo poſt interimebantur. Mulier viro iam mortuo paulò antequam ipſa moreretur viuum partum effudit, quid agendum patri occupatiſſimo? conquiſiuit nutricem quæ aleret infantem. Cœteræ verò matres paruos liberos geſtabant languidos, & penè exangues offerebant, orabant vt euangelio recitato benè illi ætati precaretur, fide ſyncera fretæ obtinuerunt. Id quoque grandioribus euenit: nam deiecti è poteſtate mentis illo vno remedio ad ſe redierunt, & confeſſi incolumes euaſerunt.

ALI

Digitized by Google

ALIQVOT dies Pater inter peſtilentiæ flammam verſatus impunè ne laborando ſolum experiretur quid mali ſecum ferret, volente Deo cecidit in eundem morbum. Intellexit inde quid cæteri paterentur,& nihil eſſe quod ex charitate non deberetur illis qui tanta cum pernicie conflictantur. Cæterum populares vbi ægrotare Patrem acceperunt,quaſi ſinguli interitùm parentis pertimeſcerent,dolere,angiq́ue cœperunt. Fa de cauſa multi in preces ſe dederunt, & exoratus ipſe Deus reſtituit ſalutem.Nam nullis medicamentis acceptis tertio à morbo die conualuit, adeò integer, vt quamprimum alacrior ad officia redierit. Ipſe verò ad ſanationem valuiſſe putat B. Patris Ignatij nomen aliqua ex epiſtola exemptum, quam habebat apud ſe,eoq́ue ſe armabat cùm exeundum erat ad illam cum peſtilentia dimicationem: ſe corruentem & grauiter laceſſitum eidem qua potuit animi contentione commendauit. Ille è cælo ſuo ſocio,ſuoq́ue militi opem tulit,iacentemq́ue erexit.Principio quidem coorta peſtis ſuburbana vrbis atrociùs occupauit, arcemq́ue non inuadebat.Brigantia porrò tota extra eum murum eſt, qui turrim ingentem cum propugnaculis complexus munitionem efficit tutiſſimam belli temporibus. Huc igitur ſe plerique contulerunt, quaſi peſtilentia muro, & vallo arceri poſſet; adhibita etiam cuſtodia ne quis admitteretur. At Pater quoniam ſuſpicabatur eum locum ſine peſtilentia non eſſe, ne quis fortè ſine confeſſione moreretur, eò ire decreuit, & cuſtodis voluntate ingreſſus eſt.Cæterùm cum nemo ægrotum ſe profiteretur, & ſignificarent gratum ſibi non eſſe quòd in id loci penetraſſet, cum propter contagionem malum afferre poſſet, & ſanos contaminare,receſſit, neque magnopere de reditu contendit.

INTRA murum carcer eſt publicus, ideoq́ue quæ ad alendos vinctos cum ſocio deferebat funibus trahebantur

bantur, & qui carceri præerat diuidebat. Cæterùm cùm resciret non minus ibi quàm cæteris in locis pestilentiam grassari, moriq́ue nonnullos sine Sacerdote, qui confitentes audiret, & clam humari ab suis, ne ab aliis ædibus pellerétur; Magistratus adijt, & docuit se iubente Collegij Rectore, exitio deuotum ad opem afferendam ægrotantibus, & eandem esse voluntatem moriendi omnibus, qui Collegij parietibus se continebant. Impediri verò ab officio charitatis eorum pertinacia inconsulta qui tecta intra murum tenuerunt, ibi sine confessionis beneficio plerosque exanimari: æquum esse, vt qui valerent, & qui rebus necessarijs non carerent, loco ne mouerentur: at perculsos vt efferrent, darentq́ue operam, vt in Salutis ædem portarentur. Ibi si corporibus periclitarentur, tamen animorum remedia se præstante habituros. Grata fuit oratio, & mandatum ne quis Patri impedimento esset. Iret porrò ipse in arcem quoties videretur. Ergo Patrem exceperunt læti, cùm intellexissent eos quibus remedium esset non efferendos, cæteris porrò ex edicto magistratuum consulendum. Et primo ingressu reperit aliquos semimortuos, à quibus diuina ope nonnihil extorsit, vt absoluti commigrarent. Primis diebus quibus accessit pestilentia, cùm crudelior desæuisset ad vicesimum diem Augusti, inde (quamquam interdum recrudesceret) mitigari cœpit. At octauo Septembris ipso Virginis natali die populus Brigantinus tanto malo fractus, in pietatem tamen versus, salutem recuperatam Virginis beneficio declarare voluit.

QVERCETVM est in colle molliter à locis suburbanis castigato. Hic aiunt olim imaginem Virginis inuentam, cui peruetustam ædem dedicarunt, ea intra murum est in ipsa vrbis parte, in qua diximus arcem, & munitionem esse. Inde cùm petissent simulachrum religione maiorum, memoriaq́ue cultum ab Querceto solemni

pompa

pompa detulêre,& solent difficillimis temporibus ab sua efferre sede,experti non inanem esse spem eo ritu supplicantibus, cùm recordentur ex annalibus virginem eo modo cultam opem attulisse, & nunc tam sæuam tempestatè sedatam eidem Virgini meritò attribuunt: cùm eo die corrupti cœli vitio nemo laborauerit. Tanta porrò atrocitate debacchatam fuisse pestilentiam tribuunt inediæ, quam non solùm sterilis inuexit annus, sed lues ipsa, qua oppida vicina deflagrabant: ea deterriti institores nihil deferre audebant, plerique Philosophiam secuti in aërem culpam conijciunt, meliori coniectura sapientiores iudicarunt à peccatis pestilentiam fuisse, idque non vno monstro in ægris significatum. Etenim cùm vomicæ secarentur, & membra quæ lues corrupisset ferro amputarentur, auulsæ carnis partes figuras quasdam ostenderunt scelerum planè indices. Lacerti; ranæ, pulli intra oua mortui apparebant, polypique suis acetabulis tenaces: & Patri mendacium non esse qui viderunt, affirmarunt. In cubiculo angusto appensis imaginibus ornato, cùm vir honestus ætate senior iaceret, ex angulo flammulam vidit erumpentem, quæ totam ædiculam cũ percurrisset, eo vnde eruperat rediuit, sui vestigium tenue per summas imagines cùm reliquisset, extincta est. Apud hunc hominem dum Pater audiendis alijs erat occupatus, æger ipse indicium flammæ socio ostendit. Re narrata interrogauit, an ea flamma pestis esse posset, vtcumque sit, peste ipse extinctus est.

DVORVM etiam hominum, qui eo anno delecti Senatores rem Brigantiæ publicam moderabantur virtus enituit. Hi cum euolare possent, vt cæteri, fuga, noluerunt, sed in vrbe magno animo restitêre. Horum alter Salutis ædem tuebatur, ægrosque suis in domicilijs iacentes, illos præterea deferri ad ædem publicam mandabat quos in publico decumbentes reperiebat. Et cùm.

exausta

exausta his, & alijs rebus imperandis publica pecunia esset, præter alia charitatis argumenta non leuia; ab lecto suo stragula detraxit, pignoríque dedit, ne egentibus necessaria deessent. Ambo verò magno animo ægros inuisebant, amiceque salutabant, & suauioris cibi aliquid porrigebant. Hi à communi peste depulsi vita incolumi fruuntur, & sperandum vtrique Deum, Diuosque cœlites Brigantiæ tutelares benefacturum. Iam neminè in vrbe pestis lacessebat, iam ægri qui euaserant recreati integris viribus deambulabant, iam lunæ tertio exortu nulla pernicies quemquam agitabat, abijsse pestilentiam rati omnes, Præsentatæ magnæ Virginis peruigilio, aditu aperto significatum sanitatem datam populo Brigantino. Recepti magna gratulatione illi duo, qui exierũt, Collegium sunt ingressi denuo precati, vt quemadmodum inde exissent, seque pro salute populi Brigantini deouuissent, restituti suis incolumes ea conditione redirent, vt ad maiora præstanda & Deo, & Societati seruati viderentur.

COLLEGIVM IN INSVLA MATERIAE.

HABET Insula Materiæ Collegium situm in Vrbe Funcialensi, ab eo summa capita ad litteras hasce missa, quæ bona fide referentur. Hoc anno in nostro aiunt templo, alijsque locis magna frequentia auditorum concionatum: ad crimina confitenda totam ciuitatem concurrisse, & vix sufficturos se totidè Patres adderentur, magno emolumento expiatos plurimos: ad custodias, & Nosocomia itum sæpius.

Digitized by Google

sæpius. Ibi procuratum, vt omnes animum confitendo repurgarent. Datam quoque operam ne grauissimè egerent, à vinculis: non paucos liberatos, præsertim debitores, cùm Nostri eos quibus erât obnoxij placauissent. Laboratũ quoq; atroci fame ea in Insula didicimus, & Collegium vt subueniret ex sua re dedit adeò liberaliter, vt domi quaterni modij vix reliqui essent. Ita nobis extrema etiam inopia imminebat, vtrumque commouit ciuitatem, & tam benignos fuisse Nostros, & eo loco Collegium esse. At ea ipsa pietas attulit opulentum, qui oportunè quantum frumenti opus esset, daturum se recepit. Cędem factã vltores iudicio persequebantur, & vrgebãt vehemẽter. Multi nobilitate, & auctoritate pollẽtes pellicere ad veniam accusatores contendebant. Nihil consecuti de impunitate impetranda desperarunt. Nostri eundem lapidem mouentes, tandem duram voluntatem expugnarunt. Vrbi gaudio fuit, & Societati nostræ laudi, id ex atrocitate cædis, & pertinacia accusatorum colligebant, quorum altera actores ad vindictam efferauerat, altera deprecatores respuebat. Et potuisse Nostros crudelitatem leuare, & frãgere contumaciam à Deo Societati datum prædicabant. Hoc officio beneficium consecuti se Nostris obligatos ostendunt, & qui maximè repugnabat concione quadam victus deposuit ferocitatem.

CONSPIRARANT duo ad cędem faciendam, is qui ferro petebatur erat ex proceribus. Ciuitatem non mediocriter fama sceleris perturbabat. Eruperant iam grauium exordia malorum. Hinc & inde factiones se armabant. Vnus è Nostris industria, & auctoritate composuit seditiosos, eos verò maximè, qui iniuriæ acceptæ dolore æstuabant. Grata non modò ea res fuit ciuitati, verùm etiam salutaris. Ciues aut laboribus affecti, aut angore animi cruciati Collegium suum esse perfugium arbitrantur: ea de causa consilio adiuti Nostros conscien-

Digitized by Google

tiæ pacatores appellant. Et maximè hoc anno luctuoso publicè testabantur animo fuisse despondendum, nisi Nostrorum auxilio fulti respirassent.

DVO etiam Patres totam Insulam perlustrarunt, confessiones hominum numero plurimæ in diuinum obsequium redundarunt, extinctæque inimicitiæ, & concordia discordibus restituta.

COLLEGIVM ANGRENSE.

CIVITAS Angra in Insula Tertia hoc anno suo in Collegio habuit septemdecim ex Nostris. Valuêre omnes, quod Diuino beneficio censent tribuendum, vno Ioanne Gonsalino coadiutore mortuo, sub ipsis coortæ pestis initijs decessit: mors vitæ respondit, quam virtute, & exemplo in Societate honestauit. Nemini licuit esse per tempora otioso, domi, foriſque ipsæ res non mediocri Nostri instituti laude vnumquemque magnopere exercuerunt, quicquid hominum animis fuit conferendum præbitum diligenter, & excitati sunt præcipuè concionibus ad mentem repurgandam, eaque persequenda, quibus constat salutem comparari. Adhæc carceres adduntur, & Nosocomia, quibus qui detinentur à Nostris accipiunt diuina, atque humana. Mitto id genus alia.

FVISSE personam memorant, quam spectrum horribile deterrebat. Objiciebat se videndum terribili aspectu, larua formidanda, & persuadere nitebatur spei nihil esse reliquũ, desineret fatigare Deum, salutis remedium consequendæ esse nullum, propterea exspes vitam sibi eriperet. Ibi scopulos esse è quibus in præceps se deijce

Digitized by Google

deijceret: aut si eo genere mortis interire recusaret, domi gulam frangeret suspendio. Quid tu, inquit, precaris, cùm tuis precibus nullus locus relinquatur? Agis præterea cum illis, illo qui viuunt in Collegio, & confitendo arbitraris te religione solui: hasce nœnias, dementiasque omitte. Hæc cùm fideliter detulisset, & doceretur quantum esset præsidij in totius vitæ confessione, id remedij vsurpauit. Nec se solùm experta est ab illo portento liberatam, sed tranquillata mente recreatam.

AT supplicium commune regni pestis scilicet, quæ Lusitaniam mirabiliter afflixit, nec Insulam Oceani vastitate interposita seiunctam intactam reliquit. Qua via Olisiponem ingressa frequentissimam ciuitatem deuastauit, ea Angram tenuit. Phaselo vecta nauigauit, & septem menses debacchata septem millia capitum interfecit. Propugnaculum arbitrantur omnes in Lusitania coorta pestilentia ædem designatam nomine Salutis, in quam relegant ægrotantes: ea quoque exædificata apud Angrenses: non defuêre religiosi Patres qui auxiliandi causa in eam se contulerunt. Idcirco Pater Rector vtiliorem operam Nostrorum iudicauit impensam ciuitati. Eam prouinciam petijt, & consecutus pater Franciscus Fernandus, cuius probitatem non modo Angrenses cognoscebant, sed aliæ Insulæ expertæ non rarò, prædicabant. Erat illius Collegij accola diuturnus vndecimo iam anno. Domi & foris idem exemplo vitæ integræ, & omnibus officijs religiosæ charitatis. Ergo cùm se deuouisset, omnia peregit tam ardenter, vt domesticis exemplo esset, externis stupori. Die noctuque ægris assidendo neminem præteribat, confitentes audiebat omnes, & quamplurimos quos fame emori videbat, conquisitis remedijs leuabat.

QVOD in cæteris regni oppidis vrbibusque euenit, in quas pestis irrepsit, id quoque in Insulam copiosam, & tritici feracissimam penetrauit, famem dico. Ita

Digitized by Google

duo mala Angrenſes occupabant, & aduerſus vtrumque ille ardor, illa cõcitatio animi quæ in Patre optimo inſederat totis viribus decertabat. Hæc agentem mirabili conſtantia, hominumque laude peſtilentia inuaſit: breuique laboribus fractum corpus deleuit. Secum non modò ornamenta virtutum detulit, ſed etiam lachrymas Angrenſium vno ore deplorantium pauperum parentem cum peſte & fame dimicantem interijſſe. Voluit Collegium mortuum celare, populares ne nimis commouerentur: ſed mortui fama erupit: & mox è faſtigio templi maximi æra campana lugubri ſono concrepuerunt, interijſſeque vulgarunt contra morem eius temporis, cùm eſſet interdictum ne cuiuſquam in funere ſonarent. Funus magna frequentia celebratum, quod ſæuiente peſtilentia rarum, nec lachrymis caruit amicorum, & paſſim modò Angrenſes non ingrati repetunt, & ore verſant hunc Frãciſcum, neminem aiunt potuiſſe mori in hac Inſula, cui iuſtiore dolore iuſta ſoluerent. Et verò hunc ſenſum expreſsũ lachrimis magna ratione virũ illũ meruiſſe concedunt. Ea illi fuit charitas, is in hominibus tractandis amor, & beneficentia. Præter eum Patrem, qui Vrbem perluſtrabat, alij præſtò in templo erant, quibus ne temerè, & ſine cauſa ruerent in periculum præcepta ab obedientia data ſunt, & ea ſalutaria fuiſſe certum eſt.

CONCVRRIT tota ciuitas ad templum, & gens Luſitana ad pietatem propenſa ſui immemor eſſe minimè conſueuit. Cogitat eſſe Deum, vltorem ſcelerum recordatur, peſtem graſſari vt videt, mortem ab ſe longè abeſſe non arbitratur, & metu perculſa iuſto, orto à fidei Chriſtianæ documentis, & morum diſciplina, ſe colligit, ſerenare animum fluctuantem nititur expiando. Idcirco Oliſiponæ, Conimbricæ, Brigantiæ hic luctuoſus annus tam habuit Noſtros occupatos, & confitentium multitudo tot horas tenuit Sacerdotes. Nunc verò in Vrbe Angra

Digitized by Google

gra frequentia magna primis illis diebus, quibus cępit ardere peſtilentia veniebant omnes: peccatorum onera magno ſenſu deponebant, piè riteque Euchariſtiam capiebant: fugiebant veteres peccandi occaſiones: ſoluebant debita, iniuriarum obliuiſcebantur. His animum armarunt aduerſus peſtem ſe inuehentem, interitumque minantem. Hæc ſumma illius eſt temporis mœſtiſſimi quo Collegium non modò conſulendo fuit Angrenſibus ſalutare, ſed etiam opitulando orbitati viduarum, & liberorum opem tulit, pauperes aluit, homines honeſtos his malis conflictatos ſubleuauit.

INSVLA DIVI MICHAELIS.

IN hac Inſula ex qua parte littus in mare excurrit cuneatum, vrbs eſt illi à forma litteris, latinè attenuata cuſpis, Ponta Delgada nomen Luſitanè. Hic noſtri ſeptem, iſtum de quo ſcribimus egére annum; magno fructu dicuntur oppida, & vicos peruagati: & verò ita eſt, cùm eorum ſit penuria, qui incolis vitæ Chriſtianæ documenta inculcent. Scripſeram inde duo ex ſeptem aliò vt abirent, quia redditus qui ibi noſtri ſunt, alere eum numerum non poterant, & parcendum erat rei nummariæ, vt interim aliquid ad ædificandum cogeretur. Reſciuère Magiſtratus id eſſe imperatum, ægreque tulerunt. Venére ipſi primum, cæteri deinde, vt quiſque auctoritate opibuſque pollebant, omnium erat oratio ne duo ab Inſula mitterétur. Litteras ea de re ſcripturos, & quod ad alendos duos attineret nihil defuturum. Fuéreque qui ſtatim neceſſaria præſidia obtulerunt. Coacto verò Senatu ad Regem iſta deferenda

Digitized by Google

decreuerunt. Illam Insulam nihil omisisse quod ad tuendam Imperij Majestatem pertineret. Loco præmij obnixè flagitare, vt redditus esse velit quibus Societas ibidem esse possit, qua ipsi mirificè adiuti non modò diuina discunt,& accipiunt,sed ad fines patriæ tuendos,& Regiæ Maiestatis auctoritatem aduersus classes inimicas defendendam alacriores redduntur.

NON venit in hanc Insulam pestilentia, quæ vicinam Angram afflixit: at eius locum altera ægritudo occupauit, non admodum dissimilis, parem propemodum minata vastitatem. Repentè mortui concidebant, corpora pernicioſis tuberibus intumescebant. Inflammabant vlcera graui cum dolore homines, & medici Eryſipelas dicebant. Atque ita irrepebat, vt contagionis more pestifera vulgaretur: vnde passim funera vilebantur. Et prima aggressione Nostri non sine periculo ad eos qui hoc malo afflictabantur, die nocteque veniebant. Sed maximè inopes ista peste laborabant: Nam qui remedijs non carebant, incolumes vitam agebant. Curationem Nostri allaturos se intellexerunt, si bonorum ope niterentur, ne propter indigentiam serperet ægritudo. Eapropter Magistratus adierunt, docent quo in periculo versarentur omnes, si pauperes negligerentur. Mediocri diligentia sospitatem rediturum. Incuria, & negligentia eum morbum in pestem facillimè euasurum. Inopes nequire vno loco conquiescere, sibi viuendi remedia oberrando quæsituros, & cum ea corpora contacta malo morbum secum ferrent, integros, & validos vt apparebat, corruptura. Remedium esse si ex publico medicus, si chyrurgi, si qui venas aperirent ægrotis præberentur. Patrem ex Nostris affuturum, Vrbem cum hisce præsidijs, quotidie iuitraturum. Ex officina iussu Magistratuum pharmaca petiturum. Approbarunt omnes qui in Senatu erant, & die dominico feriò denunciatum ex suggesto

beni

Digitized by Google

benignitate diuina pestem non grassari : morbos qui modò essent scire se vnde erupissent, ad eos curandos optimam inuentam esse rationem, bono animo sperarent salubritatem affuturam. Qui ægri laborarent nomina darent, mitterent in Collegium ; inde sine priuato sumptu quicquid ad morbum depellendum valeret, efferendum. Egêre Deo gratias non illi tantum qui præsente auxilio leuabantur, sed etiam cæteri omnes, qui quamuis non egebant ; alienam tamen ægritudinem nocituram sibi formidabant. Inde matutinis horis prodibat vnus è Nostris è Collegio cum altero Senatore: sequebantur euntes medicus, & chyrurgus ; quique medicamenta & alia deportabant ; percurrebant Vrbem, neminem ægrum sine sui morbi leuamento relinquebant. Hac solerti diligentia ita certum est illam perniciem atrocem mitigatam, vt post octauum diem intellexerint, non esse cur eam vehementer perhorrescerent. At paulò post ita fracta eius mali vis fuit, vt Deum Diuosque immortales venerati, piè, & religiosè agnoscerent Societatis beneficium, de eo beneuolè gratularentur.

COLLEGIVM ANGOLÆ.

NIHIL ab Angola, quod possit ad has literas pertinere. Hæc pauca ex priuatis epistolis acceptа : egisse nempe Nostros quæ anno superiore. Lusitanos, qui ibi sedem posuêre in officio religionis tenuisse. Aborigenes Æthiopes bono semper animo excipisse, eosdem mysteria sacra docuisse, cùm oportuit aqua baptismi ritè abluisse. Obijt Ioannes Fernandus Coadiutor, octo & triginta annorum illi ætas,

Digitized by Google

decimum in Societate expleuerat. Duos Angolæ labores sustinuerat, eum semper se exhibuit, quem Societas requirit. Et quoniam pauci in ea regione, confectus grauissimis laboribus, & soli, cæliq; natura. Sacerdotes duo, vno cum Coadiutore, eò ad supplementum nauigarunt. At qui imperitat Angolæ etsi multitudine abundet, siue quod detrimenta belli sentiat, siue quod pacem bello existimet præferendam, eam per legatos à Prouinciæ gubernatore impetrare contendit. Nec id solum, sed etiá velle nostram complecti religionem, vtraque res vt crederetur obsides fecêre fidem. Ad nos venerunt Principum liberi adolescentes ab ipso Rege missi. Hos nostris in præsidijs seruari posse declarauit: dum magistri mediterranea adeuntes imbuunt populos fidei documentis. In Hispaniam hæc delata, quid inde reportabitur, expectandum. Interea his obsidibus veritas Christianæ vitæ, & Religionis aperitur, & accipiunt alacriter quę docentur. Certum est huius legationis negotia, si felicem euentum sortiantur, fore vt religionis fines amplificentur.

Digitized by Google

PROVINCIA FRANCIÆ.

EGERVNT in duobus Collegijs Socij centum ferè & ſedecim. Virduni quidem (vbi Collegio copulata eſt Probationis domus) vnus & triginta. Ex his Sacerdotes decem & ſex; hos inter erudiendæ iuuentutis curam gerunt quatuor. In tyrocinij ædibus quinque numerantur. Ex cæteris Magiſtri duo. In rei domeſticę opere occupati ſeni Tyrones, & his ad tertium probationis annum adiuncti, præter quinos illos, omnino ſeptem. Muſſipontum autem quinque & octoginta frequentant: Sacerdotes octo ſupra triginta. Ex horum ordine Præceptores ſeptem, eiuſdem docendi muneris profeſſores alij ſex. Scholaſtici quindecim. Rei familiaris adiutores 26. Exceſſerunt è vita quatuor: ad Societatem acceſſerunt ſex.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM MVSSIPONTANVM.

INITIVM à Scholis, quibus extitit Gymnasij ortus, capiam. Numerati auditores totius propemodum anni curriculo milleni. Vsitato apparatiorem Ducis Lotharingiæ in Academiam suam aduentum (qui familiaris cuiusdam congratulationis ergò susceptus erat) haud illaudato dramate epulatoris Euangelici parabola celebrauimus. Princeps quoque Illustrissimus Dux Mantuæ cùm hac iter faceret, literarias hasce palestras magna beneuolentiæ significatione coram cohonestans, vario carmine commendatus est. Sub autumnum verò Serenissimus Archidux Albertus, dum Belgium suum vna cum Regia coniuge repetit, diuertit Mussipontum; atque à nostris superioribus aditus, & officiosissimè est salutatus. Recitatum præterea multiplex epigramma à lectis adolescentibus. Coniugum vterque gratis animis id officij accepit; & nonnulla perhumanè percontatus; nonnulla insuper in Societatis laudem de Nostrorum vbique fermè gentium, de hominibus benemerendi alacritate industriaque commemorauit. Instauratione studiorum datus in theatrum Saul furens; alio verò die solemnis præmiorum facta distributio: eaque nouo, neque dum vsurpato genere celebritatis, munificentia generosissimi Comitis à Salmis, vrbi principi Præfecti. Cætera Scholastici instituti ratio cursum suum tenuit.

A diuturnæ inualetudinis acerba molestia ad vitæ statum, vti speramus, suauiorem decessit P. Bernardus Rollietus, patria Gallo-Burgundus, annos natus vnum & quin

Digitized by Google

& quinquaginta è quibus in Societate 35. traduxit: in qua annos 12. docuit Grammaticam. Post in concionatorio plurimum munere versatus est ad 17. annos, reliquos autem lectulo, aut sedili affixum arthritis habuit, quæ demum paucis ante annis in Coadiutorum formatorum tabulas relatum vita exegit. Vsus illi fuit homines ab sinceræ fidei institutis aliena sentientes, horumque studiosos grauiter semper insectari; & auitæ religionis sanctimoniam quà vrbanis concionibus, quà missionibus ad exteros, quà confitentium tractatione etiam capitis periculo, vel vacillantem firmare, vel integram tueri, atque roborare, concionabundus diuertit aliquando in oppidulum, vbi Caluinistarum potentia oppressi Catholici vix dimidiata libertate ad statas sacrorum cœremonias vtebantur. Tum fortè in ædem sacrā mortuus, cui iusta soluebantur infertur: sed cùm ad communium sepulchrorum aliquanto interuallo dissita septa efferre funebri pompa vim metuens parochus non auderet, id Noster confirmatis adstantium animis aggreditur, crucem more maiorum ipse antefert, agmen linteatus ducit, exequijsque celebratis facto illo perfidorum temeritati animi magnitudine obsistendum, vel vitæ discrimine esse docuit. Omitto eundem alibi insidijs istius farinæ hominum de via interceptum, & rapidè in deuium, atque abiunctum nemus cum socio ceu pecudem abactum; quando indigenæ cuiusdam Catholici indicio è vicinis locis orthodoxi cateruatim conuolantes vtrumque, Deo sic volente, in libertatem asseruerunt. Dicerem Lutetiam ab eodem salute corporis neglecta prolixæ charitatis erga ægros officijs subleuatam tum, cùm anno 1580. lues latè vrbem omnium frequentissimam depopulans vias, & compita tristi solitudine squallentia gramine conuestiuit. Adderē de Sodalitate ex iuuentutis imprudentię studijs addictæ flore constituta, so

Digitized by Google

ta, ſodalitijque habendi ſde non leui piorum ſtipe comparata, qua ætatem illam morum cæteroqui licentia facilè diffluentem, in Chriſtianæ normæ gyrum mirifico Biturigum fructu reuocauit, & quod licuit, educauit. Sed inſtat alterius obitus commemoratio. Fuit is P. Guilielmus Curtius Belga Cameracenſis, mortuus annos natus quadraginta tres, Societatis inſtitutum tenuit tredecim, quibus alijs, atque alijs obedientiæ functionibus adhibitus fuit. Publici carceris ſitum, pædorem, tenebras, ad quæ moleſtæ febris labor acceſſerat, ad octo dies ſummo hyemis rigore moderatè pertulit; eò coniectus maleuola quorundam domeſtici contubernij adoleſcentium, ac falſa obtrectatione apud eos, qui in noſtrum nomen quaſi in Regni peſtes acerbiùs inquirebāt. Tandem verò in grauiſſimis ſupremi morbi doloribus, non tantùm vſitatæ modeſtiæ, verumetiam magno patientiæ, tranquillæque conſcientiæ documentum edidit. Tertio ex ijs, qui de Noſtris inter homines agere deſierunt, Stephano Alexio nomen fuit Gallo Augenſi, cùm annum ætatis 37. colligeret, aggregationis verò ad Societatem quartum decimum. Doctrinæ puerilis magiſtrum egit annis plus minus quinque; deinde ad conſcientiæ regendæ diſciplinam eſt applicatus. Tenuis eum valetudo quo minus plura in rem proximi pro ingenij talento præſtaret, tenuit: Hominem alioqui ſimplicitatis, atque innocentiæ nota commendatum.

Conuertor ad fructus, qui potiſſimùm in proximorum animos, à Noſtrorum laboribus, induſtriaque deriuati ſunt. Auctior hoc inſuper anno facta eſt apud nos, & in pagis ſacramenta percipientium multitudo, partim concionum, noua commendatione; partim Catechiſmi ætati teneræ, ac plebeculæ inculcandi modulata celebritate, ac pompa; partim maiore quàm antea operarum in vicina oppida, & loca ſpiritualis culturæ ergo indictis ferijs,

Digitized by Google

ferijs, emiſſarum numero, qui numerus dominicis, ac feſtis crebrò recurſu interfluentibus diebus ad duodecim accedit: celebrioribus autem, & auguſtioribus ſacris ad viginti, interdũque ad triginta excreſcit. Piacula-res ætatis vniuerſæ confeſſiones exceptæ à noſtrorum Sacerdotum compluribus magno ſanè, ſed haud ſubducto numero; quaſdam mirifica vitæ, ac morum mutatio eſt ſubſecuta. Pernicioſus videlicet, quæ ſatis forent, proloquendi pudor quoſdam in aperto ſalutis diſcrimine hæſitantes, & malè contabundos viginti & triginta & amplius annis diſtinuerat. Experientia autem compertum eſt id concionandi genus præcipuas vtilitates animis afferre audientium, in quo de accurata excutiendæ ad pœnitentiam conſcientiæ, deque vera & abſoluta ſcelerum omnium enumeratione, apud talium rerum incurios, aut rudes inſtituitur oratio. Fuit qui concionatorem noſtrum exſcenſione è pulpito facta, palam obteſtaretur, vti ſe de omni ſuperiore vita confeſſurum audire ne grauaretur. Paganam etiam meſſem auxit Socij adiutoris vix literati zelus, & induſtria, qui ternarum familiarum capita Patris laboribus familiari cohortatione adiunxit. Alius eiuſdem notæ Socius, alibi priuati ſimiliter laboris adminiſter rudiores animos ad recordationem, planamque ſuorum peccatorum explicationem rudi, qua potuit, ſed vtili methodo, Socij Patris admonitu præparauit. Nonnullorum audito de condonandis iniurijs noſtro concionante, ſolutæ inimicitiæ. Reconciliata viro vxor diſſidens. Aliorum multorum prauis, & inueteratis odijs diſſentientiũ reſtituti in concordiam animi. Incũbebat inter cæteros infeſto animo vir, opibus & honoribus pollens in plebeij opificis perniciem, à quo ſe grauiter læſum querebatur. Effectum per Noſtrum eſt, vt ille non tàm potentiæ, quàm humanitatis memor offenſionem omnem funditùs remitteret.

Digitized by Google

teret. Grauioris quoque exarserat iracundię flamma alios inter duos, quorum alter nobilitate, alter magistratu florebat, in huius odij communionem multi, quos vel propinquitatis, vel necessitudinis iura deuinxerant vocabantur; adeò vt multarum familiarum labes, & ruina metueretur. Adhibiti ad conciliandos inter se animos tum è sacro, tum è populari ordine homines primarij. Verùm eousque in dies inimicitiarum ingraueſcebat acerbitas, vt etiam iterati conatus in nihilum euaneſcerent. Res denique per eundem illum è Noſtris tentata felices opitulante Deo habuit exitus. A muliere quæ ſuperſtitioſis quibuſdam ritibus, & precularum formulis, quas ægris anili deliramento immurmurabat, morbos à credulæ plebeculæ afflicti corporibus pellere credebatur. A credendi quoque falſitate ad ſanæ fidei veritatem reducti, & recepti quinque. Et hæreticus homo qui clandeſtinis colloquutionibus pagum peſtiferi erroris opinione imbuebat auctoribus Noſtris ſolũ vertere publica Iudicis ſententiâ compulſus. Iniqui æris reſtitutiones factæ, & ex his vna aureorum centenum: quæ his locis non leuis æſtimatur ſumma. Alius animi reſtituentis religione delectatus pecuniam non exiguam eidem vltrò remiſit. Aeris fœnebris publica factitatio locis nonnullis impedita; quæ ſe auctoritate legis ſemiſſes vſuras ita duntaxat tolerantis, vt maiores vetet, tuebatur. Ab infamia pellicatus in quo annos iam multos lutulenti imputreſcebãt, duo ad tutiora ętatis redimędę conſilia Noſtrorum hortatu animum adiunxerunt, pellicibus ab ſe in perpetuum amandatis. Idem & tertius prędtitit, ſacrilego complurium annorum concubinatu maculoſus. Binorum Sacerdotiorum quę profani quęſtus pactione fuerant quæſita abdicatio voluntaria facta eſt. Ad ſacræ ſuppellectilis amplificationem acceptæ eleemoſinæ, quę centum aureorum ſummam ęquare poſſent.

Plerique

Digitized by Google

Plerique priuatis Nostrorum colloquijs à profligatæ mentis instituto ad ineundam vitæ sempiternæ viam conuersi. Viro primæ nobilitatis Societatis amantissimo assiduus adstitit grauissimè ægrotanti Pater è Nostris; is, cuius fide ad animæ rationes plurimum vti solebat, hūc Patrem laborum, peruigilationumq; nocturnarum assiduitate fractum morbus anceps, & diuturnus inuadit, in quo id quasi pro ostento est habitum, quòd cum perpetua insomnia totos sedecim dies laborasset, nullam tamen ideo de statu sanæ mentis detrimenti partem passus fuerit. Religioni erga Cœlites nonnihil etiam facto mirabili quod adijciam accessit. Dominico natali cùm Pater è Nostris pro concione pagum quo missus erat, ad Pœnitentiæ, synaxeosque sacramenta (quorum vsus ante tempus per eos dies vix illic vsus fuerat) prope vniuersum perpulisset: vir quidam id vnà cum grauida coniuge per incuriam facere prætermisit. Illa tertijs natalitijs partus doloribus oppressa, fœtum vitæ ac sensus expertem egerit. Huius abortionis calamitate vir attonitus confestim ad Nostrum, qui aliò concionabundus excurrerat, aduolat; casum cum gemitu exposuit, ecquid opis, consilijque sit vehementer flagitat. Noster num quas animi vitio eius infortunij causas dederit familiariter hominem interrogat; ab eodem consultam malefică, quæ homines certis carminibus fortunare iactabatur comperit, & tanti piaculi expiationem confitendi prætermissione neglectam, facti indignitatem vti par erat exaggerat. Agnoscere infelix facinus, & quid opus facto ad partus salutem instando postulare ne parentum vitio infantulę anima baptismi expers æternis bonis æternùm priuetur. Hic suam, atque hominis in Deum fidem excitare similium casuum recordatione aggressus, consilium dat vti terna sacra SS. Trinitatis numini, & S. Nicolai gratulationi (cuius in Lotharingia ob præsentis auxilij vim,

Digitized by Google

vim,ac miraculorum crebritatem præcipua est religionis celebritas)cereumque infantis sigillum verbis conceptis voueat,simulque quater quotannis vnà cum vxore se confessionis,communionisque mysterijs animum cõmuniturum,si vita tantisper dum Christiano ritu initiaretur mortuæ filiæ redderetur. Hæc se ille alacriter facturum spondet. Deinde eidem confessus domum spei ac fiduciæ plenus recurrit. Votum præsente parocho palam nuncupat:tum ædes suas iniens exanimem fœtum ad focum iacentem adit, corollam precatoriam quam religiosus Reliquiarum Romæ contactus sacrauerat à Nostro acceptam,capiti imponit, & supplex vnà cum circumstantium corona hominum circiter viginti dat se se in preces.Mira narratur res:cadauer è plumbeo colore vitalem induit; alterum oculum semel atque iterum, & adeò tertiò,quartoque aperit, clauditque, ac totum se variè,conspicueque corpus commouet;nouitate ostẽti exclamantibus gratulantibusque cunctis. E vestigio aqua ritè superfusa ibidem infantula Christo regeneratur,atque ad horæ quadrantem vitæ huius vsuram, ab ipsis æterni mali faucibus retracta cœpit: tum ad vitæ melioris æternum fructum (quæ diuinæ beneficentiæ magnitudo est)meliore fato tranfijt, quod eodem reuersus Noster proborum,grauiorumque virorum oculata fide:& ecclesiastica corpusculi in patrium sepulchrũ illatione cognitum, pro explorato ad nos retulit.

VIR

Digitized by Google

VIRDVNENSE COLLEGIVM.

DIEM suum obijt vnus, Pater Nicolaus Bellilus propè centenarius, vir mitis, & humilis, cuius in vultu, & cõsuetudine comitas eminebat ea, quæ quemuis facilè capere posset. In tam graui ætate passus est omninò neminem, à quo ad langueſcentis naturæ onera iuuaretur, nisi in extrema sex mensium ægritudine. Vixit in Societate à temporibus P. Paschasij Broëti annos circiter quadraginta septem. Excessit è vita vir equidem antiquæ probitatis, & innocentiæ ipso sanctorum Innocentium festo die, accepta prius ab Illustrissimo Episcopo benedictione. Funere tandem præsentia Principis, optimatum Vrbis, populique corona celebri est cohonestatus. Aetatē quoad tulêre vires tum concionibus, tum domesticorum, externorumque audiendis confessionibus formatus Coadiutor transegit. Confessionis sacramento totius anteactæ vitæ sordes eluêre centum, cibo pasti recreatique cœlesti decies & quinquies mille. Magno cum interioris gaudij sensu vigilantissimus Antistes nostro in tẽplo primùm sacris operatus, octingentis prope sacram Synaxim impertiuit. Pijs hoc anno tres & viginti meditationibus fuêre apud nos exculti, inter quos præcipuus extitit Illustrissimus Princeps, extremo fermè verni ieiunij tempore, propediem Deo sacerdotij sui primitias libaturus; vt toto anno satis frequens ad diuini verbi præconem aduentantium numerus; sic Nostrorum non mediocris cùm ad iuuandos miseros custodijs, carceribusque vinctos, tùm ad eos; qui ob publica crimina capite damnati; aut qui

Digitized by Google

morbo afflictati moriuntur, fructus. At vberrimus eorum præcipuè qui vrbanam iuuentutem Christianę doctrinæ imbuerunt rudimentis, & qui rusticana municipia, villas, pagos colluſtrando vnà cum parentibus teneros infantium animos fidei myſterijs informarunt. Nam plurimi aliquando, etiam tota virorum, mulierumque caterua nuptijs vario tripudiorum, & chorearum genere celebrandis intenta, cum ipſo citharedo ad modulantes pueros Chriſtianorum myſteria, ſeſe feſtiuè aggregarũt. Nonnulli eiurata hæreſi ad Eccleſiæ, fideliumque caſtra redierunt. Vir nobilis iamdudum ineterato ſocrum ſuã perſequebatur odio, & implacabili; ita enim eius auerſabatur conſpectum, vt neque in lethali morbo obfirmatum in malo animum, ſocrus ipſa pacem, ye niamq; omni cum animi demiſſione deprecata, flecteret ad miſericordiam. Accitus demùm ab vxore animi pendente vehementer, ſacerdos vnus è Noſtris difficili tempore (nam ad multam noctem recrudeſcente tum morbo in villam ruſticam fuit properandum) moribundum impendentium æternarum pœnarum obiectu hinc & illinc verſans, ante mortem ad ponendą odia, ſocrumque benigniſſimè complectendam pertraxit. E Belgio reuertebat æger Italus expuncto è manipulo miles, in re tenuiſſimą adeo, vt nec Ruſtici, nec Opiliones ipſi deficienti homini auxilio eſſe vellent: Noſtri Sacerdotis ope, corrogata hinc & inde per eleemoſynam pecuniola, tantillum refocillatus, totius vitæ delicta ſalutari confeſſione expiauit; & piorum largitionibus ſepultura fidelium catholico ritu eſt donatus. Contigit aliquando, vt ſermocinanti noſtro Sacerdoti familiariter de rebus diuinis cum alijs viæ comitibus plurimis (tum enim veniebat peregrè) ſe Curio quidam, qui Noſtris fuerat vſus olim præceptoribus itineris eiuſdem alterum comitem adiungeret, nec incaſſum: eam enim vocem virtutis Sacerdoti

ſuo

Digitized by Google

ſuo dedit Deus, quæ Curionis cor ita pulſaret, vt vitæ totius annos in amaritudine animæ ſuæ recogitans, extemplò paululum cum noſtro Sacerdote ab aliorum comitum cœtu diuulſus Sacramentalis abſolutionis beneficium emanantibus vbertim lachrymis ſit conſecutus.

IN vrbem præſidiarij militis Galli aduentus, & creber in ædes noſtras ingreſſus nobis præſidio præter multorum opinionem futurus veniſſe videtur. Duces ipſi in Paſchate cum ſuis militibus apud Sacerdotes noſtros ſuarum maculas animarum poſuerunt; vno etiam eorum apud nos dies aliquot, ad plurium annorum recolenda peccata diuertente. Pergit in nobis amandis, & fouendis magis bonus Princeps; vt pergit in Dei cultu, & amore virtutum omnium: vt eũ odoré in ſuos effũdat ſui: quẽ Principũ Rector ab ijs qui benè præſunt expectat ſuauiſſimũ. Quo die debacchabantur cæteri, partim cũ ſodalibus Parthenijs in congregatione, partim cũ Noſtris magna cum animi voluptate totum diem egit. Antiquæ diſciplinæ vigorem poſtliminio cœnobitis ſuis Benedictinis, quos habet in Vrbe, reſtituit. Quo in negotio præſtantiſſimo certè, iuxtaque difficillimo duo è Sacerdotibus noſtris cùm in excipiendis quaque hebdomade cœnobitarum confeſſionibus, tum in habendis ad eoſdem quot hebdomadis exhortationibus ſe benè ſuam collocaſſe operam putauerunt. Scholæ noſtræ hoc anno auditores numerarunt quadringentos.

Digitized by Google

PROVINCIA AQVITANIÆ.

HABET Societas in hac Prouincia decẽ Domicilia. Collegium Tolosanum, Collegium Burdigalense, Collegium Rutenense, Collegium Auscitanum, Collegium Petragoricense, Collegium Aginnense, Collegium Lemouicense inchoatum, Collegium item Biterrense inchoatum, Domum Probationis separatam Tolosæ, & Residentiam Sancti Macarij. In his degunt ex Nostris ducenti & decem, ex quibus Sacerdotes sunt septuaginta sex, reliqui vel Magistri, vel Scholastici, vel Coadiutores. Obierunt Patres quatuor, quorum tres plurimis annis magno pietatis & religionis exemplo in Societate vixerũt. Admissi hoc anno sedecim. Opera Nostrorum non ijs tantum locis, in quibus degunt, sed alijs pleriſque expetita, & fructuosè etiã posita, præsertim per Aduentum, & Quadragesimã, cùm ad sacras cõciones missi sunt. Quamuis enim durẽt adhuc contradictiones, magna tamen est apud optimos quosque Societatis existimatio: necnon apud nonnullos aduersarios, qui Nostrorum eruditionẽ, virtutẽ, laborem non mirari nõ possunt. Magna vbique pœnitentium frequentia, & magnus in Scholis numerus discipulorũ, qui ferè in pietate non minus, quàm in litteris proficiunt.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM TOLOSANVM.

ALVIT hoc anno circiter quinquaginta quinque de noſtris, Sacerdotes viginti, quorum tres Theologiam ſcholaſticam, & Caſus conſcientiæ, duo Philoſophiam. Magiſtros alios quinque, qui Grammaticam, & Rhetoricam docuerunt, Scholaſticos vel Theologiæ, vel Philoſophiæ ſeptemdecim, Coadiutores tredecim. Obijt Noſter vnus ex apoplexia, non minus virtute, quàm ætate ſpectandus. In rebus, Deo iuuante, benè geſtis, hæc ferè viſa notatu digniora. Cæleſti pane refecti apud nos circiter viginti quinque hominum millia. Auditi de totius vitæ rationibus plus minus viginti ſupra trecentos. Poſitis inimicitijs in gratiam, Noſtrorum opera, redière quinque. Nefarium conſciſcendę ſibi necis conſilium abiecêre decem. A turpitudine vitæ reuocati viginti quinque. Ludibrijs Dæmonum, ac tricis expediti quinque. Aucta res ſacra, piorum benignitate minimè vulgari, nec externorum modò, ſed & Noſtrorum; veſtes quippe, quibus induti ritè ſacris Sacerdotes operantur, quo primùm ipſi tempore fecerunt tres noſtri Patres, à parentibus obtinuêre ſanè ſplendidas, atq; magnificas. Sacrarium ipſum ampliore ſpatio commodè laxatum. In tempore atque in ipſo penè articulo moribundis ferè triginta procuratis Sacramentorum ſubſidijs probè conſultum. Hæreticorum libri cum Magicis concremati: multi ab eiuſmodi libroru venenis legendis, ſcribendis, edendis quoque deterriti. Adiuti extremo addicti ſupplicio. In ijs vnus à Confeſſione ſingularis alacritas enituit. Sic enim ad

Digitized by Google

mortem quasi de manu Dei capiendam explicata hilarique fronte pergebat, vt facilè spectantes intelligerent, haudquaquam vanum esse, quod ipsemet disertè prædicabat, videri sibi se non tam ad supplicium duci, quàm ad conuiuium. In ijs, qui morbo laborabant, iuuandis strenuè quoque laboratum. In eo genere mirum fuit, phreneticũ inter ipsos deuiæ mentis errores, audita Cõfessarij voce, rogantis, num piè, sanctèque mori cuperet, se verò maximè cupere, & stat im aperire peccata Sacerdoti velle, reddita derepentè bona mente, respondisse. Nec mora, dat aures Pater confitenti. Peracto negotio repentè in phrenesin recidit, quam paulò post placidissima mors excepit. Pecuniæ malè partę restitutæ. Et egit quidam vt manibus Nostrorum aureos octoginta nummos restitueret. Itum in reorum custodias, ibique audierunt Nostros, & auditi sunt vicissim, & adiuti.

PERFECTVM vnius è Nostris Patribus consilio, vt in Monasterio quodam diebus Dominicis ad seruos domesticos (quorum scilicet ad id temporis institutio neglecta fuerat) sermo de rebus ad officium Christianum pertinentibus haberetur. Religiosus verbi diuini prędco nõ vulgaris anno superiore spiritualibus exercitijs à Nostris excultus, cum alios fructus non pœnitendos, tum hunc sanè magnum hoc anno rependit. Nostrorum exemplo vbique concionatur, doctrinam simul Christianam pueros, ac rudes edocet, icunculis etiam, ac rosariolis, & pijs eiusmodi munusculis animos captat, & capit; nec minus præclarè in viris quinque religiosis (ex quibus duo præfecti suæ familię, tertius Nouitiorum moderator) ijsdem pijs P.N. Ignatij exercitijs diligenter expoliendis, opera stetit. Nam cùm de restituenda velut in integrum disciplina, quæ penè deportata videbatur, seriò cogitarent, inde hinc saluberrima, & ad eam rem opportunissima consilia boni Patres arripuerũt, quæ suis primo

Digitized by Google

primo quoque tempore traderent. Multa piorum libellorum millia curata ingenti bono multorum. Sed fructus in hoc genere princeps, quòd Nostrorum ope perutilis liber vernacula conscriptus lingua de officio Parochorum, à pio quodam Religioso, Parochis, ac Sacerdotibus, opportunum ignorantiæ, præsensque remedium passim lectitatur.

IN missione Castrensi (vrbs ea est Episcopalis in Gallia Narbonensi, quam iam dudum Huguenoti tenet) Nostri varios fructus, adiuuante Domino fecerunt. Nam restituto, pace facta, Religionis Catholicæ cultu, cùm in Aduentu, tum solemnibus maioris ieiunij diebus concionatores nostri, atque adeo reliquis anni tempestatibus, tempestiuè feliciterque laborarunt. Catechismus explicatus magno concursu etiam Hæreticorum, qui etiam frequentes ad Nostrorum conciones, nequicquam reclamantibus Ministellis, vltrò ventitarunt. Musicus in Collegio Canonicorum concentus tandem aliquando magna multorum cum voluptate, tum vtilitate restitutus, quòd nempe negotij plerisque flagitantibus frustra fuerat ante tentatum. Indicta temerè à quodam de augustissimo Sacramento vernacula lingua disputatio: propositis etiam thesibus, condictoque die, nostri Sacerdotis consilio, atque auctoritate discussa; simulque sublatum scandali periculum, quod imminebat. Idem eodem in oppido Consulum rogatu, grauem inter oppidanos glisscentem rixam compescuit. Simul publicè cuiusdam temeritatem repressit Hæretici, qui benè dicta à viro bono, qui concionatus ibi fuerat, malignè palàm carpebat, atque vellicabat. Ex odio quodam graui calumniæ eiusmodi manarunt. Hoc etiam caput Sacerdos obstruxit homine conciliato. Sacerdotes quidam a.t.ora quàm ingenij captus ferret ambitionis studio capescebant: inde nimirum præceps illa de rebus grauissimis dispu-

Digitized by Google

tandi libido. Noſter ad commodiora cùm ſibi tùm alijs quibus incommodaturi fuerant ſtudia tractanda reuocauit.

EST Xenodochium in Vrbe Caſtrenſi, Noſtri permittente Præfecto, quamuis hæretico, ſæpius inuiſerunt. Ac licuit per illum Catholicos quidem Catholico more ac ritu iuuare, cum Hæreticis verò de Religione prorſus agere vetuit. Id tamen clanculum à quodam impetratum, vt ſalutationem Angelicam B. Virgini recitaret, quam olim Catholicus didicerat. Adhæc honeſtæ Matronæ adductæ vt ægrotos inuiſerent, & Chriſtiana benignitate fouerent. Duo hæreticam prauitatem eiurarunt. Plures eiuraſſent niſi bellorum motus obſtitiſſet. Primarij viri concionibus frequentes adfuerunt, qui etiam Concionatorem nouum vltrò ſæpè inuiſerunt, & cum eo familiariter frementibus errorum magiſtris, de illorum inſcitia confabulati. Denique vir (in illo quidem tractu) Hæreticorum, & dignitate, & potentia facilè princeps multas horas cum Patre, cùm in Vrbe, tùm in arce extra Vrbem magna voluptate vltrò, citroque diſputauit. Et verò palam affirmauit ſi quod vnquam tempus incideret, quo tempore de mutanda Religione conſilium capiendum eſſe videretur, Ieſuitarum ſe opera potiſſimum in eo negotio libenter vſurum. Coierant ex maligna illa natione miniſtellorum in vrbem Caſtrenſem capita ferè centum. Ex hac tota colluuie ne vnus quidem repertus, qui cum Noſtro congredi auderet. Ita muti omnes abiectique vnius metu, quamuis à Nobilibus Catholicis identidem prouocati, manifeſtæque vanitatis, ac ignauiæ palam accuſati, ne tentata quidem pugna, diſceſſerunt. Datæ aures in ea vrbe confitentibus permultis, factum vt ſanctiſſimum Sacramentum in ædes etiam Hæreticorum, & quidem obſtinatiſſimorum (Conſiſtoriales vocant) ſi quis modò Catholicus æger ibi decumberet, Chriſtia

Digitized by Google

Christiano more deferatur. Mulier quædam Catholica diem pię obierat extremum. Ea renitente frustra filio hæretico, Consulibus etiam Hæreticis auctoribus, Catholico ritu sepulta. Libellum nescio quis famosum aduersus concionatorem nostrum ad ipsas templi valuas fixerat. Hunc libellum ex Senatusconsulto Consules Hæretici in vrbe hæretica suis ipsi manibus lacerarunt. Viri fœminęque nobiles complures id se palam credere prædicarunt, quod Sacerdos noster crederet, ac doceret. Quid plura? Sic vulgò erga Societatem benè animati, vt ipsi etiam Hæretici magnopere cupiant sui Collegij habenas, suæque iuuentutis erudiendæ curam Nostris permittere. Concionator porrò noster tanta apud omnes siue gratia, siue reuerentia fuit: sæpe vt vno dumtaxat comitante, per mediam vrbem ad ægros visendos, intempesta quoque nocte per ipsas militum hæreticorum excubias, nullo interturbante, pergeret.

SCHOLAE nostræ numero discipulorũ, & pietate, & doctrina florent vt cum maximè, in quibus mille trecenti ferè numerantur. Ac pietate quidem elucent, qui in Parthenij vtramque Sodalitatem cooptati. Illustris verò maior Sodalitas Senatorum, ac virorum honestissimorum benè magna frequentia, vt nouum etiam sacelium sua ipsi benignitate cõmodius & amplius excitarint, quo diebus præsertim B. Virginis festis ingens tota vrbe concursus fieri solitus. Præsidium etiam, Senatorum, virorum denique in omni genere præclustrium, tanta voluptate audiunt declamantes ingenuos adolescentes, & vespertinas preces eximia vocum suauitate, nec minori pietatis sensu persolutas. Iam in minore quoque Sodalitio, non minorem in pietate progressum factum pauca hæc in multis ostenderunt. Illos pius, ac vetus Xenodochiorum inuisendorum veluti postliminio reuocatus. Carceres etiam adeunt, & inclusos qua possunt, iuuant. Diebus

Digitized by Google

Sabbati flagris in ſeſe partibus in orbem diſtributis, animaduertunt. Defunctos, Sodales ſubiectis certatim humeris, inſpectante, ac mirificè probante ciuitate, alijs funebri pompa proſequentibus, efferunt. Hæc ferè pietatis egregiæ ſpecimen noſtri iuuenes ediderunt, maiora, vt ſpes eſt, in dies edituri.

IAM rei litterariæ in omni genere præclarum, ac luculentum ſpecimen publicè datum à Noſtris Iunio menſe exeunte. Dux ipſe à Ventadour (vt alios nobiles viros omittam) qui Prorex recens in vrbem venerat nos comiter inuiſit. Audiuit pueros ænigmata explicantes, & audiuit libenter, & totam hanc Muſarum pompam vir Muſis imprimis amicus, vehementer approbauit. Exceptus tùm pro tempore varijs epigrammatis. Paucis poſt diebus cùm nos deſtinato reuiſeret, vnà cum Duce Eſpernonio, & maxima virorum nobilium frequentia, tanta multitudine mortalium confluente, quantam Collegium capere maximam potuit, acceptus perhonorificè Gallico dramate, illiqúe proprio. Dux Eſpernonius ſeparatim Egloga Gallica. Res fuit vtrique grata, iucundaque ſpectantibus. Datum fuerat ante drama liberalibus ipſis, Hilaris liberalia. Datum poſtea in renouatione auditorum aliud drama Tragicocomicum de Alexio, diſtribuendis præmijs, quæ litteratus ipſe Dux à Ventadour litteratæ iuuentuti perbenignè, ac liberaliter eſt impertitus. Habita poſtridie oratio de vrbe Toloſa coram Protopræſide, viriſque omnium ordinum primarijs, & libenter auditam Toloſates approbarunt.

IN ſeminario Domini Cardinalis de Ioyoſa, numerati ſunt alumni triginta octo. Nouem propediem ad agrum Domini colendum exituri, rebus ad proximum quandum magis neceſſarijs inſtruuntur. Alij duo mediocri litteratura, & quæſtionum conſcientiæ notitia informati, nũc in agro Dominico vicarijs Curionum partibus fungun

Digitized by Google

funguntur. Extremum diem obiêre duo. Quotquot sunt in hac familia, mores subrusticos, quibus antequam in Seminarium pedem inferrent erant imbuti, ad mansuetiorem vitam composuerunt, & spem nobis præbent futuræ segetis amplissimę. Medium porrò, quo ad honestiorem cultum viam sibi sternunt, varium est ac multiplex. In primis enim litteras, virtutesque crebris lectionibus, atque exhortationibus docentur. Deinde Christianæ pietatis humilitatisque officijs incumbunt. Confessionis, & Communionis sacramenta, vt minimum decimo quinto quoque die frequentant. Nonnulli quot hebdomadis id factitant, habendis concionibus, & communibus parachorum formulis proclamandis in cœnatione, singulis Dominicis, festisque celebrioribus exercentur. Atque vt paucis complectar, ad omnes parochi partes viresque subeundas, ex Illustrissimi Domini Cardinalis præscripto quàm diligentissimè præparantur. Hunc ferè in modum res domi, forisque benè gesta.

COLLEGIVM BVRDIGALENSE, CVM RESIDENTIA SANCTI Macarij.

ALVIT hoc anno de Nostris ferè viginti octo, Sacerdotes vndecim, Magistros in oppido Sammacariano duos, qui Grammaticam docent, Scholasticos quinque, qui Burdigalæ Casibus conscientiæ dant operam, Coadiutores decem. Erga Nostros benignè satis atque honorificè exceptos Catholici omnes benè affecti sunt. In Galliam Nostrorum omnium

Digitized by Google

omnium postliminio reditum, præcipuè verò in hac vrbe Academiæ nostræ instaurationem in votis habent vt cum maximè. Defecerat à Religione Catholica vir quidam Ecclesiasticus, quod ei sua erepta esset Ecclesia, iamque in viam se dederat, vt ad vrbem aliam ab hæreticis occupatam se conferret, vbi Ministri munus illi oblatum est: sed admonentis conscientiæ stimulis exagitatus, non priùs quieuit, quàm ab vno è Nostris post confessionem absolueretur, & eiuratis erroribus Caluinianis, Ecclesiæ restitueretur. Alius item vir nobilis hæresim eiurauit, cùm aliquoties dubia sua Sacerdoti nostro proposuisset. Tertius item post aliquot altercationes, quibus eximi scrupulos suos optabat, hæreticam doctrinam abiecit, in qua fuerat ab incunabulis eruditus, licet in vrbe versetur, quæ in potestate hæreticorum est, ibique pauci, qui restant Catholici, multis difficultatibus, & molestijs vexentur, nec tam multos sua opera (medicinam enim exercet) vsuros sciat. Alium etiam in ea professione Collegam suum, exemplo & exhortatione ad eandem hæresis eiurationem pellexit. Cùm edidisset librum perniciosum vir quidam nobilis magni apud suos nominis aduersus sacrum Missæ sacrificium, quo multorum etiam Catholicorum animos commouerat, quòd sanctorum Patrum deprauatis sententijs suos errores in speciem tueretur, errorum eius breuem catalogum texuit è Nostris quidam, quo non modò corruptos ab illo fuisse locos ostendit, sed & pudendos illius in historicis, chronologicis, alijsque Grammaticis quæstionibus errores redarguit, neque mediocriter piorum mentes confirmauit, & pudorem illi (si pudere possit hæreticum) imposuit. Nobilis item fœminæ tandem animus inflexus est, vt mariti Catholici desiderio aquiesceret, & hæresim abiuraret, nihil verita patris potentis, & nobilis odium, aut reprehensionem, qui hæreticorum vnius Prouinciæ quasi Princeps

Digitized by Google

ceps est, & protector. Vir annos natus triginta à puero hæretica prauitate planè imbutus, postquam egisset cum aliquo ex nostris Schoiasticis, facilè manus dedit, deductusque ad quemdam è Nostris, Catholicam est amplexus veritatem, noui dogmatis falsitate reiecta. Huic homini adeò facilem mentem ideo iniecisse Deum non sine ratione dixerit aliquis, quòd ille vitam sine crimine lethali castè, integreque ad eam vsque diem transegisset. Caluinum secutus quidam splendidis satis, ijsdemque vesana Caluini opinione imbutis ortus parentibus, præter omnium spem, & opinionem Ecclesiæ Catholicæ iugo collum submisit, eo animi ardore atque sensu, vt singulis diebus vni, & alteri, sæpius etiam tertio sacro audiendo, templum nostrum frequentet.

INGRAVESCENTE pestilentia, magna à ciuibus, & à Nostris in varia oppida distractis in vrbe solicitudo fuit ex Nostris quinque domi relictis, quorũ duo, qui Patres erant, confessionibus audiendis, & Christi sanctissimo Corpori quibuscumque ad templum nostrum accedentibus ministrando, operam dederunt. Ex prædonibus quatuor in oppido ab Hæreticis occupato, ad quod prædam fecerant ex Iudicum sententia in rotam agendis vnus Iudicibus supplicauit, vt sibi in hac vrbe carnificinam illam pati liceret, quò animam sibi agenti Iesuita adesset. Petenti quod optabat datum, atque concessum est. Morbo laborantibus non paucis ex Nostrorum consilio in potum aqua lustralis aliquoties data, pristinam valetudinem restituit. A nocturnis terriculamentis domus, quam infestam habebant, postquam dominus cum familia de Nostri alicuius consilio, confessione peccata expiasset, plenè liberata est. Multæ tum hic, tum Saminacarij generales auditæ confessiones magno cum fructu. Habitæ item conciones per Quadrageſimam, & Aduentum, & diebus festis toto fere anno, cùm

Digitized by Google

cùm in noſtro, tum in varijs vrbis templis, magno animarum adiumento : atque etiam in vrbe Vaſatenſi vbi nonnulli hæreſim eiurarunt.

COLLEGIVM RVTENENSE.

EVERE hoc anno è Noſtris in Collegio Rutenenſi ſeptemdecim, Sacerdotes ſeptem, quorum vnus docet Philoſophiam, Præceptores humaniorum litterarum quinque. Coadiutores totidem. Florent quantum antea nunquam Dei gratia ſcholæ numero, nobilitate, ac pietate diſcipulorum, ex quibus non pauci ad Societatem animum adiecerunt. Horum vnus cum litteras à parentibus, de quibus nihil dudum inaudiuerat accepiſſet, eaſque dum legeret dulci Patriæ atque parentum deſiderio eius animus titillari cœpiſſet, Ignatiani memor exempli, foco, cui aſſidebat, vix ſemilectas iniecit, hæc ſibimet identidem loquens. Egóne pro vno parente, pro vno fratre, tot parentes, tot fratres amiſero. Abeant cum Matre Pater, cum fratre cognati. Alius ſpe deiectus cepta Philoſophiæ ſtudia proſequendi, Patre, qui ipſum in Patriam reuocarat, ſubſidia negante, reuerſus ad nos deſiderij ſui memor, opimam nactus eſt conditionem. Is Dei dono pergit in propoſito. Scholaſticus grauiter decumbens cùm iam penitus valetudine eſſet deſperata, condiſcipulorum precibus commendatus ſtatim meliuſculè habere cœpit, breuique poſt omninò conualuit. Reuerendiſſimus Epiſcopus ex longo quaſi exilio reuerſus, & eximia ciuium gratulatione exceptus, poſtmodum maxima ſua cum voluptate ab ſcholaſticis, in noſtro ſacello, dialogo eleganti

ex

Digitized by Google

ex theatro exhibito, est salutatus. Idem aliquot post dies ibidem loci professionem fidei ab hæretico palam excepit, tonsuramque, ac Confirmationis sacramentum contulit multis. Canonicus regularis vita anteacta minus religiosè motus Nostros adijt, pijs vt exercitationibus dedisceret veterem, & addisceret nouam. Is voto potitus, ita mutatus est, vt alijs verbo & exemplo auctor sit vitæ melioris. Ad nos quoscunque potest, mittit, & qui operam nostram sibi vtilem est expertus, eandem alijs impendi procurat impensè.

SODALITAS vtraque ipso quasi flore tum ciuium, tum scholasticorum constat, & pietatem, morumque integritatè studiosè colit. Elucet verò in his morbo decumbentibus singularis quædam ratio ægritudinis, & mortis ferendæ, vt vnus (is erat adolescens eximiæ spei, domus, & familiæ columen vnicum) & morbum, & mortem ridere videretur, quo filij exemplo mater animata maritum solari cœpit verbis lætitiam magis præseferentibus, quàm tristitiam. Alter in villam profectus, manè cùm se orationi dedidisset, Iosephi exemplo mulierè nobilem genere magis quàm virtute de stupro se compellantem, increpitam fortiter remisit. Iterum alius cùm lapso equo, & velut mortuo succumbente, magnæ Matris opem imploraſſet, eum reuiuiscentem sensit, cœptumque iter sospes est prosecutus. Multi è remotis pagis Confessionis causa Nostros adierunt. Totius vitæ crimina expiarunt centum, aut his plures, vnus beneficio iniustè possesso se abdicauit. Alter fructus malè perceptos restituit. Condonatæ iniuriæ etiam atroces, & plusquam verbales ab ijs qui se nunquam condonaturos statuerant. Societatis nostræ amicus publicæ rei gerendæ idòneus antequàm grauia, quæ occurrunt negotia attingat ad nos Confessionis causa recurrere solitus, felicem ferè semper exitum est sortitus, hoc anno præsertim, nobisque voluntate

Digitized by Google

tate magna ædem sacram, & Collegium exædificandum parat. Nobilis morbo decumbens, & Pœnitentiæ sacramento expiatus, dum Eucharistiam in crastinum expectat, noctem ducit insomnem, ea percepta melius habuit. Ciuis primarius morti proximus illustres rerum diuinarum visiones sensit, cantu etiam Angelico recreatus. Is commodè non ita multo ante, licet medicus periculi nihil esse nunciaret, Nostrorum opera expiari sacramèto Confessionis voluit, quos etiá à se diuelli vix patiebatur. Mulieres duæ à meretricio probro, ab hæresi viri duo reuocati. Vxor cum viro, quem reliquerat, est reconciliata. Qui horas Canonicas negligere erat solitus, persuasus est à Nostris eas diligenter persoluere. Flagellationes libenter susceptæ. Hæc penè domi.

DIMISSI è Nostris in proximas vrbes, & pagos fructu non pœnitendo. Horum vnus cùm inter concionandum fœneratores grauiter argueret, ecce tibi fœnerator insignis debitorem conuenit, remittit fœnus, idem præstiturus in reliquos. Alter hominem à turpitudine reuocauit, dimissa concubina, cui multos annos consueuerat. Idem domesticas coniugum discordias, Parochi item cum suo Parochiano, & quidem inueteratas præter omnium opinionem sustulit. Idem exponendus iuuandis peste laborantibus tantum præ se tulit gaudij, vt ad lautum conuiuium, non ad mortem diceres vocatum. Proficiscebatur Sacerdos vnus è nostris aliquò, ecce tibi Minister hæreticus sexagenarius Nostrum sequitur, & assequitur: gratulatur ille sibi tantum boni contigisse, quòd liceret sibi, quòd tam diu expetiuerat, cum Iesuita de negotio suæ salutis conferre. Quærit igitur inter equitandum multa, audit libenter, & in multis se acquiescere profitetur. Tandem lachrymans cum digredi cogeretur, enixè contestatus est Nostrum, vt sibi per litteras negotium idem promouenti mutuis epistolis ne deesset.

Sacerdos

Digitized by Google

Sacerdos alius missus concionatum tempore Aduentus fecit, vt oppidani Sacerdotes sæpius in hebdomada conuenirent ad tractandum inter sese de officijs Christiani hominis, polliciti in eo perseuerantiam, vno ex ipsis legente, & explicante quod sit è re ipsorum.

OPPIDVM sancti Africani dudum est hæreseos labe deprauatum. Sed cum Hæreticis benè multi Catholici fortiter patiendo auitam fidem turati ciuilibus bellis superfuissent, optarunt vnius è Nostris opera diutinam verbi Dei famem satiare. Petunt ergo, & obtinent Sacerdotem vnum, qui sibi Aduentus tempore concionibus esset solatio, eum scilicet quem valetudinis causa non multo antè illuc profectum, sua magna cum voluptate audierant Ministellorum deliria, vsque ad ipsorum hæreticorum ruborem, refutantem. Eius igitur monitu factum est, vt laudabilis consuetudo salutandi signo campanæ Virginem Matrem interrupta iam viginti quinque totos annos, reuocaretur. Docebat idem doctrinam Christianam singulis diebus festis, & dominicis: socius verò eius reliquis profestis. Ex eo vtilitas hæc percepta, vt cùm ipsi hæretici viderent Catholicorum liberos etiam triennes mysteria nostræ fidei explicantes, pertæsi suæ ignorantiæ optauerint, nonnulli etiam ex primoribus suos à Nostris edoceri, idque precibus contenderunt, & obtinuerunt. Quin etiam ad tabernas mercatorum seuocatos pueros doctrinæ Christianæ gnaros audiunt libenter eam repetentes, suisque, vt eam ediscant, sunt auctores. Nunc ergo patiuntur illos, quod olim execrabantur, signo viuificæ Crucis muniri: Angelica salutatione B. Virginem compellare: coram imaginibus, quas præmij loco accipiunt, preces genibus flexis fundere: cantitare hymnos sacros vernaculo versu redditos. Cum olim ad Christi Natalem vix essent quinque, sexve qui cælesti pane reficerentur, hoc anno penè ducenti id præstiterunt,

Digitized by Google

vt Curio, atque Canonici testarentur non plures antè sub festum Paschatis solitos sacra mysteria frequentare. Sacerdoti nostro matronæ penè omnes nobiliores de tota vita confessæ sunt. Vna quæ marito vt placeret 20. annis impuram hæreticorum cœnam frequentarat, eo defuncto, restituta Ecclesiæ est. Recisa amuleta Dæmoniaca. Restitutiones aliquot factæ. AEgrotantes adiuti, & animati ad mortem. Catholici vita functi, elati funere ita celebri, & numeroso, vt hæreticos puderet suæ in simili officio solitudinis. Sacra suppellex, nostri Sacerdotis hortatu, pia ciuium liberalitate aucta, additusq; animus ad Ecclesiam furore Hæreticorum solo æquatam in pristinum splendorem reuocandam. Hæretici cum ardentissimo desiderio tenerentur audiendi nostrum concionatorem, nec per ministrum liceret, optarunt ipsum in publica platea concionari, vt è vicinis domibus saltem audire possent. Obtinuissent nisi aëris inclementia obstitisset. Catholici qui olim facilè intererant cærimonijs hæreticorum, quas in Baptismi, & matrimonij administratione adhibent, nunc moniti mentem mutarunt.

COLLEGIVM AVSCITANVM.

LABORARVNT in Collegio Auscitano hoc anno 1599. Socij vndeuiginti, Sacerdotes sex, Magistri totidem, quorum vnus Sacerdos, Philosophiæ auditores duo. Coadiutores quinque, sublatus morbo vnus. Dedêre se Societati duo. Qui obijt Pater Guillelmus Sarrasinus Collegij minister, ætatis agebat annum quinquagesimum primum. In Societate vigesimum quartum: vir planè humilis, suique contemp

Digitized by Google

temptor egregius, miræ charitatis, ac patientiæ, proindeque his nominibus non solùm nostris, sed etiam externis omnibus charus. Quàm illustri fuerit fide testantur morbi, quos propinata lustrali aqua, & hic, & Aginni valde multos expulit. Hinc vulgo virum sanctum vocabant. Tandem ipso Regaliorum die, cùm ægros quosdam, & Xenodochium inuisisset, morbo correptus, post triduum obijt, scilicet eodem ipso die, quo decennio ante, Nostri susceptam Gymnasij prouinciam iniuerant. Reliquorum porrò, qui superstites fuerunt, operam non malè locatam intelligetis ex his, quæ de multis pauca, & eximia tantum delibabimus.

HIC annus elapsum numero frequentantium sacra 1000. superat. Reiecta pellex, combusti hæretici, & magici libri. Adolescens quidam qui cum materno lacte hęresim suxerat, illam tandem solemniter eiurauit, priùs ab vno è Nostris fidem Catholicam edoctus: postea etiam Sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ corroboratus, non sine maxima iuuenis suauitate. Liberalitate vtriusque sacri profaniq; ordinis, tum vicinarum etiam Prouinciarum, aucta est domus nostra cubiculis, cum anteriori porticu classe bene ampla, & crypta vinaria egregiè fornicata. Adhæc creuit census annuus.

DE classibus nihil hoc anno singulare scribimus, præter sublatũ ab illis inæqualis, & promissi capillicij vsum. Quingenti certè numerati sunt: inter quos auditorum Philosophię nunquam hactenus tanta visa est constantia, maximè ratione frequentiæ. Nunquam etiam hactenus renouatio studiorum adeò celebris, concursu Magistratuum, & aliorum ciuium litteratorum. Congregatio Parthenia vtraque augesit in dies: maior quidem tanto numero, etiam optimatum, vt seriò de amplificando sacello sit cogitandum.

SOLEMNIBVS ferijs, quæ Christi sacra natali-

Digitized by Google

tia præcedunt, tres ad totidem oppida Sacerdotes concionaturi ſuam ita locarunt induſtriam, vt operæ ſtet fructus: quod vel ex his conijcias. Ex illis oppidis vnũ, Gymontium vocant, illius Prouinciæ facilè primum, vim tantam diuini verbi expertum eſt, vt accedentium ad ſacram ſynaxim frequẽtia his Natalitijs non minor fuerit quàm præcedenti Paſchate. Neque fuit primus celebritatis Natalitiæ dies ſatis omnibus: quod longè antè prouidens Sacerdos noſter, præmonuerat ex priſco Reip. Chriſtianæ inſtituto, tres conſequenter dies pietati conſecratos, ne quis vnius dieculæ anguſtias prætextum omittendi ſui in eo genere muneris cauſaretur. Hinc feſtum illud quatriduum ſordium expiatione ſimul, & ſacra Euchariſtia celebratum eſt. Eſt in eodem oppido Gymnaſium non recens & olim celebre non tantum numero Claſſiariorum, ſed etiam Claſſium modò quinque tantum ductantur ordines à totidem magiſtris. His perſuaſum, vt Chriſtianæ fidei rudimentis ſuam quiſque imbueret iuuentutem. Nec defuit eiuſdem opera oppidanis ſacerdotibus, nec pœnitentibus cuiuſuis ordinis, nec ægris, nec animam exhalantibus. Ita denique ſuam omnibus probauit operam, vt ſæpe egerint ciues de Collegio ſuo Societati committendo.

EXPEDITIO altera ad ſancti Mauri, quo de aliàs ſæpè ſcripſimus. Ibi dedit aures Sacerdos noſter, multis ex optimatibus totam ſuam vitam relegentibus, atque adeò nonnullis ex præcipua nobilitate, qui ex agris, vbi pro more patrio degunt, illuc rei diuinæ cauſa conuolarant. Magiæ, vt vocant iudiciariæ, libri aliquot flammis traditi. Conciliati nonnullorum animi. In his coniuges & affines duo. Coniuges diuortium ante triennium fecerant abſque legitima occaſione, ita vt vxor iam cogeretur emendicatò viuere. Affinium verò vnus, cum in ſingulari certamine, quod ante ſex annos contigerat, ab altero

vulnus

Digitized by Google

vulnus accepisset, ad hoc diei cruentum indusium seruarat, argumentum implacabilis animi: vterque tùm, & ad mutuò condonandam offensam, & ad totam vitam Patri confessione expiandam impulsus.

TERTIVS qui ex hoc Collegio missus fuerat ad vrbem, quam vocant Insulam Iordanis (quod præsidium est Huguenotorum fortissimum) Catholicos, qui etiam adhuc multi numerantur, sacris concionibus in fide confirmauit, & aduersarios adeò permouit, vt aliquot, eiurata hæresi, ad Ecclesiam redierint.

COLLEGIVM PETRACORICENSE.

REVERVNT Petracoræ è Nostris, vt plurimùm vnus & viginti, Sacerdotes septem, Magistri sex, è quibus Philosophiæ Professor ad Pascha primum sacrum fecit, Scholastici tres, reliqui Coadiutores. Ex Nostris duo in præcipuo vrbis templo, magno concursu sunt concionati, alter ieiunij maximi, alter Aduêtus tempore. Sacerdotes in audiendis confessionibus, iuuandis moribundis, & alijs id genus operibus frequentes fuerunt. Ad natalitia mille & centum in Nostro templo sacram synaxim ritè perceperunt, Christiana doctrina in templo Vrbis maiori pueris tradita à P. Rectore: quatuor hæretici Ecclesiæ restituti, multi in fide nutantes solatij spe huc profecti, rediêre quàm venerant constantiores. Amica nostris Nobilitas, quæ hic affatim diebus festis solemnioribus aliquos aduocauit.

NOBILIS quidam Marchio Ieucas hinc octodecim distans, dudum aliquem è Nostris per litteras expete-

Digitized by Google

bat eidem factum satis. Quapropter inter Marchionem eiusque fratres, quæ in diuidendo patrimonio, aliasque ob res interceſſerant inimicitiæ ſublatæ, aliaque multa tum concionibus, tum priuatis colloquijs præſtita Idem ab nobili Comitiſſa oriunda accerſitus, domeſticorum auditis confeſſionibus, ab eadem ſummis tandem precibus obtinuit ſuperſtitioſum neſcio quid è collo ſuſpenſum, in cuius locum ſuffecta eſt cerei agni imago, quam ſe dum viueret, geſtaturam recepit. Excurſum eſt etiam feſtis potiſſimum Paſchalibus, & Natalitijs à præceptoribus in oppida pagoſque vicinos, & ab eiſdem habitæ conciones tanto concurſu, vt etiam è locis procul diſtantibus ſummo mane, noctu etiam nobiles tum viri tum mulieres conuenerint. Aliqui etiam hæreſes ſuas vel omnino valere iuſſerunt, vel certè claris inditijs breui ab eo ſe volutabro receſſuros declararunt.

CARLVSIVM (id oppidum eſt apud Cadurcos) miſſus alius Sacerdos Quadrageſimæ tempore concionaturus, à quo tum in Eccleſiaſticos, tùm ciues alios pleræque diſſentiones ac ſimultates ſublatæ ſunt. Ab eiuſdem Socio doctrina Chriſtiana pueris, viriſque explicata eſt, magnoque concurſu celebrata. Hæreſim aliqui abiurarunt, inter quos egregiæ indolis puer parentum hæreticorum conatibus fortiter reſiſtens tutò ſe ad Eccleſiam recepit. Scholæ de more frequentes, florentesque, in quibus ſupra quingentos numerantur, vt litteris ita pietati vt plurimum addicti ſunt, potiſſimùm qui vtrique B. Virginis Congregationi nomen dederunt.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM AGINNENSE.

FERVNT in hoc Collegio de Noſtris viginti vnus, Sacerdotes ſeptem, Magiſtri ſex, Scholaſtici tres, Coadiutores quinque. In Societatem admiſſi tres. Scholæ de more celebres. Domi, foriſque magno fructu verſati ſunt Noſtri. Conſuetudo audiendarum glomeratim confeſſionum puerorum, adultorum, & puellarum, ſublata eſt in oppido proximo, vbi Sacerdos vnus è Noſtris Caſus conſciẽtiæ Sacerdotes edocuit, effecit vt vaſtiſſimum templum pauimento coctili ſterneretur; vt ad eius fores à prætergredientibus aperiretur caput, vt plurimorum egentium penuria, quæ erat maxima, leuaretur, ne in cœmiterio luderetur, quod paſſim fiebat. In eodem oppido de fide, ſpe, & charitate exhibitus dialogus à quinque hominum millibus ſpectatus auidè eſt. Dramatis doctrinam probarunt etiam multi è turba hæretici. Neque mirum cum multo natu viri, & fœminæ dum per dies alios docentur de rebus fidei coram puerulis non erubeſcerent reſpondere. Mirum magis alibi canos ſenes item reſpondiſſe, quorum vnus cùm id præſtare geſtiret, voluntatem ex geſticulatione, conijciente Catechiſta interrogatur, exilit, reſpondet, icunculam quæ multæ dantur pueris, accepit fermè lætitiæ impotens, applicanſque galeæ quaſi triumphaſſet, templum egreditur lætabundus. Confeſſi de peccatis totius vitæ quamplurimi. Tres inijs in oppido ſuburbano hæretici, quorum mulieri vni, quæ ſontico morbo laborabat, exinde valetudo contigit, vt ſe credat, & gaudeat diuinitùs ſanatam.

Digitized by Google

ET ne discedam ab Hæreticis dum excurritur ab isto Collegio in finitimos pagos, & oppida quoquo versum, audito nostro concionatore vici Iudex iam senior ab hæresi ad fidem redijt, audiensque in Paraſceue de Christi morte pro suggestu dicentem Nostrum, fleuit amarè, sibique nunquam placuisse hæreticorum ministros asseruit postea. Ex nostris Scholasticis hæresim abiurauit vnus, cùm antequam ad Scholas nostras veniret, à parentibus hæreticis à puero educatus fuisset ad hæresim. Mulieres etiam duæ receperunt Catholicam fidem, & totius vitæ scelera confessione expiarunt. Addo his hæreticum patibularium qui professus est fidem in carcere aliquot horas antequam ageretur in furcam, & Iudicibus, accusatoribusque pepercit, vt & alij, quibus etiam procuratum omnibus Pœnitentiæ Sacramentum. Matrona quædam ab octo leucis ad nos confessionis, & consilij causa venit. Cùm enim spectris nocturnis vexaretur, atque adeo verberaretur, à nobis remedium expetebat. Ergo ritè confessa, ceream Agni cælestis icunculam secum deferens, redijt in patriam, neque deinceps eam spectrorum molestiam passa est, donec amissa sacra icuncula, quasi inermem iterum aggressa est larua, ita vt ad Confessionis, & agni cerei remedium, quo antè prosperè vsa fuerat confugiens ad nos se denuò contulerit. Quod alias significatum etiamnum Deus hic præstat, vt aquæ benedictæ vi febres sæpius arceant; quod confirmari potest exemplis plerisque. Redijt in gratiam auunculus cum nepote, cui erat infensissimus; cumque diceret bonus senex viuere filium, isque ad pedes eius iterum deuolueretur; multis vtrimq; lachrymis coaluit amor. Virginis Congregatio vtraque floret. Exercent Sodales sese maximè faciedo sui examine, & sacra synaxi plerique singulis diebus dominicis, reuerenter sumenda. Alij Scholastici virtutem inuident; vnus fuit, qui libros

Digitized by Google

libros hæreticorum emeret, vt ad præceptorem deferret comburendos. Viri duo fidem receperunt, & puellæ itidem duæ hæresi publicè abiurata, vt nobis hoc solum eosdem redditus quotannis ferat, quantum attinet ad Hæreticorum lolium.

RESIDENTIA LEMOVICENSIS.

VERSATI sumus hoc anno in hac Residentia omnino tredecim: Patres priori parte anni tres, tum quatuor: Procurator, & studiorum Præfectus nondum Sacerdotes, Præceptores quatuor, tres Coadiutores. Nam ad tres Scholas, quæ anno superiore apertæ fuerant, hoc anno quarta est addita, tanto auditorum concursu, vt ea sola quinquaginta supra quadringentos numeret: (licet abecedarij, & rudiores ad externum Sacerdotem extra Collegium reiecti sint) aliq; tres amplius ducentos. Ex his tres, aut quatuor varios Religiosorum ordines ingressi sunt, totidem Societatem nostram petierunt. Reuerendissimum Episcopum Lemouicensem obiter Scholas inuisentem varijs Poematis, cùm Græcis, cùm Latinis, & Gallicis exceperunt. Illustrissimum Ducem Espernonium Galliæ Parem, & præter alias, huius adhuc Prouinciæ Gubernatorem, hanc ciuitatem lustrantem, domi suæ salutarunt Gallico dramate ipsius virtutes complectente, quo tantoperè delectatus est, vt eadem die Collegium visitarit, magno comitatu, & insigni beneuolentiq aduersus Societatem vniuersam significatione. Dederùt etiam mense Iulio Absalonis Tragœdiam tanto spectatorum concursu, vt eos vix ædes nostræ, area, hortus, proximi ciuitatis

tatis muri, vicinorum tecta, & domus caperent. Adfuerunt Episcopus cum Clero, Iudicum Curia vniuersa, Consules, omnium denique ordinum præcipui viri, maximeque Regij Quæstores: è quibus quatuor perspectis domus nostræ angustijs, quadringentos ad ædificandum nummos aureos attribuêre. Comparatæ iam hoc anno fuerant domus duæ Collegio vicinæ, hortus, & vacuus ad ædificandum locus. Ibi Quæstorum liberalitate cœpta est à fundamentis extrui domus, quæ præter aulas duas, culinam, & pœnum, viginti quatuor cubicula præbebit ad nostros recipiendos percommoda. Iamque ad medium, & amplius perductum est ædificium, proxima æstate Deo auspice perficiendum. Cinctus etiam magna ex parte nouo & optimo muro noster hortus, & classes ita ornatæ, vt visentibus admirationem pariant. Veteris Collegij sacello, quod vix ducentos capiebat, diruto, nouum, & commodius parauimus, sublata prima contignatione. Capit hoc circiter quingentos; non tamen omnes, qui ad nos ventitant. Idcirco ab instauratione studiorũ separatim sacrum Missæ officium audierunt extremæ Classis auditores vnum, alij omnes alterum. Sacramenta in Sacello nostro à die B. Virginis Assumptæ sacro, quo primum patuit, frequentant plurimi maximè pœnitentes. Vix enim elabitur dies, quin multis peccata sua confitentibus horæ tribuendæ sint, quo fructu, vel ex eo colligere licet, quòd vnus Sacerdos vno mense supra centũ totius vitæ confessiones audiuerit. Conciones in Vrbe toto anno habitæ à duobus, tribusve Patribus, maximè Aduentus, & Quadragesimæ tempore.

EXCVRSVM etiam in vicina oppida, ea præcipuè quæ à Prioratu huic Collegio attributo pẽdẽt. Vbi habitæ catecheses magna omni ũædificatione. Aënti monasterio etiam, quæ vrbs septẽ è Lemouicensi miliaribus distat, toto tempore Aduentus, Pater vnus est concionatus,

Digitized by Google

natus, & Catechismum docuit, multos ab hæresi, plures ab impura vita reuocauit.

RESIDENTIA BITERRENSIS.

SVMVS hîc quindecim, Sacerdotes sex, quorum vnus conscientiæ Casus, alter Logicam docet. Magistri quinque, qui Rhetoricam & litteras humaniores profitentur. Scholasticus vnus. Coadiutores tres. Litteris Regijs patentibus assignata est hoc anno pensio mille trecentorum triginta trium aureorum pro fundatione Collegij, præter præbendam Præceptorialem, quę centum aureis annui redditus æstimatur. Ciues præter sex millia aureorum quæ anno superiore in domus emptione collocarant, quatuor millia addiderunt, pro Scholarum ędificatione, & suppellectili. Habitæ ibi à Nostris conciones non sine fructu. Conuersi ad fidem quinquaginta, ex quo ibi sumus, frequentes confessiones, & exhortationes habentur in diuersis Sodalitatibus. Trimestri creuit numerus Scholasticorum ad trecentos, cùm vix sexaginta essent ante nostrum aduentum, qui & pietatis, & litterarum egregium specimen dant. Filia maximi cuiusdam hæretici, qui domi suæ hospitio receperat nouem ministros, in vrbe Montepessulano, cùm inuocasset Mariæ Virginis opem, more solito dicens, IESV, Maria, & grauiter à Ministris esset reprehensa, quòd Mariam, vt aiũt inuocasset, etsi nihil vnquam quàm hæresim professa esset, quam à parentibus didicerat, perstitit in inuocatione illa, & minaciter à Ministris, & patre excepta, sua constantia patrem coëgit eam Biterras mittere, vbi desponsa-

Digitized by Google

sponsata cuidam Catholico iam erat, professaque ibi est publicè maximo omniũ gaudio Catholicã Religionem. Referebat autẽ furtim se aliquãdo in Ecclesiam ire solitam; atque illic dum oraret tantam sæpè spiritualis gaudij copiam sensisse, vt terram putaret se non tangere. Alius quidam insignis hæreticus, cùm filium suum, qui Catholicis moribus, & fide imbutus præter expectationem suam fuerat, ad Ministrum duxisset, & ibi coram eo moneret, vt discederet à proposito, asserens se animã suam vadem constituisse pro filio si vereretur ne Huguenoti damnarentur, reprehensus est à Ministro, quòd sponsorem se daret in hac re. Quid, inquit ille, ergo malè secura est nostra religio? Domum reuersus cœpit apud se cogitare, quàm parum isti Ministri de salute sua securi essent. Itaque abiurans hæresim qui cœcus pater ad cœcum Ministrum duxerat filium, duce filio, quasi per iuniorem Tobiam pater, recepit visum, & ingenti gaudio totius vrbis, & Prouinciæ, lætitia affecit Catholicos omnes, & perculit aduersarios publica detestatione suæ hæresis.

QVIDAM ex nostris Patribus cùm egisset menses aliquot Castris, quæ vrbs est dudum ab hæreticis detenta, & vbi tum mixtus Senatus æquo Catholicorum, & Huguenotorum numero erat, moneretque & publicè, & priuatim Catholicos, ne disputationem aut instituerent, aut reciperent cum aduersarijs, qui semper cupiunt esse legis doctores, etsi nesciant de quibus affirment, aut de quibus loquantur, negaretque eos vllas habere scripturas, aut earum expositiones, quæ authenticæ essent, vt qui ad legitimam auctoritatem, & traditionem non possent referre, quæ ad prætensam suæ religionis reformationem spectarent. Tandem Huguenoti Præsidis artibus, Episcopi loci iussu, Senatorum Catholicorum summa impulsione, ad disputationem cum decem mini-

Digitized by Google

miniſtris descendit, vſurpante ſibi per ſummam vim Præſide Hæretico auctoritatem ſummam in eo congreſſu; ſed Dei Optimi, & Beatiſſimæ Virginis ope eò res deducta eſt, vt cùm Miniſter, qui pro cæteris loquebatur, confeſſus fuiſſet omnia quæ diceret, mendacij arguenda eſſe, niſi miſſionem ſuam ordinariam probaret ſine interruptione ad ſe delatam ab Apoſtolis, vrgeretúrque vt eam miſſionem prætenſam probaret, petijſſetque dilationem, vt Zuricũ proficiſceretur in Heluetiam, vnde probationes ſuas acciperet. Pro tribunali Præſes ipſe Huguenotus ſumma cum ſua, gentisque ſuę Huguenotę confuſione pronunciauit tres illi menſes dari ad legitimas, & authenticas probationes deferendas. Vnde tota vrbe ſpargebatur ab Hęreticis rumor veniſſe Ieſuitam, qui vt olim Satanas, IESVM tentarat, ipſasque mulierculas melius fuiſſe reſpõſuras ipſis Miniſtris. Comesque vrbis Caſtrenſis Gubernator coram ipſo Patre, præſentibus decem ad minimum tum Huguenotis, tum Catholicis nobilibus dixerit, tantundem ſe fidei adhibere equis ſuis, atque illi Miniſtro, qui cęterorum caput erat. Vberiores autem fructus ex his duobus inchoatis Collegijs colligentur, vbi annuente Rege Chriſtianiſſimo, à Paternitate veſtra confirmata fuerint.

DOMVS PROBATIONIS.

VERSANTVR hîc è Noſtris circiter viginti; adlecti in noſtrum ordinem ſedecim aut eo amplius; Aliquot è Sacerdotibus, alijsque veteranis fratribus tertium tyrocinij ſui annum poſuêre. Singula proſequamur. Vnus è Nouitijs erat

erat in Societatis desiderio, sed moras in dies trahebat, veritus desiderium patefacere. Hic sensit secundum quietem multas hebdomadas, se terrificis infestari somnijs, & funestis spectris, non aliter quàm si verberibus afficeretur à Dæmone, vel etiam huc, illuc raperetur. Quid faciat iuuenis? Nam si somno euigilet, terrent spectra; & si aliò mentem conuertat, nusquam occurrit dolori medicina. Inuenit tandem malo remedium. Voto se Societatis obstringit; eo nuncupato euanuêre insomnia, & pace fruitur animus. Alteri Nouitio multas obiecit difficultates Dæmon; sed eæ omnes in ipso in Societatem ingressu abiêre. Religioni nostræ nomen dedit alter egregiè indolis, qui à prima ætate solitus erat dicere, se Iesuitam fieri velle. Hunc pius parens in Nostris scholis semper instituendum curauit, crebrisque cohortationibus eum ad Societatem nostram amplectendam inflammare consueuerat. Voti compos factus pater, gratias egit de recepto in ordinem nostrum filio, & quotiescumque eum postea est allocutus, grauiter est ad perseuerantiam cohortatus. Flagrabat alter nostri ordinis desiderio. Huic consulitur, vt si Societatem velit, animum à Philosophiæ studio cui se tradiderat, reuocatum, seriò tradat Rhetoricę præceptionibus iterum imbuendum. Erat id iuueni perdifficile, potissimum quòd studiorum causa, alia ciuitas adeunda foret. Paret tamen consilijs, & domo patriaque valere iussis, tandiu se includit Rhetoricę ludo recudendum, donec factus voti compos seculum cum religione commutauit. Ferebatur vnus è tyronibus antequam Societatem iniret, tanto animi ardore ad opera pietatis, vt doctrinam Christianam in Xenodochio doceret, & eleemosinis frequentibus pauperum penuriam solaretur, atque adeò totius ciuitatis oculos in se vnum conuerteret. Laudabile fuit alterius flagrans desiderium nostræ Societatis, cui pater est Caluinista. Tamdiu enim Societatis fores pulsauit,

Digitized by Google

uit,donec sæpius negatas Prouincialis ei aperuit. Distulerat alter suum in nostram Religionem ingressum, vti iusta parenti persolueret. Sustulit Deus parentem ex hominibus; inde factum est, vt liber post parentis funus ad Societatem conuolarit. Itarunt Nouitij ad vicinos pagos veste attrita,stipis causa emendicandæ, vt ad paupertatem instituantur. Visitarunt Xenodochia,& suam operam ægrotis strenuam nauarunt, ijsque ad confitendum de peccatis inuitandis Doctrinę Christianæ præcepta explicarunt,alij inter Catholicos, alij inter Hæreticos, nec sine fructu. Ex vnó disce. Hic mensem vnum posuit in semine iaciendo doctrinæ Christianæ. Vidit ea ciuitas, quam excolebat,puellas,& natu grandes mulieres, puellos,canósque senes frequentes conuenire ad Catechesim, certatim respondere de summis capitibus Religionis nostræ, atque etiam exardescere ad vnius imagunculæ, aut alterius præmioli captandi cupiditatem. Quod ad peregrinationes attinet, sat longas & difficiles etiam inter hæreticos non sine diuina prouidentia obiêre,quibus iniuriæ scommata,& maledicæ voces non defuerunt. Auditæ Confessiones aliquot eorum, qui in hospitali domo versantur à Sacerdotibus, qui tertium probationis annum ponunt:è quorum numero vnus in ferijs Christi patientis, & resurgentis,in quodam oppido,non pœnitendam oppidanis operam dedit. Deniq; viget in Nouitijs Spiritus Societatis, & pietas;curritur certatim ad virtutem;neque est quicquam illis magis cordi, quàm optima de se,deque vitiosa natura victoria,quæ victoriarum maxima est.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA LVGDVNENSIS.

SVMVS in hac Prouincia Socij 263. septem domicilijs distributi. In Collegio Auenionensi septuaginta septem: Sacerdotes triginta, quorum duo Theologiam Scholasticam docent, vnus casus conscientiæ, tres Philosophiam: vnus Mathematicas disciplinas: Professores humaniorum litterarũ quinque: Theologiæ auditores octodecim, Metaphysicæ quinque, Physicę tres, Logicę tres, reliqui Coadiutores. In Turnonensi triginta tres: Sacerdotes tredecim: vnus Theologiam docet, Philosophiam tres, humaniorum litterarũ Magistri quinque, Theologię, & Casuum auditores tres, Rhetoricę vnus: reliqui sunt Coadiutores. In Camberiensi viginti octo: Sacerdotes duodecim: humaniorum litterarum magistri quinque: reliqui domesticis negotijs occupantur. In missione Tononensi ad Geneuam sex ex Nostris versantur: Sacerdotes quatuor, vnus Magister, alius Coadiutor: verùm hi cùm ad Collegium Camberiense spectent, in numerum eiusdem Collegij relati sunt. In Dolano quadraginta quinque, Sacerdotes octodecim, ex quibus vnus casus conscientię docet: Magistri

Digitized by Google

gistri reliqui : vnus verò Logicæ, humaniorum litterarum sex ; casuum Conscientiæ Auditores decem: reliqui Coadiutores. In Collegio Anicensi 31. Sacerdotes quindecim; quorum vnus Casus conscientiæ docet. Magistri Rhetoricæ,& inferiorum Scholarum sex: auditor Rhetoricæ vnus: rebus domesticis occupati reliqui. In Bisuntino sedecim; Sacerdotes septem: Magistri quinque: Coadiutores quatuor. In domo Probationis triginta tres : Sacerdotes septem, quorum vnus est Nouitius tertij anni, tres Nouitij primi & secũdi anni: duo Coadiutores: reliqui Nouitij. Admissi sunt quindecim. Defuncti duo in Auenionensi Collegio.

COLLEGIVM AVENIONENSE.

SCHOLAE hoc anno vel numero, vel pietate floruêre maximè, testis Auenio, quæ ne flos ille discipulorum inuisus dilaberetur, & esset perpetuus, suorum omnium suffragijs tribus, aut quatuor summum de quinquaginta exceptis, Philosophiam, Nostrosque aliò ad ponendas tandem certas sapientiæ sedes emigraturos annuo quadringentorum aureorum censu retinuit. Trecentos igitur supra mille ex vniuersa ferè Gallia conscriptos recensuimus. In Logica centum. In Theologia scholastica minimum quinquaginta; delecti omnes: hoc argumentum. Ex illis spectata eruditione Religiosis ordinibus Doctores dati, qui videlicet Philosophiam, & Theologiam edocerent: prodiêre alij sex, qui magna cum admiratione, & fructu Quadragesima conciones habuêre quotidie. Plerique omnes Sacerdotes, in illisque è Minimorum familia Professor Philosophiæ, cum duobus ex eadem familia; duo

Digitized by Google

Carmelitæ: Benedictini plures. Et profectò longè plures in angustis tamen classibus auditores haberemus, si in vrbe prorsus Catholica facilis aditus pateret hæreticis. Quadringentos misisset Delphinatus. Venêre enim ex eo certi homines, qui facta potestate commodum tanto numero pararent hospitium. Aliquibus è præcipua nobilitate potestas facta, à quorũ parentibus cùm quæreremus, quare tanto labore, sumptuque in magna magistrorum copia liberos adducerent suos, responderunt ingenuè: in regenda, excolendaque iuuentute nos primas tenere, nobisque propterea in disciplinam tradere. Absoluti ex illis ab hæresi quatuor: in spe certissima sunt alij, quos ne præpropera festinatio alienet, & perdat, præceptorum patiens suauitas alit, & sustentat. Tam facilis victoriæ causam scitati, pietatem condiscipulorum subiecêre pro responsò. Quæ profectò singulis in classibus pro ætatis captu singularis est; perspicuamque facit omnino eorum numerus, qui vel ad Sodalitatem adscribuntur, quos capit ægerrimè, vel religiosas familias ardenter ambiunt, quos verissimè iustam implere centuriam affirmaris.

NEGLECTAE tamen pietatis nonnulli dedêre argumenta. In his nobilis adolescens, cùm fœda aëris tempestate calceos indueret, & cacodœmoni alterum quia angustior esset deuouisset, audita verba sensit. Fulmen enim maxima vi in pedem incidit, calceumq; exuit, & qua vi deciderat, eadem dimidiatum calceum Carpentoratum detulit, ad Energumenum, quem vt vidit, Benè habet, inquit, reliquus calceus meus erit. Qua supplicij leuitate didicit adolescens non euocandum tam facilè tam facilem ad inferenda supplicia hostem. Alius extrema pubertate chartis lusorijs, aleæque assueuerat: lusit ille tandem infelici dextra, & pecuniam recens ad victum, cultumque biennij integri acceptam amisit plu-

rimam,

Digitized by Google

rimam. Inops hic consilij, mētisque, desperatione amplectitur, & ab ea desperatione mutuatur cōsiliū, tanquam ad sacram anchoram confugit ad Dęmonem, à quo cùm creberrimis præstigijs eluderetur, eoque premeretur angore, sui vt impotens esset, redijt ad desperationem. Miserati adolescentem permulti à præcipitio, & nece conantur auertere, ad Confessarios externos adducunt, nihil efficiunt; Nostri tandem euentu meliore, & Deo, & sanæ menti illum restituêre.

IN vtroque Sodalitio maior enituit pietas: In maiore data illius in duobus maximè hæc inditia. Quidam è præcipua nobilitate desperata à medicis valetudine properabat ad mortem, ad quam vt tutiùs peruenire destinauit è suis aliquem, qui Patrem è Nostris Congregationis Præpositum admoneret conclamatæ valetudinis. Mirum dictu cùm primùm per Patrem re cognita Socij in preces effudêre se, melius habuit, & paucis post diebus omninò conualuit. Alter verò, cùm ei ad negotium magni ponderis obeundum salubri consilio opus esset, pro sua pietate ad Diuæ Mariæ Donorum adit, & consilij exorandi gratia rosarium percurrit attentè; ad cuius finem cùm obdormuisset, Virginem suauissima facie magna cum animi sui voluptate videre sibi visus est. Expergefactus visi vehementia precationem absoluit, & spe plenus repetit domum. Ecce iterum nocturno in somno sese videndam offert Beata Virgo, certumque hominem nominat, à quo quid facto opus sit, ediscat. Vix illuxerat, cùm ille ipse, quem pia patrona edixerat, pro foribus affuit, eiusque præsenti patrocinio è certa præsentique ignominia ereptus sit. Minoris verò Sodalitij clariora sunt pietatis argumenta. Hinc illa vox nobilis viduæ: Sanè Iesuitas amo, vt debeo, sed nunquam liberis meis potestatem faciam, vt in numero sint Partheniorum, quos enim alumnos habet Virginis Parthe-

Digitized by Google

nium, tot habet monachos. Exaſperabat illã natu maior filius Carthuſianis adlectus, quem vt auocaret à propoſito, mater relicta Cauallione, ſedem Auenioni fixerat, ſed irrito conatu: toto enim anno crebris priuatisque colloquijs vel lachrymis à filio aliud nihil obtinuit, quã vt in ſuſcepto ſolitariæ diſciplinæ propoſito eſſet firmior. Dedit igitur hoc Sodalitium ſingulos Benedictinis, Obſeruantinis, & Dominicanis Claromontanis. Ex eodem Minimi binos habuêre, tres Carthuſiani; Noſtri totidem; quatuor Cappuccini; cæteri tertiam partem; centumſ; uprà viginti in certa penè ſpe vel noſtræ, vel alienæ diſciplinæ. Quod dum præſtolantur, ſic ſe alunt. Diebus Dominicis Xenodochium noua pietate viſunt, in eoq; Chriſtiani officij numeros explent, & pro tenuitate ſcholaſtica veſtibus, & pecunia decumbentes, valetudinariosque recreant aliquando, admirante vrbe, à pueris nondũ pubertatẽ egreſsis ſuperari ſeſe, alacri animo dicta quædã inſulsè ſalſa audiri, nec morbi metu, nec ſordibus teneram ætatem, & ſordium impatientem offendi. Duobus ipſo palmarum die hoc contigit miſerabile iuxta & mirabile. A prandio inambulabant ad Rhodanum, cuius inſpiciendi gratiã inuitatu condiſcipulorum, qui aduenerant, carioſam cymbam conſcendunt, quam dum per ludum impellunt, ecce illa Rhodani impetu fertur in vortices, agiturque. Imperiti nautæ tam inopinato exitu & exitio quid agant? Nauis erat exarmata, & verò inſtructa, qui gubernet, nemo erat. Ergo ad vota confugiunt, Sodalesque palàm Virginem implorant; nec fruſtrà, nauis cœpit ſtare, & conto, qui vnus omninò erat impulſa ad littus ferri, ſed tãto impetu, maximum vt eſſet periculum, ne in ſcopulos impingeret: ad quos cùm recta Rhodanus ageret ingemiſcentibus iterum pueris cum effusa ad tam miſerum ſpectaculum multitudine ad ſacram iterum votorum anchoram refugiunt

giunt omnes, Sodales iterum Virginem orant, & quò clarius esset eius patrocinium ; parentes puerorum, qui adiolauerant accepto de morte filiorum nuntio, cum nautis paciscuntur de ferendo subsidio ; sed illi iurant sanctissimè nulla remorum vi eò tempori posse peruenirì. Cùm igitur in scopulo toto impetu ferretur naugium repentè nudato ad enatandum sodali funis piscatorius apparuit ; quo arrepto illud sustinuit, sensimq; regente fune deduxit ad littus incolume. Quid aliud hoc loquitur, quàm præsentem suis esse Virginis opem?

MISSIONES ingredior hoc nomine celeberrimas, quòd Nostris exulibus facta potestas Societatis nostræ munia obeundi ; quò nunquàm alias ingrediendi. Numerantur illæ Visana ; Paternensis, Carpentoratensis, Dignensis, Aleptensis, Vsetina, Gratianopolitana Delphinatina, Cisteronensis; & sanè si studia Theologorum nostrorum permisissent, quæ non interrumpenda visa sunt, denas quinas quindeni Theologi illis addidissent. In hisque quod hactenus fecimus missis, sine fuco communibus propria reddemus.

IN Visana odium posuêre consobrinę duæ, quod quadriennio magna omnium offensione tenuerant : mulierum fœda libido in pudicitiam conuersa, effectumque labore omnino magno, vt quatuor vsurarium lucrum debita restitutione penderent. Et agno Dei in cera consecrato pueri bini laruis erepti : quibus noctu intet ipsorum parentum amplexum miserrimè angebantur. Inducti ad frequentem confessionis, & communionis vsum pro oppidulo plurimi: in quibus octo, totius vitæ crimina generali eorum expositione facta deposuêre.

PATERNIS hæretica propè iam senior eiurauit suum prauitatis errorem, quem cum lacte nutricis hauserat. Carpentoratensis hæc capita ; Iudæus longa tandé disputandi vi victus: erat enim in lingua sua ; & scriptu-

Digitized by Google

rarum intelligentia non mediocriter versatus, verum Messiam est amplexatus. Hæretici reconciliati duo, hæresi abiurata; horum alter adolescens, & à parentibus hæreticis natus, & in hæresi educatus, annorum alter sexaginta: catechesis in hebdomada quater habita, & Sacerdotes edocti casus conscientiæ, vtrumque tanto cum fructu, vt vtrumque in legem abierit: cautum præterea vt Sacerdotes octiduo conuenirent semel de regendis salubriter hominum animis acturi.

DIGNENSIS vberiori edicto primum in blasphemos animaduersum; dies festi à nundinis alijsque id genus vindicati. Ecclesiasticis vt ex præscripto Cõcilij Tridentini officium persoluerent, ex eius ritu. Sacramenta ministrarent, templa mundius haberent ab impio situ squaloreque eriperent. Effectum quoque, quâ cohortatione, quâ prudentia, vt Canonici fermè omnes mutua odia in mutuum amorem sanctè conuerterent. Obita Dioecesis maiori fructu, odia restincta, extirpataque superstitiones, singulis in pagis instituta, sancitaque decreto catechesis Christiana. Hæc communia locorum ipsorum, vel hominum potius alta rerum ad salutem animæ pertinentium ignorantia facit propria: In his enim locis hæc iacienda primùm fundamenta, vt ædificium necessarium surgat. Sequuntur duo digna memoratu. Adijt Nostrum quidam, qui palàm iuramento confirmabat se librũ medio ex flumine illæsum hausisse, ex eoq; se quicquid vellet, aut vidisse, aut futurum edixisse, donec hæretici diuinationem multorum annorum inuidentes, diuini vt ipsi è malè diuinis fierent, homini librum sustulêre; ostentabat tamen nonnulla adhuc illius magici voluminis monumenta, quibus etiamnum abutebatur impiè. Effectum tandem (fama enim, pecuniaque diuinatione quæsita vim afferebant) omnia vt illa abijceret cum magia. Alius se pro mendacio asserendo diris deuouerat,

nec

Digitized by Google

nec eum in officio continuerat ardens adolescentis oratio, qui hausiam recens in Scholis nostris de periurio catechesim exposuerat: sed contemptæ admonitionis, religionisque grauissimas pœnas lint. Sequeti enim die fœda tempestate impendente conscendit campanile, sacro fonitu de more tranquillitatem redditurus. Ecce vehementi impetu decidit fulmen, pulsantisque corpus ita pulsauit subtiliter, humoremque ebibit, vt cadauer deferentibus stramineum haberetur, & quò certior esset diuina vindicta, illa duce in remotam fulgurati domũ fulmen abijt, tetroque multorum dierum odore corrupit, & fœda lõgè, lateque fumi reliquit vestigia, intacto superiori cœnaculo, quod ad Sacerdotem pertinebat: inde euolauit in eiusdem syderos hortum, domi tamen non attiguum, cuius amigdalum, quam recens miserator plantauerat, euulsit radicitus: & magna omniũ admiratione nouus plantator radicibus liberum cœlum aperuit, ramos frondesque terra operuit.

ALEPTVM in Oxitania ita hæresi laborat, vt in decem hominum millibus vix quingenti censeantur Catholici. Nostros primùm hoc anno admisit, effectumque vt hæreticorum impensa, & dolore crux excitaretur. Alia communia, nisi proprium dixeris in tali loco, quod ad Natalem Domini confitentium, & communicantium numerus ingens fuit.

IN eadem Prouincia Vsetium, quod à primis Caluinismi temporibus hæresi facilè contabuit: miseris enim ciuibus mulierosus primùm, dein vxoratus, & mox (vt grauia ista sese sequuntur scelera) Caluinianus pastor præerat. Afflictum igitur ita hæresi, vt duodecimus quisque vix sit Catholicus, & ad alendum Caluinismum, vel hęresim potius sentinam duos habet ministros, perpetuos errorum suorum clamatores, eo Societatis odio, vt de ea nullus in eo aut visus vnquam fuerit, aut auditus.

Digitized by Google

EO tandem accersitu melioris è Carmelitana familia Præsulis venit vnus è Nostris, qui mense Iunio aliquot concionibus Catholicos erexit, ad certamen ministros prouocauit, qui in absentia nostra gloriabundi de Ecclesia Romana, nostraque familia sine curru & equis triumphare soliti, in præsentia pugnam detrectarunt, & magno suo suorumque dolore cornua demiserunt. Labefactatus vrbis Gubernator, Comesque clarissimus, seseque ad pascua Christi, redituru primo quoque tempore professus est. Corpus Christi præterea solemni pompa circumlatum tota vrbe, tota inusitato spectaculo stupore defixa, & palam deflente sectam suam vt squalidam, & sacrorū rituum inopem, & quod admirabilius omnes omnino officinas artificum occludente. Repetijt Vsetium alius è Nostris aduentu proximo, quo & duos Ecclesiæ reddidit & Catechesim insigni fructu instituit, eamque concionibus fructuosiorem fuisse experientia docuit, & qui antea naturę vitio hæreticis ludibrio fuerat, mox admirationi honorique fuit vt moribus, & pilis hircinos ministros imberbem fugere, & oblatam, indictamque pugnam enitare senserunt.

GRATIANOPOLI Sacerdotis nostri mixta cum morum integritate leuis natura & facundia mirabiliter profuit. Quatuordecim primùm Ecclesiæ reconciliauit. In his ministerij hæretici candidatus qui S. Francisci familiam hæresi abiurata ingressus est: & causidicus illustris, annorum septuaginta, exemplo vtili, Patrem enim filius est consequutus. In his etiam adolescens, cuius subita ruina multos erexit: qua enim ille nocte sumpta, è ludo sibi infelici occasione Romanam Ecclesiam abiurauit, eadem incidit in amentiam, & furorem. Rem catholicam adiuuit Pro-regis exemplum, qui aliquoties nostro concionatori attentas aures præbuit, sed magis lectiones pomeridianæ quas ille habuit, & disputatio

publica

Digitized by Google

publica cum Ministro tam felici successu, vt elinguem reddiderit, & magna infamia deserto cœtu, & frequentia abire coegerit. Interea spectris diabolicis liberata mulier, quod vsi maritus sensit & hæresim reliquit, & ea eadem præstigias effugit. Vir etiam nobilis sponte deseruit hæresim, quòd Minister sæpius inuitatus nostrum concionatorem audire renuisset. Monasteria tria fœminarum, & auitę disciplinæ & pietati restituta. Confessiones, reconciliationes, restitutiones plurimæ. Maleficio leuatus vir, & mulier, & puella vxorata à marito prostituta tuto loco constituta. Is superat fructus omnium maximus quod à Prorege, & Senatus primo Præside obtinuit, vt Delphinatum Septembri Iustitio obirent secum, & ex edicto Regio rem Catholicam suis locis restituerent. Qua in lustratione, res, inquam, Catholica multis in vrbibus restituta, Minister publicè cõuictus, & tã apertè vt hisceret. Octo Ecclesiam Romanã agnouêre, palámq; ad maximam aram professi se hactenus ignorãsse quid sibi vellet pax animi, mentisque tranquillitas. Hæc pauca dixerit aliquis, sed multa si quis explicuerit quod verbo diximus rem Catholicam restitutam. In eo enim verbo Ecclesiastica beneficia suis locis reddita, altaria restituta, campanæ, ornamenta Ecclesiastica Parœciæ, concionum, confessionum, catechesûm frequentem, & necessariam multitudinem complector, suo etiam ambitu edicta in aleatores, & collusores tempore diuinorum officiorum prohibitoria coercet. Maleficijs etiam, hæreticorumque fraudibus obuiam itum, multarum pudicitiæ consultum. Claudet ista Rusticus qui eo nomine deseruit hæresim quòd Ministrorum libri pietatem non saperent, cuius iudicium herus cum vxore sequutus, effecit facilè vt familia tota in eandem iret sententiam, & omnes Catholicorum libros pios euoluerent, & Christianam, Catholicamque amplecterentur Religionem.

Digitized by Google

DIV Ciſterium nos tenebit ita fructibus graue eſt. Igitur conciones habitæ tota Quadrageſima hoc fructu. Bacchanalia primò nulla. Aduentus Patris ad ea tollenda fuit opportunus, cuius tanta auctoritas quæſita ſuperioris anni fructibus, & ſpectata virtute, vt vna concione ſuſtulerit. Hinc admiratio totius vrbis, & vicinarum vrbium, quibus pro more ad conſuetas inſanias Ciſterium venire non licuit. Perſuaſit idem Ecclaſiaſticorum ciborum abſtinentiam, veramque Quadrageſimalis Ieiunij formam. Ciſterienſibus enim antea prandere, & cœnare ieiunium erat: à pleriſque ergo obtinuit vt maximam partem recepto iam in Eccleſia Romana more, ab alijs vt totam Quadrageſimam priſca patrum diſciplina pane, & aqua frigido admodum cœlo, ſoloque tranſigerent. Et cùm vix adduci antea poſſent, vt ante diem ipſum paſchatis confiterentur, effectum omnino vt ineunte Quadrageſima peccata aperirent. Quo non contenti alij ſingulis diebus dominicis, alij decimo quinto quoque die peccata pœnitentia deleuerunt, & ſacro ſe Euchariſtiæ pabulo aluerunt. Non tulit hos fructus æquo animo miniſter, quos vt adoleſcentes opprimeret pœnam grauiſſimam ſtatuit omnibus, qui vel concionanti Patri aures præberent, vel priuatim cum eo conſilij capiendi cauſa agerent, ſed nihil effectum. Imo ſuaſum quatuor vt deſerto Miniſtro capeſcerent fidem Catholicam. In his vnus maximè hæreticis fuit offenſioni, quia & militari ſcientia, famaque, & generis claritate nobilis erat. Mulieres aliquot à turpi vita vindicatæ. Redière in gratiam plurimi, in his fortiſſimi Duces duo. Subleuati compitorum mendiculi, & ægri illi cibo in Xenodochio, publicum enim Valetudinarium nudum erat, & ſine inſtrumento, hoc repertum, ornata domus, & ad commodiorem vſum immutata, quod vt efficeret Pater ad Noſtram diſciplinâ incolendi, & excolendi Noſocomia ſe conuertit, eoq; exé-

plo

Digitized by Google

plo Cisterienſiũ oculos in ſe conuertit, omniaq; præſtitit quæ iacentibus, & domus vſui fuêre neceſſario. Vis Agnorum Dei in morbis, partuque mulierum tam euidenter probata, vt incolæ, & aduenæ viceni triceni pauperum, & Patris hoſpitium obſiderent, & ſummis precibus totum aliquando diem Agnum Dei in conſecrata cera expoſcerent. In his laboribus catechiſ[illegible]i explicatio ſuum ſemper tenuit curſum, hæ cauſæ, ciuitas omnis, & hæretici: illa rerum ad Chriſtianam religionem pertinentium rudis, & ignara: hi illam non ferunt, & nihil eſt, quod illos peius habeat, melius Chriſtianos; ab ea enim & venena diſcunt prauitatis hæreticæ quæ fugiant, & rectè viuendi diſciplinam, quam benè poſtea ſequantur, ediſcunt. Quis miretur in his fructibus Patrẽ omnibus fuiſſe chariſſimum, publiceque publico in Prætorio collaudatum in diſceſſu, & ad tria milliaria vellet nollet à quinquaginta equitibus honorificè deductum.

PONAMVS in hoc genere miſſionum quod Sacerdotis è noſtris proprium eſt, qui calculi eijciendi gratia miſſus ad balnea, ſalutem animæ attulit viro nobiliſſimo. Erat ille dignitate Baro mediocri doctrina Latinæ Græcæque linguæ peritiſſimus, cuius conuerſionem Regius quidam Conſiliarius hæreticorum mens reddidit difficiliorem. Tandem tamen longa crebraque diſputatione fractus, dedit Baro manus: alter verò pollicitus ſe in lectione priſcorum Patrum verſaturum diligentiùs: ſalutis illius huius promiſſi hæc præterea occaſio data. Venerat ad balnea Miniſter curaturus morbũ, vt ille Baronem adeſſe cognouit cõfeſtim honoris gratia illum adijt, à quò & Ieſuitam, & conſiliariũ didicit aduenisſe, & verò ſæpius concertatũ fuiſſe. Hic homo impotens ſui ſuo more in Ieſuitas declamare, multaq; pro tempore, vel dicere vel furere. Inter alia, vna concertatione Ieſuitam plus ſuis obfuturum, quàm ille triginta quinq; annis profuiſſet. Cui

Baro

Digitized by Google

Baro quidquid sit cũ illo egimus,& videſis ne mala rabie agaris: nam hominem vterque probauimus; & ſi placet adeamus. Ad Patrem ergo noſtrum ambo conuolant. Actum primum de quæſtione phyſica, quam Ruſticus à natiuitate ſurdus obtulerat. Miniſter multa præfatus honorificè tentauit ſoluere; ſed inſcientia rerũ phyſicarum habitus ludibrio, Senori noſtro Sacerdoti fuit, qui expoſito neruorum coniugio, rem omnem compoſuit. Succeſſit de ſacroſancta Euchariſtia diſputatio, quæ Miniſtrum intra crepidam vt ante dixerat ſuam; perdidit: admiſſis enim aliquando propoſitionibus veriſſimis negabat effici quod erat propoſitũ; & cùm aliàs Græco ſe Teſtamento protegeret, eo prolato detegebatur malitia. Quod vbi ſenſêre hæretici qui confluxerant, mirum quàm animos abiecerunt,& ſe ipſi ſint miſerati, qui à deliro ignaroque ſene tot annis eluſi fuiſſent.

REDEO domum ad domeſticos. Quinque hæreſim poſuerunt, in his adoleſcens qui iuramento ſe perpetuæ hæreſi obligauerat. In his alter, qui ex Catholico factus ab auunculo hæretico hæreticus quinque dierum itinere ad nos venit, vt & peccata, & hæreſim in templo deponeret. Eamdem eiurauit annorum ſexaginta ſenex. Confeſſariorum verò noſtrorũ fama exciuit ad ſe plurimos ſanè ex Arelatenſi Vrbe benè Catholica: vno fermè tempore venêre plures quadraginta. In domeſticis ponam quod capitis ferè proprium eſt. Rem primùm Arauſicæ Catholicam reſtitutam, quam triginta annorum ſpatium miſerè afflixerat hæreſis. Hoc factum cum Principe, principatum ſuum ex itinere inuiſente. Cui cum hæretici hoc inter alia propoſuiſſent caput, ne quis Ieſuita Arauſicæ concionaretur, reſectum fuit, liberumque Noſtris aditum eſſe voluit. Hinc pio auunculo animi fuêre, binas vt neptes ſurriperet matri, & Auenionem adduceret, quæ vbi venêre facili negotio Eccleſiæ reconciliatæ. Eiuſdem etiam

Digitized by Google

etiam consilio effectum vt Archiepiscopi, Clericque Auenionensis beneuolentia Seminarij sui domus Collegio cesserit, omnium hæc ratio, quòd ædificationi scholarum percommoda futura sit. Quod sequitur difficile: Iudæus Christo acquisitus. Hoc salutare: Episcopi tres ouibus dati, quæ multis annis, aut pastore caruerant, aut certè strenuum non habuerant.

FACIET finem præsenti anno duorum Patrum obitus. Priori nomen Bartholomæus de Guillelmis: exijt ille è vita vltimo Martij; vir pietate singulari in rudioribus excolendis, tota Gallia Lugdunensi incredibilem per se, per Nostros, perque viros pios imaginum, rosariorum, & piorum libellorum capita illa complectentium dispersit numerum, Vnde præterea fructus ille à Nostris, & externis obseruatus, quod rustici in itinere rosarium percurrerent, & pueri puellæque Catechesim decantarent, hausta mque à suo Catechista disciplinam domi exponerent. Lugduni viginti annos operam dedit confessionibus audiendis insigni fructu, exemploque. Alter est P. Annibal à Codreto, cuius exitus è viuis in decimum nonum Septembris incidit: vixit ille annos septuaginta quatuor: in Societate quatuor, & quinquaginta. Multa ab eo de Patre nostro sanctæ memoriæ Ignatio cum quo nouem annos familiariter vixit accepimus, multa de primis decem eiusdem Patris nostri Socijs, & Patribus, quos & verè sanctissimos fuisse, & in cultu Dei promouendo strenuos admodum exstitisse prædicabat. Illustris patientiæ vel extremum senium, vel in extremo senio molestissima stranguria dedit argumentum hoc à Parente nostro Ignatio haustæ humilitatis: rogatus enim à P. Rectore viaticum ei offerente, si quid haberet quod Nostris commendatum esse vellet, vocem deesse respondit: rogatus iterum vt in aurem suggereret, qua voce potuit veniam erratorum expetijt. Quam fructuosè Franciam ille, domumq;

Digitized by Google

mumq; Professam Parisijsq; exerit, quantus concionator extiterit Francia ipsa quæ vidit audiuitque edoceat. Has enim dotes, virtutesque huic anno inuidet ignoratio.

COLLEGIVM CAMBERIENSE.

DOMI confessiones assiduæ de more, restitutiones factæ, inimicitiæ vitrò, citroque depositę. Hoc anno summa annonę caritas partim ob bellicos tumultus, partim ob pestilentem morbũ, qui passim in hisce partibus grassatus est. Hinc factum vt Nostri inopia frumenti laborarint, cùm verò vix ad emendũ inueniretur, diuina, quæ nobis semper adfuit, prouidentia factum est, vt Archiepiscopus quidam longo satis locorum interuallo hinc remotus, duo iumenta frumento onusta ad nostram inopiam subleuandam miserit, Nostris de nullo minus, quàm de illo cogitantibus. Vir quidam integros septem annos cum hæreticis commoratus, in fide tamen Catholica semper perseuerans, longum iter, ac periculosum confecit, vt ad nos confitendi gratia veniret: quod idé alius fecit. Obitus non tacendus cuiusdam apud nos mortui: hic cum magno Societatis ineũdæ studio teneretur, & ad Coadiutorum functiones ritè obeundas ineptus videretur non est admissus. Paucis diebus interiectis redijt, & serui instar infima quæq; domus ministeria promptè, alacriter, ac laboriosè ad aliquot menses obiit: tandem in febrim incidit, eaque confectus susceptis omnibus sacramẽtis, dum crucifixi imaginem oscularetur, dumque illas Psalmistæ voces sæpenumerò proferret, Lætatus sum. &c. expirauit, & postea in nostro templo sepultus est. Ad eos qui in publica reorum custodia tenebantur consolandos, frequenter itum est. Ex ijs

septem

septemdecim confessi sunt, deinde cœlesti cibo refecti, & nonnulli postea è custodia emissi, quod illi Confessionis & Eucharistiæ sacramento tribuerunt.

MISSIO CHABLASIENSIS, SEV Tononensis.

TONONI, & in pagis Gebennæ vicinis, duo è Nostris concionati sunt. Ad eos, qui in superioris anni litteris numerati sunt: accesserunt plures ducentis, qui partim Tononi, partim in pagis Caluinianam hæresim publicè abiurarunt, & sacramenta Catholico ritu perceperunt. In his matrona quædam quæ quòd tertiæ feriæ Paschalis diem violasset, in carcerem Episcopo mandante coniecta fuit. Quo in loco eam sæpenumero concionator noster inuisit, eaque præstitit, quæ ad eam ab hæresi auocandam adimentum allatura videbantur, sed frustra. Carcere liberatã febris inuasit: primam verò morbi noctem ferè totam insomnẽ traduxit, eò quòd in mentem redirent verba, quibus concionator in carcere illam affatus erat: hæc causa fuit, vt concionatorem vocari mandaueri it, apud quem hæresim detestata est, omnia Catholicæ Ecclesiæ sacramenta percepit, cum magna omnium Tononensium admiratione. Singulis diebus Dominicis catechesis à concionatore explicata est Tononi, bono multorum. Concionatoris consilio factum est, vt quidam à morte vxori afferenda sit auocatus. Hæreticorum libri non pauci incendio traditi. Nostrorum opera ita Episcopo probata est, vt dixerit mitram suam, baculumq; Pastoralem nobis inniti. In Paroecijs non solùm conciones à

Digitized by Google

Noſtris habitæ, ſed etiam Confeſſionis, Communionis, Baptiſmi, & Matrimonij ſacramenta publicè adminiſtrata, Epiſcopo iubente; necnon Doctrina Chriſtiana tradita rudioribus, qua vt ea dediſcerent quæ à Miniſtris ſæpius inculcata didicerant, omni ope contendendum erat. Parœciæ quotquot in tota Chablaſij Prouincia ſunt, omnes ferè à noſtro concionatore luſtratæ; & perſæpè accidit, vt concionum finem ſequerentur confeſſiones generales. In quadam Parœcia inuentus eſt ruſticus ſeptuageſimum annum agens, & ſolus in Parœcia hæreticus, barba hiſpida, aſpectu horrido, & qui intuentibus timorem incuteret. Is miniſtri officio fungebatur, ad alios ad hæreſim pertrahendos, aut pertractos obdurandos; quamquam nec legere, nec ſcribere præ ſumma rerum omnium inſcitia poſſet: poſtea per ſummum miraculum à Noſtro Sacerdote abſolutus eſt, ita vt diceret ſe nunquam amplius de fide diſputaturum; ſed illud ſolùm crediturum, quod S.R.E. credendum proponit. In quodam pago inuenta eſt quædam diu à dæmone vexata, hæc in feſto Purificationis Sacerdoti Noſtro poſt cõcionem confeſſa eſt, & ab eodem ſacram Sinaxim, & cum ea ceream agni cæleſtis effigiem collo appendendam accepit. Paſchalibus eiuſdem anni ferijs Parochum vt ei cõfiteretur adijt. Is cùm miraretur quòd vt ſolebat non torqueretur, reſpondit illa nullam ſe à dæmone moleſtiã eſſe perpeſſam ex quo Ieſuitę cuidam ineunte Februario peccata patefeciſſet; quã rem ipſe Parochus Sacerdoti Noſtro ſponte nec rogatus narrauit. Cæterùm in hac miſſione Thononenſi exeunte anno, ſummi Pont. auctoritate, & expenſis. Noſtrorum ad ſenarium auctus eſt numerus. Verùm narrationem hanc totam in ſequentis anni litteras rejicimus.

MI

MISSIO AD PRIORATVM MEGEVENSEM FACTA.

MEGEVAM itum est sacris nascenti Christo festis difficillimo tempore, per loca difficillima, montes arduos alta niue, glaciéque rigentes. Qui concionaturus mittebatur, pedem, fallente vestigio ex edito vertice præceps ruisset in profundam voraginem, nisi Diuina prouidentia affuisset obedienti. Inedialibus feriis idem eodem missus, idem expertus est diuini Numinis subsidium. Die quarto sanctioris hebdomadæ sacro, Christi passi mysteria in oppidulo concionatus est, tanta frequentia, ac si luisset orbi redempto dies ipsa solemnis: conuenerant hinc inde præmoniti relictis ruribus, villis, & operibus multi Ruricolæ. Feria quinta in Megeuensi templo sermone habito de Christo patiente, prius oppidum repedauit rediturus pedes dominica sancta Anastaseos: sed obtulit sese, qui equitem reduceret, nec certè absq; Dei consilio, auxilioque præsentissimo. Præuia namque nocte liquefactæ niues molem montis ingentem maxima cum aquarum eluuie in viam publicam pertraxerãt, eamque sic obstruxerant, vt non nisi longo tractu perquirenda foret. Eius ruinæ causa incolis exposita, non paucos ab impia, res alienas rapiendi cupiditate, diuertit. Talem verò esse perhibent. Curialis quidam ab agricola fortunarum multum extorserat, à quo tamen moribundo pro collatis beneficijs prædiorum parte m postu-

Digitized by Google

labat. Ille se potius partem eam diabolo donaturum testatur, à qua execratione sterilis mons, cliuusque ille remansit, & penè singulis annis terræ motu aut colluuione subuertitur. Idem Sacerdos noster mulierculæ cuiusdam, quæ totum iam triennium varijs exorcistis illuserat, ita vt verè energumena ab omnibus crederetur, vel fraudes detexit, vel errorem esse imaginationis vitiatæ ostendit: quod cũ primùm illa sibi à Nostro persuaderi passa fuit, simul etiam ab imaginario illo dæmone liberata fuit.

COLLEGIVM TVRNONENSE.

IN varijs Collegij fluctibus Nostrorum constantia quà domi, quà foris, collapsa excitando, reficiendo vetera, noua faciendo eluxit. Villa est Turnono distans sedecim circiter milliarijs: superioribus bellis tota conflagrarat, igne à militibus suppositò, sumptu in angustijs nostris non mediocri exædificata est. Idem alibi præstitum. In Collegio multa facta, quæ magnos vsus afferunt ad domestica munia. Totum illud prope quadrum est ex quadro lapide. Summam dignitatem habet duplex porticus vtraque quadruplici circumcirca fenestrarum ordine illustris, quæ in aream prospectum habent: Inferiorem valde ornarunt addita singulis fenestellis vitra, & cancelli colorato, & compacto decussatim ligno, mirabilem venustatem attulerunt. Hęc omnia effecta dum summa malorum moles incumberet, nec sine multorum admiratione, quòd re, vt vulgus iudicabat, planè desperata, ignotis successoribus tantis impensis laboraremus. Contixit tamdiu bona spes cum omnium rerum desperatione, & aliquando

aliquando vicit, quando ne ſpes quidem humana oſtendebatur melius fore, & æſtuaremus vt parua magno deprehenſa nauis in mari inſaniente vento. Illuxit ſubitò neſcio quis tranquillitatis ſol, & aſcendente in nauim Chriſto & longè aliter prouidente tanta malatia ſequuta eſt, vt iam hic in portu acquieſcamus, muſarum ſuauiter aſpirante aura, ſine vento vllo, aut nimbo ciuilis tempeſtatis. Pax à Rege conſtituta inter diſcordantes Curias, reddita Domino Turnonio malè propter nos adempta bona, detractum de eius honore ab inuidentibus, maior eſt eidem à bonis habitus, & eius mirificè laudata conſtantia, facta ab vtroque Parlamento Senatuſconſulta irrita, antiquata, Rege ita in conſilio decernente cauſa noſtra integra ad eum tranſlata, cautum ne quis alius de illa cognoſceret, agerétve. Zephyrus iſte pacis noſtræ labentes multos recreauit, & nouæ ſpei aſpirauit nouam auram, lætari hoc fælici nuncio Catholici omnes, hæretici vri inuidia, fremere, tumere odijs, diuerſis minis intonare: ſed futilis hic aries, & qui neruis dirigitur parum firmis, totum hoc anile agmen vno ſpiritu Chriſtiani diffiauerint, ſi Rex ſibi conſtet, quod vt ſperemus efficiunt præclara ſuæ teſtimonia optimæ in nos voluntatis non ſemel exhibita. Itaque quocumque iam aſpicias omnia videas multo ſpecioſiora, aſſurgit ſenſim muſarum ſedes iſta, & gratiarũ feruẽt ſtudia præſente hoc ſole Scholę fiorẽt, licet nunquã ſplendorẽ ſuum amiſerint. Nam & dum peſtifera illa lues graſſaretur, magis domi foriſque nauata gnauiter opera. Numerauit Gymnaſiũ diſcipulos ſemper plus ſeptingentos, nihil de quotidianis exercitationibus vnquam intermiſſum. Cucurrit felici pede curſum ſuum Philoſophia tanta auditorum frequentia, vt centenum circiter numerum explerint, aliquando ſoli Dialectici. Bipartitũ Sodalitium Deiparæ, cùm tam multos vna Congregatio non caperet: atque hæc domi facta

Digitized by Google

turbulentissimo illo tempore.

QVID foris? Per Vrbes finitimas,imo & longinquas magno fructu excursum.Per quadraginta-diale ieiunium, tanta concionatores postulantium multitudo, tam opportunæ,& importunæ litteræ,& preces, vt neque honestè recusare. Superiores possent, nec si vellent possent omnibus satisfacere. Celebrioribus festis diebus,è Magistris missi aliquot in diuersa loca, ne Patribus exhaustum Collegium tùm esset confessionibus excipiendis eorum, qui cæteruatim è vicinis oppidis Turnonum confluunt supremæ apud Delphinates curiæ, necnon totius propè Gratianopolitanæ vrbis studium in nos singulare, cùm in multis eluxerit annis præteritis,tùm recens apparuit. Eo tempore quo petebatur vndique Societas, expetiuit è Nostris aliquem, eundemque vix emensо Aduentus Dominici tempore in annum subsequentem obnixè flagitauit.Tantus confluentium quotidie ad concionem concursus:vt nunquam maior festis, profestisque diebus,& licet bis sæpe in die haberetur, ea tamen aderat frequentia vt superuenti multitudini amplum quamuis templum videretur angustum, & sedes in crastinum non antelucanis modò, sed vespertinis etiam horis occuparentur magno numero. Bipartitum Quadragesimæ tempus:datum matutinum sanando alicui loco ex sacris literis à Gebennensibus deprauato post meridianum positum in aperiendis Caluini blasphemijs. Ea res, incredibile, quantum & profuerit Catholicis, & nocuerit aduersarijs, qui etsi grauiter id audirent, ex ijs tamen non defuêre qui dicerent (tanti refert charitatem in omnibus ostendere) suis se stipendijs velle concionatorem nostrum alere, bellum quamuis acre & noxium faceret,modò,vt faciebat,verbo abesset conuitium, & iniuria. Prorex Delphinatus & Vrbis Gubernator viri alioquin graues, & boni nominis (si religionem excipias) interfuêre concionibus, modestiam dicentis

dicentis commendauêre sæpius, gratiam, opem, fauorem vterque pollicitus est effusissimè: cumque postea noui rumores, nouæque calumniæ spargerentur in vulgus contra Societatem, respondit Prorex, etsi res ita haberet, nihil id allaturum obstaculi, quò minus rediret noster ille, qui tum aberat, quoties vellet. Ter in hebdomada prætet quotidianas conciones expositi Casus cõscientiæ Gallica lingua, vt omnibus fieri posset satis, id enixè flagitantibus. Habitę adhortationes ad sanctimoniales. Harum aliquod monasterium ad vitam priorem, & habitum redijt, quem bellorum licentia mutauerat. Duæ ex illis multis annis in fide titubantes, in eadem magis confirmatæ.

DISSIDENTES in alio oppido à suo Superiore Monachi, Monasterium valdè turbabant, non sine dolore ciuium, qui id videbant, & graui bonorum offensione. Reducti in amicitiam à quodam è Nostris forte illac iter habente, petita vtrimque & data venia. Idem cum multis factum, inter quos grauiores erant discordiæ. Inter coniuges quorum paria duo longa post iurgia diuortium fecerant, tanto odio, vt in carcerem vxor coniecta mensis aliquot in eo squalore iacuerit, curante id, & vrgente coniuge, constituta tandem pax, extincta odia, & primi amores acriùs redintegrati. Vir quidam nõ ignobilis graui iniuria ab homine Religioso oneratus, colapho nimirum, & iniectione manus in barbam, furere ille, vlciscendi facultatem omni via quærere, abstinere à sacro pane die Christo resurgenti sacro, nec Deum orare quia fas esse non putabat ante vltionem: hortatu, consilioque Nostrorum mentem hanc exuit, dati vtrimque acceptique complexus, & grauioribus iurgijs finem imposuit copulatrix animorum Eucharistia percepta. Venerat in suspicionem violatæ coniugi fidei quædam insignis formæ mulier: iamque menses multos vterque duxerat infami luxu. Persuasum illis ad subsidium Cõfessionis confugere:

Digitized by Google

factum ita, atque vtriusque in posterum pudicitiæ consultum. Tanta vis ad Sacramenta confluentium, vt in plerisque locis omnes ferè recoluerint confitendo delicta totius vitæ.

IN vno pago vno anno plures exceptæ confessiones dicuntur, quàm totis ante integris viginti annis. Plures à spectris liberati. Vna ab infesto cacodæmone, multis annis variè diuexata, sacramentorum virtute, & sanior reddita est, & securior. Quidam importuna hæreticorum solicitatione, fidem Catholicam inter colloquendum, & ridendum intempesta nocte abiurauit. Caluinum sequuturus: vix exciderat ex ore verbum, ecce in amentiam primùm incidit, mox in tantum furorem, vt sibi ipse violentas passim manus afferre vellet. Ad fidem redière viginti quatuor, inter eos, qui priorem vitam & hæresim cum fide Catholica mutarunt, insigniores extitêre tres, quorum laudabilis vitæ mutatio ad alios pertinuit. Vir pollens opibus, nobilitate, & gratia: alter adolescens magni ingenij, & magnæ expectationis: tertius causidicus nobilis, & septuagenarius. Mirum quod dicam. Hic grauissimis oppressus doloribus, multis sæpè frustra medicaminibus haustis, aliò mentem conuertit: quærit à confessione corporis, & animæ morientis remedium, reperit, & percepta delictorum venia cùm hæreticam perfidiam abiecisset, mox ita conualuit, vt sequenti die non sine magna multorum admiratione per vicos incederet, nihilo vel ipso vultu immutatus. Quædam mulier parentibus hæreticis nata, eorum impulsu hæresim iurarat, grandior facta patriam deserit, inter Catholicos commoratur, hortari illi vt hæresim eiuret, illa negare Caluini tenax, & iuramenti, sed frustra diuino pungente stimulo. Itaque clamare inferis se deuotam, ni citò hæresim suam euomat, certo certius id se scire: aduocatur Sacerdos è Nostris, edocetur de iuramento, & suam hæresim magna homi-

num

Digitized by Google

num frequentia detestatur. Catholica puella nupsit hæretico, mox spectris terreri, & quasi furijs. Apparebat illi in lecto decumbenti dæmon varia specie, & planè horribili, liberata creditur ex quo maritus errorem, illa culpam agnouit. Vexabat miserè, & versabat aliam dirus animarum prædo, cui Pater hæreticus antè diras fuerat imprecatus, hæc à Nostris sanata aquæ lustralis virtute. Alij in fide hæsitâti apparuit puer IESVS inter Sacerdotis manus sacrum facientis. Moribundus decedere non poterat, tametsi maximis obsideretur doloribus, donec euocatus Noster illum ab excõmunicatione, qua inuoluebatur absoluit.

MVLTI profligatæ vitæ homines non ad saniorem tantum animum reducti, sed & varias religiones cogitant. Neque hic fuit Confessionum fructus omnis, etiam in proximos redundauit. Malè parta bona restituta suis dominis, & vis magna pecuniarum reddita. Eleemosinæ multæ coactæ hominibus in carcerem conjectis. Ambiêre hoc munus matronæ nobiles, & gnauiter certis diebus obiêre. Conopæum, & luminaria, viatico sãctissimo ægrotis deferendo procurata, cùm antea Sacerdos laterna, & tintinnabulo contentus illud non sine ignominia solus deferret. Pertinuit etiam ad nos hæc beneficentia. Nam siue paupertas Collegij cognita, siue vtilitas in vniuersam patriam, certè aucta est erga nos liberalitas multorum priuata, & publica. Cum vix ad alendos viginti redditus supereſſent, cepit tamen Gymnasium amplius triginta sex, & semper aluit. Ad cæteram templi suppellectilem accessêre multa, inter quæ insigne pallium serico, argentoque diues, sacro pegmati inumbrando Domini Turnonij dono, æstimatur aureis nummis amplius quinquaginta. Vetiti libri aliati prope innumeri ad Nostros, & combusti. Quidam libros emerat ad hæreticum mittendos, inuisitur, vt fit, à condiscipulo sodali Deiparæ Congrega-

Digitized by Google

tionis: incidit iste in libros, rapit, auffugit, currere alter, queri, clamare, nagni à se, nec sibi comparatos. Ille verò pecunias dare, & magna lætitia afferre in Collegium male mulctand os. Hæc mens quam Deus clientibus suæ Matris inijcit bona Patrona deprecante.

COLLEGIVM DOLANVM.

BIPERTITVM negotium toto anno fuit, domi, & foris in excursa vtrobique præter consueta nil sanè admirandum contigit, ex quo intelligas facilè castigatos, moderatosque Burgundionum mores, qui vix indiguerint extraordinaria curatione. Concionatores in Vrbe toto anno non alij quàm è Nostris auditi, quorum concionibus excitati è vitiorum veterno quamplurimi, ad sacramenta frequenter confluxerunt. Neque modò in ijs audiendis Sacerdotes fuerunt occupati: sed etiam vinctorum in carcere animas exsoluerunt. Ex istis duo errorem suum detestati sunt, hæresimque abiurarunt à Nostris admoniti priusquam ducerentur ad supplicium. Christiana rudimenta in Nosocomio exposita sæpius in hebdomada, & in D. Georgij templo diebus festis omnibus. Dolana iuuentus, quæ in Scholis nostris exercetur, quot capiat fructus & ex litteris, & pietate, conijcies ex eo, quòd ad varias Ordinum familias se plerique contulerunt. Societatem IESV septem impetrarunt; exiguus in speciem numerus, sed si Probationis domus angustias cogites ex vno Collegio sanè multi. Si spectes multitudinem eorum qui idem flagitant, è magno numero lectissimi videbuntur fuisse, & horum nonnulli non sine sudore è parentum

rentum manibus eluctati sunt. Sacram vestem vehemeter exornauit aliquorum liberalitas octoginta nummis aureis opportunè admodum collatis, quidam feliciter collocati sunt, vt ex ijs redemptum vnicum altaris ornamentum cum duabus casulis centum aureis æstimetur. Extra vrbem consueto more opera impensa iuuandis oppidanorum animis. Tres concionatores cum suis singuli Socijs ad disseminandum Dei verbum dimissi. Maiore ieiunio, diebus festis, ac dominicis à pluribus excursum in pagos eadem causa. Voluntas omnibus fuit ad se, proximosque iuuandos inflammata.

COLLEGIVM ANICIENSE.

ETSI celebres semper Ecclesiastas habuerit Anicium, non tamen adeò frequens visus est ad Dei verbum audiendum populi concursus, totis quadraginta annis (vt quidem testatur ciues) vt fuit hac Quadragesima vno è Noltris cõciones habente. Hinc fructus non exiguus, diu pœnitentia frequentata, Eucharistiæ, extremæq; Vnctionis sacraméta religiosiùs administrata, ac percepta. Quo nomine templũ nostrum ab vrbanis & externis frequẽtatur. Ex his autem mulier nocturno viso sæpe monita fuit, vt Iesuitas animi sordes expiatura peteret: has voces tanquam inania mentis sopitæ deliramenta reputans contemnebat. At cùm ad syluam aliquando proficisceretur, spectrum teterrimum hominis barbati fœdo equo insidentis speciem referens obuium habuit, à quo vehemẽter (adiectis præsertim comminationibus) perterrita, ad seque tandem reuersa planè cognouit toties per no-

Digitized by Google

ctem salubri oblato consilio esse parendum. Paruit igitur, Anicium venit, nec eam Nostros vitę rectè instituendæ auctores adijsse pœnituit. Haud sanè obscurum diuinæ prouidentiæ argumentum est animaduersum. Nam cùm inter aream Scholarum, & vicum publicum, pars quędam parietis ruinam aliquandiu minata fuisset, hora tãdem tam opportuna decidit, vt neq; in vico quemquã eorum, qui templum nostrum eo tempore frequentare solent, neque in area vllum Scholasticorum iam in classes ingressorum læserit, multos ex his alioquin oppressura ruina, si vel citius paulò, vel tardius contigisset.

Vtrique congregationi accessio magna est facta, maiori præsertim, cui probi, honestique ciues plurimi & sunt aggregati, & aggregabuntur, nisi loci excludantur angustijs. Suspensum gestabat è collo puer amuletum, quo parentes eius febri qua diu afflictatus erat, posse liberari sperabant, sed quæ spes esse potuit in arida aranea, quam superstitiosus amuleti architectus linteolo inuoluerat; Vnus autem è Nostris cùm vt abijceretur monuisset, ægrotus non ita post ex diuturna febrium iactatione conualuit. Hæc ferè domi.

Missiones fuerunt plurimæ, cùm Nostri varia in loca accersirẽtur; sed omnibus eos flagitantibus fieri nõ potuit satis. Duo Sacerdotes haud infructuosã operã Episcopo Mimatensi per semestres præstiterunt, in ruinis maximè Religionis sarciendis, quas hæreticorum furor apud Gabalitanos intulerat. Floraci (locus is est hæreticę ditionis primarius) cum hæretico Ministro magno Caluinianæ factionis pudore semel est decertatum. Is enim qui sacrarum litterarum peritissimus à suis iactabatur (strabo videlicet rex inter cæcos) primo quidem congressus aditu, tela vitare, tempus dicendo blaterandoq; extrahere, positas initio vtriusque partis consensu certaminis leges violare, in sacros Ecclesiæ Doctores, & P. Augu-

Augustinum præsertim, quod retractationum libros ediderit, inuehi, in nostrum Sacerdotem conuiciorum plaustra congerere, præstigiatorem, pseudoprophetamq; appellare. Noster contrà quà modestiâ, quà rectæ doctrinæ telis furentis hominis clamoribus obsistere; visumque tandem est reliquum certaminis in diem sequétem differre. Sed Minister (quamquam & sui, & Catholici qui Patrem fuerant comitati congressum vehementer expeterent) iterum in arenam prodire detrectauit: eam recusationem publicis contestatam litteris Catholici pro victoriæ signo acceperunt; nec verò tunc tantum, sed aliàs sæpe Caluiniani præcones, qui cú Nostri procul agerent se cum illis vehementer congredi iactitabant, & tantumnum de fide Catholica triumphasse videbantur, Nostris rursus eo nomine ad eos venientibus, ita perterriti sunt, & is maximè Floracensis, vt eorum vultum iterum sustinere non sint ausi, & quid virium in hoc genere, & animi habeant experiri. Eadem missione effectum est inter communia Marioroni, vt pars annuæ pensionis, quæ Ludimagistro hæretico pendebatur, Catholico præceptori assignaretur. Alio in oppido cùm sæpe dicendo, monendoque tentassent inueteratam ducétos vt ferebatur annos superstitionem tollere, sed frustrà concionatores, Noster funditùs eam sustulit, paschalis diei peruigilio summo manè clam cum socio effodiens, & disturbans labyrinthum, in quo circulationes superstitiosissimæ die illo solenni agi consueuerant.

ANNONAE I, quod est oppidum Heluiorum, maxima ex parte ab annis ferè quinquaginta hæretica peste infectum, Sacerdos vnus è Nostris rem Christianam egregiè curauit, qui festis Quadragesimæ diebus cogebatur in oppidi platea conciones habere, tum quòd populi concursum non caperent angustiæ templi, tum etiam quia hæretici ad eum in loco non sacro audiendum

Digitized by Google

dum sine scrupulo, metuq; censuræ consistorialis certatim accurrerent. Ipsi etiam Ministelli clam ventitabant, nunquam tamen sunt ausi, licet prouocarentur, cum eo decertare: dicebant enim prius ab illo curandum, & perficiendum esse vt Senatus Parisiensis contra Societatem decreta rescinderentur, quàm in certamen venirent. Idoneum scilicet congressus effugium. Aliquot tamen ex eorum grege erepti sunt, vt in Christi ouile redirent: plurimi in recta fide nutantes confirmati, ex his fuit vnus qui cum auctus esset filiolo, ei factus obuius Minister gratulabundus inter alia dixit, non esse debere de filiolo baptizando sollicitum, quia in matris vtero iam esset sanctitate donatus, in fideque parentum saluus futurus: quod cùm trepidans Sacerdoti nostro renunciasset, iussus ab illo est ad eum perferre quomodo dictum illud suum posset scripturę sacræ auctoritate confirmare, cùm nil nisi scriptum in ea velint admittere? Deinde cum vna tantum vera credenda sit fides, si in fide parentum saluus sit futurus infantulus, ipsius autem parentes sint Catholici, consequi necessariò fidem ipsorum, id est, Catholicam veram, & solam esse, hoc cum dictante Patre memoriæ causa in scheda scriptum Ministro dedisset, efficax fuit ad obstruendum os impia blaterantis.

IDEM in alio eiusdem Prouinciæ oppido Patris Ioannis Salesij, & Socij eius cruore nobilitatum, cum rogatu Marchionis cuiusdam eius loci Toparchæ magno Catholicorum bono (qui pauci inter hæreticos sunt) versaretur: ac anniuersario S. Sacramenti die, post solennem pompam cui Viuarienſis Episcopus, qui tunc Diœcesim lustrabat, interfuit, in foro magno spiritu, ac feruore concionem haberet, aduolauit columba, vndenam ignoratur, & circumfusam Catholicorum turbam aliquoties circumuolans, & veluti alis applaudens: ad hæreticos autem qui partim è fenestris, partim ex imis

ædibus

Digitized by Google

ædibus non procul dicentem audiebant nequaquam accedens, iucundiſſimum tùm quidem ſpectaculum intuẽtibus præbuit,& per aliquot dies de rei nouitate colloquendi materiam.

IN ſumma fructus harum miſſionum hi præcipui videntur: Hæretici ad viginti veram Eccleſiam agnouére, quorum ſex rectam fidem publicè profeſſi ſunt : Sacramenta maiori quàm antea cultu,& veneratione adminiſtrata: ædes ſacræ inſtauratæ,& ornatæ: æs alienum reſtitutum: inter multos reconciliata gratia. Hic porrò animaduerſione dignum,& diuinæ prouidentiæ erga ſuos operarios fauor apparet, nonnullos ex his qui ad meſſem Domini miſſi ſunt cùm domi de incommoda valetudine identidem quererentur, foris graues & diuturnos labores iucundiſſimos duxiſſe, adeò vt nonnunquam ternas in die diuerſis in locis plane ieiuni conciones haberent. In Ripa Ligeris tribus hinc miliaribus Gallicis, fons multis morborum generibus ſalutaris, qui pridem ignotus exſtiterat, rurſus celebrari cœptus eſt. Eò cum aliquot è Noſtris valetudinis ergò eſſent profecti, ex occaſione munera Societatis obierunt. Exceptæ confeſſiones, tradita numeroſæ turbę Catecheſis, garrire incipientium repreſſa audacia, multæ circa fontem ſuperſtitiones ſublatæ, erecta Chriſti trophæa, & alia non ſegniter ad corporis,& animi vtilitatem præſtita.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM BISVNTINVM.

NON pauci ad nos longo ſuſcepto itinere veniunt ſacrorum ſitientes myſteriorum, maximè dum bis in anno viſendæ ſacr oſanctæ Chriſti ſyndonis ergô Veſuntionem ex finitimis regionibus innumeri turmatim confluunt. Duplex miſſio in inſtituenda Catecheſi, mirũ quàm multis profuerit oppidanis, ita vt neceſſitatem vnà cum ſuauitate omnes guſtauerint. Et verò factum benè, certis vt diebus ſub noctem ingens multitudo cogeretur in templum, vbi ad quartam horulæ partem diſcutiendæ daret operam conſcientiæ, vbi noſter concionator certa puncta propoſuiſſet. Audiendis porrò confeſſionibus, plebe erudienda, inſtruendis Sacerdotibus ita vtrobique opera occupata, vt procurandi corporis vix tempus eſſet. Sed ab excurſionibus in vrbem reuertamur. Factum quo caſu neſcio, vt ligneæ domus aliquot incendio conflagrarent, quo tota viciniâ proximo eſſet in periculo. Ecce tibi è Noſtris vnus cerei agni particulas conijcit. Extemplò acclamatur feliciter flammas compeſci, qua parte ſacra cera iacta fuerit, breuiq́ue totum ſubſidit incendium. Vulgato paſſim rumore à Noſtris ignem extinctum.

AT me diſcipulorum vocat pietas non vulgaris. Supra 600. ij ſunt, quorum indies excreſcit numerus: ingenio omnes facili, & ad virtutem propenſo. Multi ſodales varias Religioſorum familias expetunt; noſtram non pauci. Sunt qui adhuc rores aperiant, vbi maturum erit tempus in fructum ituri. Eorundem Carniſpriuij tempore

Digitized by Google

pore eluxit pietas ; licet enim perincommoda niuibus tempeſtas inſtitutam ſupplicationem interturbarit, tamen & litatum ad D. Claræ,& non pauci ſacris participarunt. Nec deſtitêre ſequéti die à tam laudato exemplo. Hæc interſ,qui de Noſtris proximo ieiunio erat concionaturus rem hîc inauditam aggreditur : ſe quo die maximè bacchantium furit inſania,concionem habiturú profitetur: accurrunt plurimi gnari temporis, auidi ſpectaculi,capiuntur aſtu bono,exitu feliciore:nam & menſarum profuſa luxuria compreſſa, & edicto publico laruatorum eſt reuocata licentia.

QVIS ciuitatis moderatorum aduerſum nos ſit amor, ſedula eorundem in tuenda noſtra exiſtimatione cura,laborque plus ſatis indicat. Exempla apponam non leuia,bina,aut terna. Querebatur grauiſſimè quidam apud Sodalitatis hominem minimè malum de Noſtrorum flagitijs,vt dicebat : tandem ille fictam hic à ſe fabellam, aut aliunde emendicatam euomit pluribus, qua toti Collegio turpiſſimam conſuebat calumniam. Vix ad aures Magiſtratus rumor hic perlatus eſt, cùm mox hominem euocari, teſtes adhiberi iubet, maledicentiæ commentum indignans execratur,miſero illi, niſi Noſtri precibus auertiſſent, nihil propius quàm exilium. Liberioris alter vitæ, idemque petulantioris aduerſum nos linguæ,cú multa in nos eſſet debacchatus, ita vniuerſus Senatus ęgrè tulit,vt animaduertendum planè ſtatueret, idque ſeueriſſimè,feciſſetque niſi Noſtrorum preces iuſtam iram cõpreſſiſſent, totiusque Burgundiæ gubernator ad qué miſer,vt ſúmo in periculo confugerat,ſe prębuiſſet deprecatorem. Alius caſtigatus, admonitusq; eſt Magiſtratui non placere ſi quid incautè, neſcio quo dolore extimulante,in nos effutiuiſſet, nec verbis modò ſe beneuolos præbent, ſed & rebus benignos. Non ſunt omnia dicta factaque litteris perſequenda : excipiam

vnum

vnum,alterúmve,vt in magna copia occurrit.

EXAEDIFICANT classem solo ex parte coëmpto,pari sumptu operaque (quod est egregium) reliquas in sequentes annos producturi classes. Porrò in exstructione temporarij templi nostri frequens multorum liberalitas exstitit,qua perfectum omninò est ad tex, septémve menses,magna gratulatione omnium:nam multa obstiterant quo minus inchoaretur, plura quo minus cœptũ promoueretur opus,ne perficeretur piurima.Interea dum res vrgeretur,vidisses vtriusque sexus ingentibus animis plurimos adlaborare more apum huc,illucque circumcursare,nullum facere finem, gratis laboribus aduectare lapides,turmatimque collectam terram congerere nisu ardentissimo, donec sexto idus Augusti inaugurata solenni ritu ara est, reliquumque solum sepulturæ ergô dedicatum, tanta lætitia, frequentiaque, quanta cùm esse solet maxima. Archiepiscopum inter & Episcopum pia suborta contentio vter consecraret. Ille perquam studiosus nostri magno sibi ducere honori si Nostros hoc officio deuinciret magis, ac magis; sed reuocatus ægrè est vicino Sereniſſimi Principis Austriaci in Burgundiam accessu.Quare Proepiscopus D.de Vaux obijt munus sanè quàm studiosissimè;sed &Archiepiscopus suas ipse partes obire voluit ipso Assumptæ in cœlum Virginis festo die, quo præter statas indulgentias etiam maior Congregatio ibidem plenariam indulgentiam proposuit,ex instituto moreque.Huc Collegia penè terna Canonicorum:huc Magistratuum cœtus : huc lectissimus numerus procerum vrbis: huc vtriusque sexus ea multitudo, quam locus licet peramplus non caperet, & erant viæ proximæ circumuestitæ eleganter emblemate, & carmine. Nec deerant certis interuallis dispositi arcus vbi parietes instructi, ornatique magna poematum,aliarumque scriptionum varietate, & copia.

Quare

Digitized by Google

Quare eo die ingenij, & eruditionis famam non mediocrem adepti sunt nostri Scholastici: sed pulchro instructu, ornatuque splendido templum rapiebat omnes. Quid de Archiepiscopo dicam? qui præter quàm quòd in pontificijs infulis, & Ecclesiastico omni ritu sacrum fecit, omnibus eo facto fuit gratissimus, nobis perbeneuolus, prandio, egloga, epigrammatis exceptus plurimis eam hausit animo voluptatem, vt & pomeridianæ concioni interesse, & nobiscum familiarissimè versari voluerit; accessit eodem penè die templo ornatus omnis, tabella 100. aureorum à D. de Vateuille nobis addictissimo, à qua & vestes non leuis pretij. A D. Marchione de Varambon Archiepiscopi nepote, quinquaginta supra centum aurei: alij aliæque mixtim multa piè admodum ac liberaliter templo consecrant, vt videamur hic iam annos degisse plurimos.

EGREGIVM præterea nostri scholastici dedêre pietatis specimen, dum tota ciuitate circumferretur celebri pompa sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, nam ipsis publicæ domus valuis, splendido theatro publicis extructo sumptibus exhibuêre grata in specie manna Patribus datum, non sine totius Magistratus insigni cùm voluptate, tum diligentia: rem enim ipsi primores vrgebant, quo in posterum dies ille festus ageretur celebrior: nobis verò magis ac magis gratificarentur optimi ciues. Vidua quædam pauperrima vt audijt multa à multis dari exstruendo templo, quod tritici ex eleemosinis supererat domi, totum profusa manu afferre non dubitauit. Hîc P. Rector hærere, liberalem suscipere animum, necessitatem obijcere: atqui illa; obtestor vos Christi nomine denarium à vidua capite, Euangelij mementote. Tum Pater: Meminimus, sed tibi asseruato, voluntas ista hæc abundè satis nos ditat: quare bona venia abito. Non faciam, inquit, hic ad ianuam saccum depo-

Digitized by Google

tura in me audiatis. Parendum omnino fuit tam piæ expostulationi. Virgines aliquot Deo se consecrarunt, multæ idem ambiunt.

DOMVS PROBATIONIS AVENIONENSIS.

HVIVS domus tyrones ex more Societatis probationibus exerciti fructus non pœnitendos retulerunt. Qui ad pia Sanctorum monumenta profecti, sæpius benignam Dei prouidentiã sunt experti, siue quia præter opinionem in summa necessitate occurrebant ignoti homines, qui eos liberaliter exciperent, siue quia vt Nouitij Societatis quantumuis ementito habitu tractarentur humaniter: siue etiam quia ab hæreticis non malè acciperentur. Ex ijs tres tum fortè in prædones inciderunt, quos in abdita syluarum semotos excusserunt diligenter, vt si quid auri vel argenti haberent in aliquo recessu vestium, illud eriperent, factumque est, vt cùm nihil non inspexissent, vnius peram quam præ se ferebat non scrutarentur, in qua pauculi erant nummi emendicati. Tandem cùm tres horas totas illos tenuissent, spe nouæ prædæ, optimis quibusque vestibus spoliatos abire sinunt. Sed cùm vrbem vicinam essent ingressi, vrbis præfectus admonitus illos inuisit, & cùm eos esset intuitus laceros, & ex multo imbre madidos, digressus domum postmodum, filiũ cum seruo necessaria omnia ferenti mittit, qui domum inuitet: adeunt Nostri, gratias agunt quas possunt maximas, & impetrata facultate, templum Confessionis, & Communionis causa adeunt; quæ religionis officia sanctè cùm obeunt, oculos, & animos rapiunt circumfusæ multi-

Digitized by Google

multitudinis. Illo itaque die à Gubernatore liberaliter tractati: postridie cùm profectionem apparant, Consul vrbis accurrit, & cùm eos retinere non posset suadere nititur, vt vestem, & alia ad arcendam aeris intemperiem acciperent, quæ ipse copiosè afferebat. Nostri contrà exhibita grati animi demonstratione nihil acceptius fore Patribus, & sibi, quàm si illo latronum cultu se vestitos reciperent. Hoc igitur ægrè dimisso obtrusit se alius, qui equi commoditatem obtulit, quocum diu certatum, nec tantum effectum, quin illos saltem ad nouem miliaria comitaretur, licet sylua latrocinijs infamis esset prætereunda.

EX ijs qui in Societatem admissi eximia fuit hoc facto vnius vocatio, qui cùm tres circiter menses precibus parentes fatigasset, vt per eos sibi liceret nostrum institutum inire: tandem facultatem obtinuit à Patre, matre repugnante, quæ filium itinere diei ex interuallo insecuta, cùm blanditijs nequicquam proficeret, arrepto pallio abeuntem muliebri conatu retinere conata est, quo libentissimè abiecto viriliter D. Francisci exemplo ad Christi crucem profugit. Huic non inferior fuit alter in re dissimili, qui regularum meditationem ingressus, ita cœpit affici, vndecima earum, quæ summario continentur, vt tres menses, & amplius in ea recogitanda summa cum animi voluptate posuerit, eo fructu, & emolumento, vt egregio sui ipsius contemptu, patiendi, & imitandi Christum ardore, cæteris esset exemplo, & admirationi.

Digitized by Google

PROVINCIA BELGICA.

IN Belgio Socij quadringenti ſeptuaginta nouem, per nouendecim veluti ſtationes diſpoſiti cenſentur. Sacerdotes 233. Studioſi 112. Coadiutores 134. Louanij ſunt omnino 50. Sacerdotes 14. Coadiutores totidem, Studioſi 22. Tornaci 74. Sacerdotes 20. quorum vnus cum alijs quinque fratribus litteras profitetur, Studioſi 34. Adiutores 14. Audomaropoli 36. Sacerdotes 20. horum tribus iungendi Profeſſores alij totidem, totidem Studioſi, Coadiutores nouem. In Seminario Anglicano Audomarenſi 10. Sacerdotes ſeptem: Adiutores tres. Duaci 39. Sacerdotes 20. profitentur ex his quinque cum alijs ſex ſuperiores inferioresque diſciplinas: Studioſi duo: Coadiutores vndecim. Antuerpiæ 29. Sacerdotes tres de viginti: ex quorum numero Profeſſoribus alijs quinque iungendus vnus, Adiutores ſeptem. Leodij 36. Sacerdotes viginti: Profeſſores præter Patres duo, reliqui 4. Coadiutores 12. Traiecti 21. Sacerdotes 11. horum tres cum totidem fratribus Scholis præſunt: Coadiutores ſeptem. Brugis duodeuiginti, Sacerdotes decem: ex quibus terni tribus

Profeſ

Digitized by Google

Professoribus accedunt : Coadiutores quinque : Ipris, tresdeuiginti : Sacerdotes nouem : Professores tres absque totidem Sacerdotibus : Coadiutores quinque. Contraci septem supra decem. Sacerdotes 7. Professores vno Sacerdote dempto omnino 5. Adiutores totidem. Gandaui 18. Sacerdotes nouem: horum tribus Professores iungendi 3. Coadiutores sex. Insulis 23. Sacerdotes 12. horum vni Professores accedunt 5. Adiutores sex. Valencenis 20. Sacerdotes 11. è numero senario Professorum, tres reliqui, Coadiutores sex. Montibus 23. Sacerdotes 13. Præceptores absque collegis Patribus, tres, Coadiutores 7. Bruxellis, Sacerdotes 20. Coadiutores nouem. Cameraci 7. Sacerdotes 4. Adiutores tres. Luxemburgi totidem, Sacerdotes tres : Coadiutores 4. In missione Hollandica Sacerdotes tres. Duodecim amissi morte. Admissi plures triginta.

COLLEGIVM LOVANIENSE.

LOVANIENSE Collegium, Seminarium instituendis in Scholastica Theologia operarijs, omnium primum, & antiquitate & scholasticorum numero, & spe futuræ messis. In eo perfectionis studiũ vigere illud est argumento, quòd studiosi vacationum tempore, quod relaxationi indulgendum videbatur, id partim exercitijs spiritualibus, partim mortificationum muneribus pia animi contentione sibi quisque deposcendis obeundisque posuerunt. Auctum hoc anno templum, adiecto Deiparæ Virginis sacello Parthenicorum Sodalium exercitijs deputato. Hortus insuper in meliorem formam quadrumque re-

Digitized by Google

dactus, amplis spatiosisque ambulationibus, scitè distinctis pergulis, opere topiario ad quatuor latera quasi coronatus; & insigni frondosarum arborum ordine opacatus: quæ nostris spatiantibus tum vmbram faciunt, tum vicinorum Collegiorum prospectum excludunt. Communicantium in templo numerus solito auctior. Confessiones generales ab vno auditæ penè centum, ab alijs quamplurimæ. Impedita homicidia aliquot etiã iurata; adulteria non pauca: vsuris substracti floreni bis mille: libri hæretici aliquot Vulcano traditi. Moribunda quædã cùm nollet filij mortem occisori ignoscere, nisi pœnam subiret talionis, Patre nostro adlaborante ignouit tandem; confessaque obijt. Alius, qui sicam è zona gestabat, vt clam inimicum confoderet, ad sicam vnà cum inimicitia deponendam à Nostro adductus est. Mulier prostitutæ pudicitiæ ad castè viuendum Sacerdotis nostri exhortatione permota, constanter in suscepto proposito perseuerat. Persona quædam, quæ noctibus aliquot varijs spectris exagitata ad extremum desperationis venerat, & in restem, quem ex trabe suspenderat iamiam immissura fuisset caput, nisi ante fusa ad Deiparam precatiuncula mitius habere cœpisset: mox cuidam è Nostris confessa, corporis animique quieti restituta est.

EXERCITIA spiritualia per multis hoc anno tradita: paucæ vacarunt hebdomadæ, multæ binos habuerunt, frugum collectarum hæ primitiæ: Duo Carthusianorum, totidem Capuccinorum, quatuor Societatis ordinem ingressi. Vocatus exercitiorum gratia è Patribus vnus ab Abbate quodam Hasbaniæ primario, eundem Prælatum cum quatuor alijs domesticis excoluit. Sodalitij tum Parthenij, tum Sanctorum omnium feruor illuxit præcipuè Bacchanaliorum ferijs, quibus mortalium efferatorum licentia liberiùs grassari consueuit,

Digitized by Google

ſueuit, ad eam coërcendam quadrageſima horarum ſupplicatio admodum celebris inſtituta : cuius apparatus, ordo, ac ſingularis religio, & plurimos ab inſolentia, ac cómeſſationibus auocauit; & ſtudioſos varios ad ſeuerè in corpora ſua animaduertendum excitauit. Qui vt crebriùs iuſta id flagitante cauſa fiat, veſtes, & flagella ſuis impenſis Sodalitati cópararunt. Ex minori Sodalitio tres de viginti ad varias religiones tranſmigrarunt. Inductæ per pædagogia hebdomadatim de rebus pijs collationes, adoleſcente vno præſide, lectioque pij libelli magno cum fructu. Illud in vno mirabile: laborabat is annua ſcabie, nec malo modus, vouit D. Virgini communionem octiduana m, nec voto fruſtratus extemplò conualuit, ſed paulò pòſt incuria propoſitum interrupit, nec mora iterum corripitur. Irati igitur numinis vindictam expertus ad officium redijt, ac denuò ſanitatem integram eſt conſecutus. Ad doctrinam Chriſtianam quod attinet, præter ſtationes vrbanas, Latinas, & Flandricas excurſum ad pagos nondum excultos facilè duodecim, eo fructu, ea vitæ morumque mutatione vt non ijdem ipſi eſſe videantur. Et vbi vix vnus, aut alter extra Paſchales ferias communicare ſolebat, iam dominica quapiam obtinendarum indulgentiarum cauſa triginta vel ſexaginta, imo toti pagi nullo propemodum excepto ad ſacram ſynaxim acceſſerunt : ſed de his anno præcedenti latiùs.

Digitized by Google

COLLEGIVM TORNACENSE, ET DOMVS PROBATIONIS.

VNA, eademque domus Societatis Collegium, & Probationis, Sedem Tornaci complectitur. Tyrones tamen à Veteranis vt clausura separaret hoc anno effectũ. Extructis, distinctisque cubiculis, distributi bini, terníve Nouitij iuxta Reuerendi P. Nostri ordinationem: ijsdem sacellum, hortusque priuatim, quibus animi, corporisque exercitationibus indulgeant attributa cubicula quoque commentationibus sacris vacaturis, accommodata. Maiori numero candidati Societatis his ædibus: quique nundum admissi probari postulant: visi plures hactenus non sunt domino vineæ operas ad vineam suam vocante, vtque ea à nobis excolatur his indicijs probante. Sacra suppellex non parum beneficentia ciuium aucta. Angustiæ templi augendæ forent. Enimuerò, vt augeantur, imò vt nouum exstruatur, præter florenorum millia decem quæ eam in rem Senatus contulit, accidit plurium liberalitas, quorum ope opus ipsum R. P. N. approbatione feliciter assurget. Adiecit Senatus prioribus scholis nouum ædificium scholasticis commodum, & ornatum, extructis supra cubiculis in vsum Professorum. Pœnitentium ad nos concursus solito frequentior auctiorem faciunt excursiones ad pagos. Ij eo ardore sacræ Doctrinæ sementem percipiunt, ac si eorum animi instar arentis soli toti ad nouum germen inhiarent. Inter cætera hoc memoria dignum. Mulier rusticana, enormis diuturni inueterati criminis aculeis exagitata, magno desiderio exarsit animi sarcinæ apud

Digitized by Google

pud Societatis Patrem deponendæ. Iilius ergô Tornacum venit : ei suasit confessarius, vt mentis oculis in decursæ hactenus vitæ noxas conuersis vna omnes confessione purgaret. Quod dùm apparat non latuit incentorem sociumque sceleris. Denunciat ille caueat, etiam, atque etiam Societatis hominibus latebras animi committere : posse se auctore quemlibet mentis arbitrum modò Iesuitam non deligat. Suspectam mulieri suasionem reddidit conscia mens diuinusque radius : nutabundam tamen anno propemodum integro Cacodæmon tenuit. Illa tandem meliori spiritu fortior in iter se dat: occurrens dæmon proficiscenti in habitu specieque Sacerdotis, quem ipsa quæritabat, quò, inquit, properas mulier? mihi confessionem tuam excipere per occupationes non licet. Reuertere, aliàs confitebere : secundò profectionem ineunti secundo pseudoconfessarius infelici imposuit. Illustrata tandem Diuini Spiritus luce peruicit veternosi serpentis artes Sacerdotemque nostrum anno iam vertente nacta cacodæmonis dolos Dei vocantis beneficium, animum denique integrum non sine frequenti gemitu exposuit. Exercitationibus spiritualibus exculti quamplurimi : horum nonnulli Nostrorum numero aggregati sunt.

Digitized by Google

COLLEGIVM AVDOMARENSE,

CVM SEMINARIO, Anglicano.

ITAM hanc miseram cum meliore commutauit Ioannes Cosmus Martiensis Coadiutor, anno ætatis trigesimo secundo, aditæ religionis sexto. Eius deliciæ ex obedientiæ directione aliquid obire quamuis laboriosum, quamuis difficile. Ex inculto, & rusticano ingenio mirum quàm prudens, quàm spiritualis euaserit. Vitæ spiritualis interea vigor nihil in alijs elanguit. Templi suppellex aucta varij generis ornamentis, domus ipsa ad commodiorem habitationem accommodata. Exstructa enim turris, quæ ædificia patenti distincta area coniungit: gradus ad Triclinium, & ambulationes superiores è pergula inferiori aperit, & ad noua cubicula longo digesta ordine perducit. In vrbe viciſque quâ concionando, quâ doctrinam Christianam, aliaq; Societatis munia tractando sequentes domum reportati manipuli. Iniustæ cùm agrorum, tum pecuniarum possessiones restitutæ permultæ. Vna quidem quindecim millium coronatorum, alia duorum: fœnerator cum vnoquoque pacisceendo quæ potuit reddidit, seq; in posterum abdicauit vsuris. Prædia mala fide quidam possidens, exquisito cum lachrymis Nostrorum consilio, restituit, subiungens malle se facultates omnes, quàm Deum, animamque perdere. Alij tributa Regia substrahere, atque inuertere soliti integra soluerunt. Vir domi nobilis ebrietati deditus à Sacerdote nostro monitus, non modò

Digitized by Google

dò ad meliorem frugem se recepit ipse, sed & familiam ad virtutem, & instituta pietatis erudiuit. Multorum grauiter inter se dissidentium reconciliata gratia, in quibus nobiles duo tam acerbis certabant odijs, vt ambo in mutuam cædem ruere decernerét. Sacris commentationibus domi nostræ animi multorum instructi, è quibus Canonicus vnus deinceps vitæ sanctioris institutum amplexus, multis admirationem peperit. Capite damnatis opera nostrorum saluti, solatioque fuit. Inter alios maleficus quidam publicè testatus est se cum abiurata fide dæmoni obsequium obtulisset, acceptis tamen cerea agni Dei effigie cum cruce annos quatuor ab omnibus illius spiritus molestijs, & impugnatione liberum, & solutum fuisse: cùm autem illa ipsa patrueli suo tradidisset, confestim spiritum nequam adfuisse, qui eum ad plurima maleficia compelleret. Multi redeuntes à Batauis fidei mysteria susceperunt, ex quibus quatuor, qui contra leges matrimonium inierant legitimo connubij nexu iuncti sunt. Quædam cum hæreticis nata, cum ijsdem educata fidei præcepta audiuerat nunquam, edocta fidem, baptismi cæremonijs initiata, & Eucharistiæ confirmata pabulo, deinceps cæteris dat normam ritè viuendi.

EX Seminario Anglorum Angelorum societatem feliciter vita functus adijt Pater Henricus Broy Anglus, ætatis suæ quinquagesimo nono, ab accessu ad Societatem anno decimo sexto. Alumnorum huius seminarij non parum accreuit numerus. Centum ferè capitibus censetur. Selectissima iuuentus ex nobilibus non vulgaribus conflata, & catechesi, exhortationibus cum publicis, tum priuatis, sacramentorum vsu, ea efficatia iuueniles animorum impetus coercentur, vt in tanto regendo numero plus solatij Patribus sit, quàm laboris, & molestiæ. Seminarij Audomarensis nomen in Anglia tenellæ ætati charius, optabiliusque maternis ædibus, etsi per efferos

maris

Digitized by Google

maris insani fluctus ac latrocinijs infamis traiectus interiaceat. In his excolendis, & ad litteras, pietatemque instituendis tota Nostrorum desudat industria: quamuis non desinant ipsi in aliorum salutem, cum sese offert occasio, aut Anglorum aduentantium, aut capite damnatorum eiusdem nationis operam suam sedulò impendere.

COLLEGIVM DVACENSE.

DVACENSE Collegium Religionum Belgij seminariũ, Religiosorum, Curionumq; parens quantum in se proficiat, probat aliorum profectus, quos excolit, enimuerò intemeratæ Virginis & omnium sanctorũ Sodalitates eam sementem continent, quæ Ecclesijs Pastores, monasterijs religiosos, Reip. Rectores producat in dies. Septem egregij adolescentes varijs disciplinis instructi Societatem complexi sunt: alij alios ordines inière. Animis verò ex officio curandis præpositi quamplurimi. Concionum, atque confessionum fructus, etsi non insolens, mirus tamen domi, foriſque. Betuniæ præsertim, ac Bapalmis, quibus vrbibus is auditorum animis ardor doctrinæ salutaris, Nostrorumque desiderium iniectum est, vt extingui, explerique haud quaquam posse videatur, etsi sępius eò Nostri recurrant. Duo abiurata hæresi sanctæ Ecclesiæ sese reddiderunt. Multi ex turpi flagitiorum cœno extracti, non paucæ nobilium familiæ in melius reformatæ, sua dominis reddita. Vnus ad mille florenos malepartos restituit. Factum quoque, vt acerbè inter se discordantes viri nobiles consanguinei primates concordibus animis irent, eorum qui negotioso cum Deo otio, ac seceſſu salutari eruditi

Digitized by Google

eruditi supra consuetum excreuit numerus. Nullum propè hominum genus non hanc salutis procurandæ viam instituit. Bellatores, litterati, rusticani, multum inde præsidij in reliquum vitæ tempus collegêre. Spem nostram percipiendæ messis excitat vel maximè, præclara nec infrequens iuuentus, quæ interquiescente bello, & pestilitate profligata nouum scholis nostris in dies subijcit incrementum. Qui facultatibus superioribus incumbunt, ac Theologiam frequentant facilè octingenti numerantur.

COLLEGIVM ANTVERPIENSE.

VT Antuerpiæ bene merendi occasiones variè, varia etiam Nostrorum adhibita ijs inueniendis industria. Iuuentus solito auctior. Ingenijs, nobilitate, numero insignis. Ex hac non pauci Varijs religionibus dederunt nomina. Templo accessêre portinæ mira quarundam virginum arte contextæ, digna planè res hac vrbe. Bibliothecæ magna rarorum librorum copia. AEris alieni restitutiones factæ aureorum facile quingentorum. Cessatum quoque à negotiationibus illicitis, aureorum nunc viginti, nunc triginta millium. Dissidentes animi ad concordiam reuocati plures. Illud dignum calamo Ecclesiastici, duo, officio, opibus, amicorum potentia pares, triginta iam annos odia tam acerba fouerant, vt alter alteri nihil salutarius optaret, quàm immaturam, diramque necem, graui Vibis totius offensione: horum alterum ad extrema deductum, ne nomen quidem pacis admittentem vicerunt Patris nostri preces in multam protensæ noctem, lachry

Digitized by Google

lachrymæque. Dedit moribundus aduersario veniam, accepit à Deo sacramentorum vsu gratiam, hilaritatem, dolorum animi, corporisque leuamen, ipsam denique sanitatem. Ecclesiæ gremio dati, redditique quos hæresis auulserat. Hanc septem ab vbere suxerant, quos inter vnus se per quietem monitum dicebat cùm interminatione, vt Societatis Collegium adiret. Reliqui propemodum à puero hauserant. Omnes iam ætate prouecti ad annum sexagesimum, nonnulli veram matrem agnouerunt. Ex his miles qui multis annis in Hollandia meruerat, vt primùm ad suos redijt, spretis opibus, ac munere, quod apud suos obibat, ad Nostros è suorum elapsus manibus, vt saluti consuleret se recepit. Laboriosior prædonis cuiusdam fuit conuersio, cui spiritualem medicum huc illuc ne monentem audiret fugienti extrema vitæ suæ nocte Patris nostri lachrymis tandem perruptum pectus, excussæque lachrymæ, & cum illis mens durior, ac hæresis. Illum cùm è turba spectantium hæreticus vidisset tàm forti, pioque mori pectore, venit ad Patrem, & ad eius pedes cum hæresi totius vitæ sordes deposuit. Ad honestatem reuocatæ plures, quædam magnam vitæ partem multorum offensione contaminauerat, aliæ etsi matrimonio iunctæ, animum, honorem, vitam magno exponebant periculo: aliæ relicta parentum domo profugæ, libidini vagæ se proijciebant; ad saniorem mentem reductæ omnes, Sacramentorum vsu aditum licentiosæ vitæ claudunt.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM LEODIENSE.

FABRICAE, scholisque Collegij Leodiensis accessio facta hoc anno non modica. Sacristia ampla patensque à fundamentis addita templo, ciuium & Magistratus præcipue subsidio, stante interea veteri, quæ Sacris interne faciendis seruiat. Duo item substructa penuaria. Turris demùm, quæ domesticos ad superiora gradus complectitur cum cubiculis aliquot exercitantium vsibus deputatis oportunè excitata. Ad cæteras quatuor Gymnasij classes, accesit quinta Dialecticæ, sacri, politicique Magistratus rogatu: Scholarium excreuit numerus ad triginta super octingentos, quorum virtus scientiæque cupiditas vnâ cum ætatibus adolescit. Duodeuiginti in varijs cœnobiorum ordinibus sese Deo deuouerunt.

EDIDIT & Congregatio Parthenia fruges tempestiuas, & lętas. Ea quæ virorum quà Ecclesiasticorum, quà laicorum centum & sexaginta: quæ adolescentum quadringentis capitibus constat. Præsentatæ Virginis ferias, tanquam suæ ætati congruentes, singulari cultu hic iuuenum cœtus celebrare instituit, præmissis aliquot diebus ante piacularibus, exercitationibus, Cœlestibus dapibus reficiendi decuriatim accubuêre vniuersi, mirante & approbante populo. Ordinem, pietatemque senum in pueris. Soluendis peccatorum vinculis perutilis opera data. Pasti cœlesti pane ferijs sacratioribus mille circiter octingenti: inusitatus certè populi concursus ipso die Indigetibus omnibus sacro. Omnino supra bis mille

Digitized by Google

mille menſam Domini adiêre trecenti. Mulieres duæ *in* hæresûm tenebris educatæ veritatis lucem aſpexerunt. Familijs aliquot odijs inteſtinis deflagrantibus pax allata,ac reconciliatio. Lite quoque inter duos primarij Magiſtratus principes exorta, eaque Patris Noſtri induſtria compoſita,effectum eſt,vt paſſim ad reconciliandos hominum inter ſe animos,dirimendasque lites adiutores Noſtri adhibeantur.Fidei Chriſtianæ elementa infimorum, maiorumque concurſu magno tradita. Impreſſa quoque Vicarij generalis voluntate præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita, cum precuis quotidianis, quæ imaginum loco jis qui legere norunt diſtribuantur. Peculiaris autem habetur ad pauperes & mendicos catechiſmi prælectio, qui cum rudes maximè & ignari ſint, varijs ex parœcijs in vnam coguntur; quoque propenſiores veniant procurata à Noſtris apud Eccleſiæ Prælatos eleemoſina ſingulis ſub catechiſmi exitum porrigitur. Scholarum triuialium diſcipuli qui ad duo millia cenſentur ſtatis viciſſim diebus ad deſignatum locum pueri, puellæque diſparatis ſedibus adducuntur, eisque religionis rudimenta optato traduntur fructu.

NEC tantum ampliſſimæ ciuitatis limitibus Noſtrorum induſtria continuit ſeſe. Excurſum quoque ad pagos,oppidaque varia non ſine fruge. In his Chriſtianæ fidei præceptis promiſcua plebs, puerique imbuti: conciones habitæ:ciues prope omnes vnius oppidi ſemel,iteruméque pro confeſſione auditi. Mafecæ confeſſionibus effectum, vt infames publicè duo concubinarij pellices ab ſe ſuas abijcerent. Data quoq; enixè opera ſub Quadrageſimæ exitum reconciliandis plurimis quos grauiſſimæ lites controuerſiæque diſiunxerant, reque ipſa compertum id genus officij vtiliſſimè diebus illis proponi,& confici. Redierunt etiam cum Eccleſia in gratiam viri aliquot, quos hæreſis ab eius ſanctitudine abduxerat,

huius

Digitized by Google

huius denique Mafecanæ missionis vtilitas, operæque precium clarissimè patuit; dum enim superioribus annis, quibus ibi missio instituta fuit, pauci admodum expiationis sui causa Sacerdotem accederent: hoc anno dum Noster eò recurrit, dare subinde cogitur pœnitentibus aures ab hora matutina quarta, ad decimam vsque vespertinam.

COLLEGIVM TRAIECTENSE.

DIVINAE prouidentiæ ascribendum est, quòd hoc anno contagiosa lue fœdè in ciues desæuiente tentatis etiam è nostris Patribus duobus maturè è domo ante diem extremũ, quem etiam obierunt abdicatis. Collegium tamen illæsum contagio remanserit. Demortui Patres fuerunt, Pater Andreas Balberghæ Cortiacensis, natus annos 52. Collegij Louanienſis procurator, vir modestiæ singularis, qui dum in hac vrbe sedulò negotijs à superiori sibi impositis incumbit correptus peste è medio sublatus est, anno ab ingressu Societatis decimo sexto. Alter fuit P. Petrus Fossarius Atrebas annorum trium & sexaginta: vixit in Societate triginta sex, vir apprimè religiosus, atque orationi addictus, sui magnus contemptor, animorum zelator indefessus, cum de multis, tùm de militum salute quàm optimè meritus. Tertius annumeratur vita functis Arnauldus Ierro Bruxellensis Coadiutor insignis, qui à Chyrurgo fœlicis & expertæ alioquin manus ob calculum sectus, relictis patientiæ & religiosæ vitæ egregijs monumentis, Autuerpiæ vitæ suæ anno vigesimo

Digitized by Google

sexto, aditæ Societatis sexto, ad Beatorũ sedes migrauit. Nostra interim solito more tradita ministeria, ex quorum frugibus præmaturis aliquot collectæ subijciũtur. Cõfessiones generales exceptæ quamplurimæ: æs alienum vero redditum possessori. Mulier egregijs ornata naturæ dõtibus à fœdo toro ad honorabilium nuptiarum continentiam reuocata: alteri ne se adultero subijceret persuasum. Viduam oblato à diuite infamiæ lucro propemodum victam Sacerdos noster eò demum adduxit, vt mallet inedia contabescere, quàm adeo sceleſtum facinus admittere. Adolescens Nobilis ætate florenti assuetus delitijs, concione, & colloquijs Sacerdotis nostri inflammatus mundo nuncium remisit, prioresque delitias cum seuera Cappuccinorum disciplina commutauit. Hæretici duo Nostrorum congressu haustum ab hostibus fidei venenum cum vniuersæ vitæ susceptis criminibus ad pedes confessarij nostri deposuerunt, studiosis pauperibus, victus, vestes, libri, opera Nostrorum ministrati.

COLLEGIVM BRVGENSE.

THOMAE Cox moram diuturniorem mors immatura inuidit, primò post nouitiatum appetente anno, spei maximæ is erat iuuenis, sed eum Dominus cum primo candore, & feruore ad primorum Religionis nostræ Patrũ cõsortium vocare dignatus est. Non defuit Brugensibus rei bene gerendæ materies, etsi inclusis pedemque ab hostium incursionibus efferre vetitis. Hi extitêre præcipui laborum prouentus. Binæ familiæ su[illegible]a decem, & quatuor annos, in terra hæserant hostili, arctis perfidiæ id temporis astrictæ nexibus:

Digitized by Google

bus: illæ eiurata tandem hæresi exsolutæ in Catholicam redière libertatê. Quæq; inter eos malè iam diu coaluerant matrimonia, Ecclesiæ sunt reuincta sacramento. Cumque eorum nonnulli vitæ crimina expiassent nunquam, nec salutari refecti cibo, vtrumque Nostrorum opera piè admodum præstiterunt. Redière & alij duo, quorum alter quatuor & decem inter hæreticos egerat annos: alter de fidei nostræ mysterijs nequaquam inaudierat, hic ex fidei desertore propugnator: ille Catechesi excultus in Catholicorum est cœtum cooptatus. Prædones præterea quatuor, qui præter hæresim, etiam latrocinia exercebant, ad meliorem reuocati mentem, libentes adière crucem, & se felices deprædicarunt. Inter quos qui rem diuinam nunquam perceperat eruditus à Nostris tanto animi sensu cœlestes epulas excepit, vt se præ lacrymis non teneret. Sacra nimirũ munitus Eucharistia, en inquit, Pater, missionis meæ ex hac militia testimoniũ immunitatis chyrographum, quo instructus intrepidus vt spero cœlesti assistam Imperatori. Et ante paratam iam neci crucem in patris amplexus irruens præsentibus penè omnibus excussit lacrymas. Hoc tandem hic Brugis præter autum patriæ morem (quem pertinaciter tutati hactenus) obtentum, ne ad supplicium adiudicatis Eucharistia denegaretur. Neque interea minus strenuè in promouendis Catholicorum rebus laboratum. Exciti siquidem ab Imperatore Castrensi duo Societatis Sacerdotes, qui ad valla Ostendæ conficienda milites partim coercerent monitis, partim sacris operarentur, idque quoad prima durarent pericula: gnauiter à Nostris præstitum, summa Ductatoris ipsius beneuolentiæ significatione. Hæc foris.

DOMI interea emendati mores: æs alienum pretij non contemnendi ad dominos redijt: libri impuriores ablati possessoribus, ignique traditi. Ludo muliebri in-

Digitized by Google

decentiùs lasciuientes eodem repudiato totas sese tradidêre pietati. Expiationes vitæ totius factæ non paucæ, etiam à grandæuis, qui nunquam antea confessi. Quidâ vitæ integritate & generis nobilitate clarus Societatis nostrę exercitijs adiutus ad Cappuccinorũ ordinem adiecit animum. Virgines duæ apud nos sacramenta obire solitæ inière Religionem: alterius quoque virginis parenti, cum pio filiæ voto reluctaretur obstinatiùs, ne numini diutiùs repugnaret à Nostris persuasum. Templo denique nostro sua est facta accessio liberali amicorum donatione: morituris nostris sepulturæ locus consecratus est.

COLLEGIVM IPRENSE.

EX Sacerdotibus Pater Henricus de Codt obijt diem Societati immaturum. Magna ab eo sperabantur, zelo animarum, zelo diuini nominis latius altiusque proferendi haud parum incenso. Cum enim apud Dixmuijdanos per Quadragesimæ dies cõcionator ipse Annuntiatæ Virgini celebri die contra hæreticorum insaniam, pro eiusdem virginis honore vehementiùs incalesceret, apoplexia correptus cecidit, domumque è cathedra deportari debuit. Eodem die de peccatis socio confessus rem diuinam fecerat; voluit tamen extemplò, vt Deo purior appareret, iterum reconciliari. Interea tentatis frustra remedijs, inclinante iam in noctem vespera, cessit è vita, magno omnium luctu, ab ortu 35. à Religionis ingressu anno decimo.

CAETERORVM porrò non languit industria, quà domi seipsis, quibusque in spiritu promouendis, quà foris in salutem alienam desudantibus. Ab hæresi reuocati

Digitized by Google

ti quamplures. Mulier quædam obstinatior anabaptismum (quæ secta hic omnium est pertinacissima) Nostrorum argumentis victa, eiurauit,& peccatis per confessionem expurgatis Ecclesiæ simul ac Deo reconciliata est. Prædo non parum ad suam perfidiam tuendam, iam inde à puero instructus, post varios cum Nostris congressus, Ecclesiæ manus dedit, ac ritè deinde confessus piè mortem legibus soluit. Iuuenis quidam publicè mortem obiturus, cùm decreuisset virum primarium non sine magno multorum offendiculo, enormis cuiusdam sceleris insimulare, Nostrorum vsus consilio in se incusationem conuertit. Miles ob stuprum, quo se fœdè contaminauerat, in vincula coniectus, nostri Sacerdotis cohortatione, in suorum scelerum vindictam sic exarsit, vt in corpus sæuierit acerrimè, & ad supplicij locum progressus, graui, ardentique sermone spectatoribus magnum doloris motum concitarit. Dissidia inter fratres naturè antequam cum formidato multorum damno coniua eserent extincta sunt. Impetratæ pauperibus ob nis generis eleemosynæ,caligæ,calcei, laneę lineæque vestes: forore obstrictæ res redemptæ: carceribus procura a aris alieni exsolutione erepti debitores egenti. Aegris projecti pauperibus vt medicorum, & pharmacopæi remedia gratis impenderentur.

COLLEGIVM CORTRACENSE.

CORTRACENSIS Collegij res haud quaquam inferiores sunt superiorum annorum successibus. Festis diebus minimum quadringentis confessionis, ac communionis ra-

Digitized by Google

cramenta præbentur, solemnioribus vltra mille subinde quingentis. Confessiones vitæ vniuersæ auditæ supra octoginta, Quinis familijs deposita simultate conciliata pax est. Mulier improba fratrem, eumque Sacerdotem, hoc infestabat amplius, quo ille integritate vitæ contumeliam tolerare modestiùs præ se ferebat. Tentatis inuicem spretisque omnibus crescebat improbitas. Sed Sacerdoti tandem nostro infelix mulier multorum annorum simultatem donauit. Suo ac certo ordine, affecta valetudine pauperes aditi, simul adiutique variè. Hospitali domo nostrorum charitas infirmis non defuit omnino, alioqui spirituali solatio destitutis catechisati omnes totius Ciuitatis discipuli cum pueris, alijsque rudibus, qui arte victum quæritant. E scholis, quæ multa nobilitate illustres sunt, quatuor ad Religiosorum asylum se receperunt. Primus Societati, sancti Benedicti alter, sancti Bernardi tertius, Cappuccinorum, quartus.

Societatis foris nõ infructuosiùs opera collocata. Proximo Menenẽsium oppidulo binis hebdomadæ ferijs per Quadragesimam, Gallicæ cõciones, præsidiarijs præsidio, & solatio fuêre. Multa ibidem renouata antiquę Religionis, quæ perierant: multa sublata quæ se temerè immerserant Christianæ pietati. Præsidium vniuersum perpurgatum confessione: sed Ductoris ipsius insignis mutatio, à decursę vitę generali instituta peccatorũ expiatione enitet, multumq; prodest propositum militibus, ciuitatique pietatis exemplum. Exciderat turbato militi blasphemiæ verbum, cùm agmine composito incedendum foret. Non serda aure hoc militum Præfectus excepit, iussum foro medio stare agmen, blasphemam linguam ipse poposcit, eamque propria manu perforauit, vt in eius lingua aliorum blasphemias compesceret.

COL

COLLEGIVM GANDENSE.

Coadiutorum numero diem extremum clausit Cornelius de la Fosse Lindanus, exactis vitæ annis viginti sex, in Societate quatuor. Disiunctis hactenus à domo scholis vti cogebamur, contiguis ædibus hoc anno comparatis apparatę sunt scholę percommodæ. Virgines aliquot nobiliores Nostrorum opera excusso seculi iugo Christi se obsequio addixerunt. Non pauci eiurata hæresi in qua educati fuerant, ad Ecclesiæ gremium sese receperunt. Grauissima inter coniuges iurgia consopita. Quamplurimæ confessiones generales, magno eorum qui instituerunt motu, fructuque exceptæ.

COLLEGIVM INSVLENSE.

DVOS è Nostris vitæ necisque Dominus contagiosa lue ad laborum suorum præmia Insulis euocauit. Alterum P. Adrianum Brunum è Gallia profugum, natum annos quadraginta nouem, qui annis penè viginti quinque in Societate religiosè traductis magnam cum apud omnes tum in Deiparæ Congregatione, quam administrabat sui desiderium reliquit. Huic alter lubens decumbenti adfuit Cosmus Egidis, qui infirmum mortuumque obsequio iuxta vitaque perfunctus ad præmia sequutus est, tertio

Digitized by Google

ab inita religione anno: additi cæteris animi. Dubites maiorésne ciuibus ad proficiendum, an Nostris ad benemerendum conatus sint. Nullus è viginti (tot enim omnino domi operarij) qui dominicis festisque diebus aut rudes non erudiat publicè, aut è sublimi loco ad populum verba non faciat. Domi dominicis plerisque ad sexcentos, cuiusque mensis dominica prima mille, solemnioribus diebus supra mille, ac quadringentos cœlesti pane refici visuntur. Facem hac in parte cæterisque pietatis exercitijs præferentibus, qui Parthenium sodalitium profitentur, præsertim maiores. Constatque hoc viris Senatorij, plebeique ordinis centum quinquaginta: quorum religio, fremente frustra humani generis hoste, toti Ciuitati mirum virtutis odorem spargit, & imitandi exemplum non inane proponit. Familiæ duæ capitali multorum annorum odio flagrantes, coram Notarijs, nostri Sacerdotis opera, odia, simultatesque posuêre, ea demùm coniunctione deunctæ, ac si nihil vnquam amaritudinis earum exacerbasset animos. Ecclesiæ Catholicæ redditi cõplures. Duo è publica custodia nostrorum beneficentia adducti, eorum fidem professi sunt, quorum charitate veram religionem agnouerant. Alius in Anglia parentibus hæreticis oriũdus, religionis ignarus, instructus à Nostris Catholicam fidem perfidæ Religioni prætulit. Alij duo hausta à puero cum lacte perfidiam, fidei professione sacraque confessione exegerunt. Non defuêre, qui ad errorum multorum annorum pertinaciam adiecerant, templumque ingressi nostrum, dum intenti perpenderent reuerentiam Deo singulari cultu deferri, tremenda mysteria submissis animis tradi, accipique, Sacerdotum sedilia confessionis causa, adire, demissos & compositos reuerti, diuino acti, victique spiritu ad pedes Sacerdotis extemplò deuoluerunt sese, eisque diligenter excultis vitæ totius maculas abiurata hæresi patefecerunt. Alia quę-

dam

Digitized by Google

dam nobilis Caluiniſticæ hereſeos infecta veneno, cùm in librum de controuerſijs à quodam è Societate editum incidiſſet, ſaucia Sacerdotem noſtrum ſibi medicum delegit, & hereſim deteſtata, tantum nunc Deo, Religioniſque adducta perſeuerat, quantum antea eoſdem auerſabatur.

COLLEGIVM VALENCENENSE.

LABORIBVS præteritorũ annorum optatus iam tandem fructus reſpondet. Et ſanè ſaxa minutatim alluuione teruntur, & ingentia marmora fruſtatim præcipiti ſtilla cauantur: haud aliter rudiores animi ipſo vſu poliuntur, & abſque motu ſenſuque priùs ſua ſe mole produnt, quàm adoleſcere conſpiciantur. Ceſſant hìc diſſolutiones, & inueterata hominum inertium ſympoſia. Curiones ipſi defixi mirantur antiquam Sacrorum venerationem inculto à religione populo inſinuatam ſenſim inualeſcere; capite pedibusque nudis ſupplicantes ſolenniter Sacerdotes, imbre copioſo nequicquam aſpergente conſtanter ſectari: Sacramenta à ſuis Paſtoribus venerabundos haud rarò ſuſcipere; trecentis ſe ſupra mille die Diuis omnibus ſacro porrexiſſe, cùm ante pauculos annos deſerti ſolitarijque viderentur: expiandis denique animis, qui igne purgatorio pœnas luunt tot delata Sacerdotibus ſacra piacularia, tam ingentem ad ſacrorum oblationem confluxum, vt meritò ſimul ſperare debeamus Chriſto Domino operam noſtram, & gratam fuiſſe, & ab hac ciuitate errorem omnem eliminari velle: quin etiam eneruatum, planeque languentem ſenſim euane-

BIBLIOTECA
Digitized by Google

scere. Viginti supra centum vitę decursæ rationem Deo, Confessarij pedibus aduoluti reddidêre. Qui ab errore ad veritatis lucem emerserunt, octo fidei professionem ex præscripto Concilij Tridentini pronunciarũt. Ex quibus puella adolescens orbitatem, solitudinemque initæ religioni congruentem, parentum errantium solatijs antetulit. Auulsi complures ab illicitæ voluptatis impuritate, ad sanctimoniæ puritatem traducti sunt, vt alienatione animi depositæ pristinam resumerent benevolentiam, à varijs adiuti varij. Nobiles duo ætate florentes exercitijs spiritualibus expoliti, Reipubicæ sunt ornamento.

DISCIPVLORVM numerus etsi haud multò auctior solito, ferax tamen hoc solum emergentium Religiosorum, qui ex vnica classe breui spatio septem prodiêre. Inditum Scholis nomen à translatis in religiosos ordines plantarijs; Religiosorum seminarium. Excitata viris diuersi status B. Virginis Congregatio, quam qui inierunt, vt flores ex vniuersæ vrbis area decerpti visuntur. Præsunt plerique Reip. seque instituti sui probant tenaces frequenti sacramentorum vsu, confessusq; statis diebus frequentatione. Ex felicibus initijs, quis sperari possit progressus, probata sodalium virtus spem confirmat.

NON minus foris, quàm domi labor noster se fructuosum præbuit; qui septem pagos complexus rubiginem ignorantiæ mysteriorum diuinorum expositione sustulit, & peccata diuersi generis impediuit: fœdos denique concubitus pudico matrimonij toro commutauit. Rustico cuidam execrationibus assueto in specie illustris, beatique spiritus apparuit cacodæmon. Proposuit in primis imprudenti opera quædam in speciem bona, admixtis superstitionibus detestãda: adiecit preculas superstitiosas, quas statis temporibus persolueret. Cùm delu-

Digitized by Google

delusus vir simplex acquieuisset omnibus; tum demum ad exigendam illius animam stilum conuertit impius, nullam misero quietem, nullam intermissionem, finem nullum animam deposcendi faciens. Deductus ad Sacerdotem nostrum patefacto illi errore suo, dæmonisque fraude, iussus est bono animo esse, cauereque in posterum ne hosti fidem, voluntatemque accommodet, deposcenti nullum ius in animum in sese ipse prodigeret. Redeuntem hostis obuius acriter increpat, detexisse nimirũ infidum consilia, quæ vt tacita retineret, etiam atque etiam obtestando mandauerat. Cumque malo finis nullus, ad Confessarium redijt, à quo de tota vita perpurgatus, Deo, sibique redditus est. Frementi similis, consultò (ait Dæmon) nostra consilia, mentemque tuam Sacerdoti detexisti: alioquin corpus animamque tuam cruciaturus inuasissem.

COLLEGIVM MONTENSE.

FELICIBVS Montensis Collegij auspicijs progressus haud quaquam infelicior. Instituta hoc anno Parthenia Congregatio virorum altera, altera discipulorum secundo successu. Nomen ei dedêre ex omni ordine delecti: doctrinæ Christianæ (quæ designato quot hebdomadis die triuialium Scholarum discipulis explicatur, dominicis festisque promiscuè omnibus) nomen etiam è suburbijs, pagisque remotis auditores turmatim accersit. Qui redeunt imbuti parentibus aliquid deferunt, sæpeque eos ad nos confessionis gratia adducunt. Non minori Nostrorum, quàm rudium solatio, elementa Religionis propo-

Digitized by Google

proponuntur in pagis, quibus si Sacerdos aures accommodauerit, omnes ad vnum confessioni operam dabunt, ac sacris dapibus accumbet, mirante parocho, qui extra paschales ferias hanc suorum pietatem experiri non solet. Vir quidam eò dementiæ venerat, vt ne religioni quidem duceret pellice non verecundiùs, quàm vxore frui: sed propositis vtrique à Patre nostro ignis sempiterni cruciatibus, qui fontes, noxiosque manent ni sapiant, pellicatum infamem inhonestas cõmutarunt nuptias. Piandæ conscientiæ causa, præter ciues, ad nos ventitant ex locis remotis ad octo subinde leucas. Matrona nobilis præ cæteris impacata veniens mente, statuit domesticos lares ante non videre, quàm tranquillitas, serenitasque animo implacabili illucesceret, nec eam spes fefellit: adhibito namque exulceratæ conscientiæ confessionis, cœlestisque pabuli subsidio, sol nouus fugatis effulsit tenebris, Deumque laudans, voti compos domum repetijt. Eodem affectus beneficio plebanus quidam, qui carnificinæ conscientiæ extinguendæ, deterrima quæque attentare in sui perniciem moliebatur: iam sanus Societatem, quam ante semper oderat suspicere, amaréque impensè & ei secundum Deum acceptum referre non desinit. Non longè aberat ab hoc exitio mulier quædam inuium assiduè voluens animo, in quem præcipitem dedisset sese, nisi cursu vir præueniens ruentem continuisset manu. Hæc confessionis præsidio, agnique cerei è collo suspensi effigie confirmata, sano corpore, animóque festiua viro redijt. Mulieres duæ incurabili morbo correptæ, adhibitis nequicquam remedijs, conscientiæ sarcina apud Nostros deposita, votóque D. Antonio qui in prioratus nostri templo iuxta vrbem miraculis inclytus est nuncupato, integræ sanitati redditæ sunt.

E discipulorum grege, extremum diem clausit puer quidam

quidam ex Hibernia oriundus, decumbenti iuuenili ſpecie cœleſtis quidam ſpiritus apparuit æterni præmij, ad quod inuitare videbatur, ſpem præferens. Locum ſocijs ipſe moribundus in quo Angelum videbat oſtendit: vbi deſignaſſet, ſpiritum Deo placidè reddidit. Non caruit honore ſepulturæ extra patriam, cuius anima veram patriam attigerat. Collecti vicini funus cohoneſtarunt. Quatuor demortuo faces prælatæ, locusque in æde ſacra inferijs ritè inſtitutis condendo corpori comparatus. Hanc mortuo gratiam præſtitit qui infirmo fomenta, ac neceſſaria medicamenta viuo, valentique habitationem, officiaque quamplurima præbuerat. Is ciuis eſt Montenſis haud illiberalis mercator, qui filio Societatem, eleemoſynis haud vulgaribus egentes donare non ceſſat. Noſtrorum hortatu octo ſcholaribus tenuioribus vicinum domui ſuæ ædificium addixit, quibus præter non rara, gratáque munuſcula, lectos ſingularibus cortinis inſtructos, focum luculentum, linteorum lotionem, aliáque id genus officia attribuit; vſque adeo Hyberno tenello, ne in aliena quidem regione parens defuit.

RESIDENTIA BRVXELLENSIS, CVM MISSIONE Caſtrenſi.

BRVXELLENSIVM fruges, amplis Collegiorum ſucceſſibus non cedunt. Ad ſacram ſuppellectilem acceſſit Hierotheca prænobilis, ſacræ hoſtiæ populo conſpicuè exhibendæ affabrè elaborata. Candelabra argentea quatuor, calices aliquot

aliquot inaurati, cum casiolis insigni opere contextis. Consultum animorum saluti consueta sacrorum dispensatione. Duæ virgines Societatis opera in sacris vsæ religionem professæ sunt, aliæ continentiæ perpetuæ vinculo adstrictæ, nonnullæ quæ lubrico casu pudicitiam prodigebant erectæ, & firmitudini redditæ. Vir nobilis hospitæ stuprum, eius viro necem intentans, miras ea in familia turbas exciuerat: Nostrorum industria vindicata mulieris pudicitia est: pax inter partes composita, & nonnulli conciliati Societati amici, qui priùs ab ea alieniores fuerant.

ADOLESCENS quatuordecim annorum, furto quodam apud parentes infamis, & inuisus, expiato corã Sacerdote nostro per confessionem crimine, domum redit, & nudus lachrymisque perfusus, verberum manipulos parentibus exporrigit: Méme, ait, ô parentes, indignum filium, qui in cœlum, & in vos tam fœdè peccaui; Ego mei iudex, iudices vos, si lubet, tortoris præuertite manus: repetite meritas dementiæ meæ pœnas, parentum plagæ, quamuis acerbæ blandientium amplexibus, vt salubriores, sic gratiores erunt. Rupit pœnitudo hæc parentum indignationem, qui mixtis gaudio lachrymis filium Dei dextera mutatum, in gratiam receperunt. Alius honesti ciuis vnicus, cui nihil adeò clausum, obseratumque quod non perfringeret, raperet, & in libidines suas profunderet. Post carceres, & inediã, seueriore proposita eidem à nostro Sacerdote peccati grauitate, peruicacia eò vsque perrupta est, vt qui lachrymas fundere visus fuerat nunquam, gemebundus de tota vita sese accusaret, & nouam omnino viuendi rationem iniret, læto parente, qui perdito similem postliminio recuperare videbatur. Latro quidam cùm facinoribus multis formidandus, tum commentariensis à quo captiuus attinebatur, cæde, & eruptione celebris: reuinctus, Nostrorum

curæ

Digitized by Google

curæ ſalutem ſuam commiſit. E x leone, agnum diceres. Immani rotę membra colligata comminuãtur licet, culter quo iugulum præfecti carceris petiuerat, pectori infigatur, ingenti ferro ceruices confringantur, in medijs tormentis erecto collo quoad potuit, oculisque in cœlum defixis, nullum omnino ſignum, verbumque prodidit impatientis animi, acclamantibus ſpectatoribus, Vtinam & nobis decedentibus ea animi diſpoſitio obtingat. Viros duos auctoritatis primariæ plurium annorum ſimultatibus diſiunctos, cùm ſæpius à Noſtris de odio, inimicitiaque ponenda monitus fuiſſet vterque, contigit in eundem Sacerdotem, confeſſionis gratia accedentes incidere, qua inſtituta, in mutuos amplexus irruentes, vt noui filij, cœleſtis Patris menſæ vnanimes accubuerunt; quodque eorum diſſidium hactenus in Reipubl. adminiſtratione diſperſerat, animorum coniunctione exinde collectum eſſe deprehenſum eſt.

E Caſtrenſibus tres Sacerdotes ad cœleſtes triumphos commigrarunt. Primus P. Gualterus Talbotus Hibernus trigeſimo octauo ætatis, aditæ Societatis anno quarto. Multos in caſtris, ſuæ præſertim nationis, Eccleſię conciliauit; multos diuerſarum nationum in ſalutis viam reduxit. In quo genere maiores ſpes præbuit, quàm exequi quod intendebat vita ſuperſtite licuit: cùm enim aquis perfuſus vno atque altero deinde die militum excipiendis confeſſionibus ſui ipſius cura poſthabita incubuiſſet, febre præpotenti infirmior ceſſit è vita. Hunc ſecutus Pater Georgius Van-Burch anno ętatis quadrageſimo ſecundo, decurſis in Societate magno vitæ religioſæ exemplo relicto annis quatuordecim. Paucis poſt diebus, quem ipſe militiæ ſpiritualis ſocium habuit in terris eundem ad cœleſtia comitem habuit P. Laurentium Pratanũ Leſſienſem, emenſo peregrinationis huius trigeſimo nono, initæ Societatis anno decimo ſeptimo,

virum

Digitized by Google

virum religiosum miri candoris,& expectationis: quem Deus post Castrenses labores annis quinque fructuosè toleratos, nobis frustrà deprecantibus ad Societatem meliorem euocauit.

RESIDENTIA CAMERACENSIS.

DIOECESIS Cameracensis populus quasi diutina cœlestium mysteriorum inedia, & diuini verbi siti anhelus satiari haud quaquã facilè potest. Omni die ad sacras res audiendas paratis nũquam frustra aduenies. A concione ad vicum alium, audituri denuò cõcionabundum sequuntur. Nostros ipsi, qui etiam temerè transeuntes ad sese erudiendum inuitat vltrò: tantus pietatis sensus ex ijs, quæ à Nostris traduntur ingenitus eorum animos occupauit. Præsidiariorum,qui in Lutheri vesania diutiùs acquieuerant, quinq; mutata demùm fide ortosdoxæ militiæ manum, nomenque dederunt, numerus enimuerò lætus:ex quibus facilè septuaginta abdicatis pellicum pernicioſis amoribus,casto matrimonij nexu sese deuinxerũt.Composita dissidia inter varios. Istud non vulgare quod primarios,quà status Ecclesiastici, quà ciuilis inuicem exercebat glisçens,incendebatque, nisi Nostrorum opera interposita, flamma ipsa repens prope in suo fomite præfocata, extinctaque fuisset.

RES

Digitized by Google

RESIDENTIA LVXEMBVRGENSIS.

LVXEMBVRGI, longo iam vsu sacrorum abusus, Nostrorum studio sensim abrogantur. Ipso die cinerum, Bacchantium instar insolentiæ visebantur; vsitatissimum quoque cuiusdam Sancti statuam, non minus impiè, quàm insulsè circumferre. Hæc Senatus publico edicto fieri cauit in posterum, sicut & illud non exequi (certè momenti) vt proles ciuium ad hæreticam quamdam ciuitatem linguæ Gallicæ discendæ gratia complures ablegari solitæ, primo quoque tempore reuocarentur, aut ad Catholicos amandarentur. Eodem pertinet abominandas superstitiones, in morbis curandis in hisce partibus frequentissimas, repetitis hac de re concionibus abolitas esse, ac deprauatas, Nutantes in fide confirmati nonnulli. Curionibus commentationes spirituales traditæ, eorumque Decano, optato fructu. Dissidentibus pax allata plurimis. Religiosi Superioribus reconciliati, quos inter nunc concordia intercedit. Horum quatuor vniuersam vitam Sacerdoti nostro generali recognitione lustrarunt. In arenam duo iamiam discessuri admisso duello nostri fratris intercessione ab incœpto destiterunt, & odium omne deponentes amicitiam redintegrarunt.

Digitized by Google

MISSIO HOLLANDICA.

NIHIL ex Hollandia hoc anno, quod in annuas referamus, datum adhuc est, præter nonnulla quæ anno præcedenti seriùs venerunt, quam vt cum alijs in vrbem mitti possent. Ea vero contigerunt à 25. Nouembris anni 1597. vsque ad 6. Nouemb. anni 98. Ex quibus aliqua perstringemus. Tres Societatis Sacerdotes vastissimum hunc ciuitatum rebellium campum sibi deposcunt, quem pro viribus colant, iuuentque exemplo, verbo, & sacramentorum dispensatione. Messis vbique plurima pauculis operis, qui noctes iungere sæpe diebus, easque continuas, nonnunquam sex audiendis, solandisque ad se confluentibus coguntur. Cibo sumendo, officio diuino persoluendo, vel præuidendis, quæ famelicæ genti proferant, si horæ paucæ, oppido fatigatis supperant, magno quietis loco reputatur. Nusquam tuti (etsi amici ad quos diuertant non desint) nisi vbi eos diuina tutatur manus. Hinc frequenti locorum mutatione latebras quærere opus est. Per conciones varij varie moti, ab hæresi ad orthodoxam fidem; à vita profligata ad pœnitudinem, à moribus vulgaribus ad meliores, cœlestibusque conformes consilijs. Ecclesiæ Catholicæ redditi; nutantesque firmati ampliùs duodecim, qui confessione generali piati, nouum vitæ genus amplexi sunt. Inter quos iuuenis in fide nutabundus, dum Rupellæ tibiæ curandæ operam dat, incidit in librum, quo Ioannes Herennius mutatæ religionis rationem reddit. Ad suos deinde reuersus, audito Sacerdote nostro, flexit animum ad Romanam Religionem, & integrè per confessionem purgatus, constans

nunc

nunc perseuerat. Expiationes totius vitæ exceptæ amplius 136. Matrimonij leges violatæ viginti quatuor illicitis nuptijs, nouo sacramento recognitæ. Baptismi cæremoniæ baptizatis hæreticorum modo, duodecim ad fidem conuersis hæreticis adhibitæ. Lustrati lauacris aquis parulli quinque. Adulti totidem quorum tres Anabaptistis parentibus orti. Primus annorum duodecim puer, adductus ab amita, orthodoxam fidem professus est, & constantiam in Deiregę, fide bene ea, quæ Ecclesiæ obtatum è fonte suscipiebat. Alter viginti annorum iuuenis iam meliorem extra patriam mentem nactus parentes Anabaptistas coram de sua fide territos facit, quibus ad execrandam in pietatis loco nem inducere nequicquam adnitentibus, superior, infractus ad nos rediit, candida veste corpus, animumque meliùs, Christi corpore mentem pauit, & in nouum hominem mutatus est. Tertia puella nobilis, nobilisque, quam Catholicus iuuenis domum ducere cum optaret, prius Deo, Ecclesiæque iunxit quam sibi, quis sacro lauacri fontis tincta, cum sponso cœlesti mensæ accubuit, & Catholico ritu nuptias celebrauit. Quarta Catholicis prognata parentibus, ne impuri Ministri manibus polluerentur, ad annum vndecimum initiata non fuerat. Iterata huic est soror germana. Dum sacræ catecheses, exorcismi, vnctiones, aliæque Baptismi cæremoniæ peraguntur, dæmoni energumenæ insidenti Sacerdos iubet, vt benedictum cereum teneat, sedulóque mysteria peragenti lumen præbeat. Dæmon Sacerdotis imperio coactus paret quidem, sed inuitus, & murmurans: Cur, inquit, spiritus liber nobilis hominibus seruiam? qui mortalibus natura præsto: cùm hic non desint, quid muneris obeam? horum esset non meum hoc ministerij genus sustinere. Nihil tamen indignius tulit, quam in exorcismis toties audire damnationis suæ sententiam identidem inculcari. Et ad

Digitized by Google

puellam grandiorem versus, eam grauiter increpat, quòd à suo consortio, ac potestate subtrahat sese: satius ei fore, si priorem conuersationem secuta licentiosiùs viueret. Quem puella virili pectore impium detestata consilium, confudit, grauiq; affecit dolore; iussum interea à Sacerdote tacere, & officium iniunctum nauiter peragere, Extrema vnctio præmissis exomologesi & sacro viatico infirmis data. Quorum vnam Minister hæreticus (quem animorum consolatorem vocant) propemodum ad inferorum fauces deduxerat; Patris nostri visitatione confirmata, & Sacramentis omnibus munita ad meliorem vitam transmigrauit. Boni permulti meliores Nostrorum euasêre consortio. Virgines aliquot honestæ familiæ, illicientem habitum posuerunt, assumpto eo, qui vitæ cœlibi congruebat. Quo nuncio furore præceps minister Barbarus indignabundus, ipso natali Christi die celebri, è loco sublimi vehitur in virgines, Senatoribus seuerè denuncians, facinus dignum de cuius authore inquiratur (viro casto videlicet cordi erat matrimonij causa.) Tres interea alię ab illęcebris sæculi nequam, Ministro frustra fremente, ad modestiam se composuerunt. Id intuita puella annorum septemdecim, imbuta à puero hæretico lacte: Quis, ait, dubitet eos veram religionem sectari, qui religiosis eam moribus astruunt, qui profunda pace, quietéque externo gestu testata fruuntur assiduè, qui se totos Dei obsequio deuouentes, virtutis pulchritudinem intendunt? Fallaces omnino Ministros, qui hanc viuendi rationem impossibilem declamant, cùm à meisimilibus summa facilitate, imò cum delectatione non modica iniri constanter percipiam. Et è vestibus lasciuientem mundum detrahens, ductorem melioris vitæ quæritat. Eo ergo tempore quo sorori se comitem adiungere solebat, phanum hæreticorum adeunti, accersit Catholicam virginem, mutatum habitum, animúmq;

Digitized by Google

múmque oſtendens: cupere ait ſe ad Catholicorum ſacra, aſylúmque recipere, illam ſe ducem vt præbeat, etiamnum rogat impensè. Imbuit primùm Sacerdos noſter ardentem animum catecheſi: ſuppleuítque ritus Baptiſmo deſideratos: luſtratam deniq; Pœnitentię myſterijs, Angelorum cibo ſatianit. Nec Miniſtro æmulanti merces defuit. Enimuerò euolutis menſibus ſeptem, dum ſtuprum ancillæ inferre intentat, palam ſimul fit, nepte vxoris loco vſum, eáque vita functa concubinam induxiſſe. Hoc ſcelere ex eius ore per quatuor ſinagogas promulgato exauctoratus officio, ſtipendióque exutus, pulſus eſt ab vrbe inglorius.

Digitized by Google

PROVINCIA AVSTRIÆ.

AVSTRIAE Prouincia, quæ antehac Superioris Germaniæ, Poloniæque Prouincijs Societatem auxit, locorum interationes varias numero sic denuo exæreuit, vt diuisionem rursum exigat, nouamque Prouinciam breui polliceatur, alteriusque non remotissimam spem præbeat. Hoc quidem tempore in decem disiunctis nationibus, Collegia 11. Residentias 3. vnam Probationis domum, duasque Missiones distributa. Habet in Austria Collegium Viennense, & Residentiam ad S. Bernardum. In Bohemia; Collegia Pragense, Crumlouiense, Nouodomense, Commotouiense (hoc Misniam propiùs respicit) & Missionem Meseritzensem. In Morauia; Collegium Olomucense, & domum Probationis Brunæ. In Vngaria; Collegium Sellense, cum Residentia Thurocienſi, seu VVaralienſi in Sclauonia sitæ, Missionem præterea Darozienſem. In Transyluania; Collegia, Claudiopolitanum, & Albæ Iuliæ. In Styria; Collegium Græcense, quod idem Prouinciæ seminarium est, cum Residentia Milstadienſi, in Carinthia. Carmoliç; Collegium Labacense. In finibus Sileſiæ; Collegium Glacense. Viuunt de Nostris in omni-

Digitized by Google

omnibus hiſce locis 364. Admiſſi in Societatem hoc anno 15. ad meliorem vitam migrarunt tredecim.

IN Collegio quidem Viennenſi 53. & in his Sacerdotes 22. Magiſtri ſeu Profeſſores tam Sacerdotes quam non 12. Scholaſtici Theologiæ tres. Philoſophiæ 12. Coadiutores 11. Ex his conuictoribus adſunt; vnus Sacerdos, qui eſt regens, & quatuor Scholaſtici, qui præſunt cubiculis. In Reſidentia ad S. Bernardum 5. tres Sacerdotes, & duo Coadiutores degunt. Græcij numerantur 71. In his Sacerdotes 23. Profeſſores 15. Scholaſtici Theologiæ ſeptem, Philoſophiæ 24. Coadiutores 14. Ex his conuictui præſunt; Sacerdos vnus, isque Regens, Scholaſtici quatuor, quorum vnus Regentem iuuat, alij cubiculis præſunt. In Reſidentia Miſtadienſi, duo Sacerdotes, vnus Scholaſticus, & duo Coadiutores occupantur. Pragæ è Noſtris hoc tempore viuunt 22. Sacerdotes nouem, Profeſſores ſex, Scholaſtici Phyſici duo, Coadiutores nouem. Crumlouij Noſtrorum ſunt 22. Sacerdotes 8. Præceptores quinque, Scholaſtici Rhetores quinque, Coadiutores totidem. Nouodomum tredecim incolunt; Sacerdotes quinque, Magiſtri 3. Coadiutores quinque. Commotouium numerat octodecim; Sacerdotes octo, Magiſtros quinque, Coadiutores ſex. In Miſſione Meſeritzenſi duo occupantur Sacerdotes. Collegium Olomucenſe habet Noſtrorum 28. Sacerdotes tredecim, Profeſſores ſeptem, Coadiutores octo. Domus probationis Brunæ numerat 49. Veteranos 16. in his Sacerdotes ſeptem, Magiſtros tres, Coadiutores ſex. Nouitios ſecluſis pauculis, qui in Collegijs exercentur, 32. In Collegio Claudiopolitano viuunt triginta: Sacerdotes tredecim, Præceptores octo, Scholaſtici tres, Coadiutores ſex. Albæ Iuliæ ſex: Sacerdotes tres, Scholaſticus vnus, Coadiutores 2. Labaci ſunt nouem: Sacerdotes quatuor, duo Magiſtri, tres Coadiutores. Glacij agunt 14.

Digitized by Google

Patres,7.Præceptores 3.Coadiutores 4. Sellię 15. Sacerdotes 5. Magistri 4. Coadiutores 6. Residentiam VVaralliæ tenent 8. Sacerdotes 4. totidem Coadiutores. Missionem Dorotziensem duo obeunt Sacerdotes.

COLLEGIVM VIENNENSE.

ANTEQVAM huius Collegij, quod 50. constat hominibus, industriæ refero monimentum, piè vita functos cursim attingam. Primus est P. Nicolaus Limburgius Leodiensis è gradu Professorum, annos plures, & de Societate, & de pauperib. benemeritus. Alter P. Hieronymus Brassicanus Misnius colicis doloribus, & paralysi extinctus, Archiducibus Austrię 10. penè annos gratus Ecclesiastes. Tertius P. Laurentius Loupius Lotharingus, Coadiutor spiritualis, qui dum hac Pragam transmitteret in Nosocomio miseris aures præbens venenum hausit, quo breui absumptus est, vir omnimodæ Virtutis exemplar. Vltimus Elias Nitsch, Styrus, eruditione, & religionis bono conspicuus, is mense integro antequam accideret mortis diem manu sua consignauit. Viderat enim septimo Idus Februarij se per quietem à P. Limburgio haud multo ante vita functo, arrepto brachio trahi, hisque verbis admoneri: Mense abhinc me sequeris: ad quæ Elias aliud nihil quàm vt culpis eluendis tempus concederetur. Non vana fuit admonitio: nam ad initium noui mensis, dum Sanctorum de more patrocinia distribuuntur, ei cum patrocinio D. Thomæ Aquinatis de morte sententia, virtus verò subiecta, mortis meditatio, sortitò obtigit: quæ elapso mense Non. Martij ipso die D. Thomæ sacro

quatuor

Digitized by Google

quatuor dierum morbo finem viuendi fecit.

IN horum locum sex alij tyrones adlecti. Triplicis concionis in singula festa, & Doctrinæ Christianæ, is est qui sequitur fructus. Confessiones totius vitæ exceptæ 76. ad solemnia Paschatis diuino mysterio referti quater mille, contemplatione spirituali edocti tres, ex his Episcopus Nitriensis Societatis non amicus modò, sed voto, ac voluntate socius. Hæresi dixerunt vale 160. vtrique speciei quinque. Mahometanæ stultitiæ quatuor, qui & ad sacrum fontem dispositi. Plurimi à sceleribus erepti laudabiliorem vitæ rationem instituerunt. Et quidem perfuga, & Religionis annos iam penè 12. desertor, austeriùs institutum, nempe Cappuccinorum complexus est. Alius post peractam quam multis annis subterfugerat confessionem, nihil optabat vehementiùs, quàm religioni se mancipare. Duæ desperata per medicos corporis salute, eam cœlesti medicina recuperarũt. Nonnulli, ex quibus paralyticus annorum quinque voto D. Virgini ad Cellas nuncupato, ad valetudinem redierunt. Erat non nemini cum muliere diuinationi dedita familiaritas, à qua poculum accepit amatorium, cuius vi adeò fuit exagitatus, vt nec cibum, nec somnum caperet, atque identidem de vita sibi extorquenda cogitaret: demùm voto ad dictam D. Virginem emisso, & iterato Sacramentorum vsu, pristinę est restitutus sanitati. Quinque quibus ob desperationem decreta fuit mors, ad sanam mentem reducti. Ex ijs vnum subijcio, & atrocis facinoris, & luculentum diuinæ misericordiæ argumentum. Vir quidam, cum facultates suas quotidiano decoxisset luxu, cacodæmoni se deuouit, Deo, & æternæ saluti nuncium remisit, quinquies ad locum à tetro spiritu destinatum cum chirographo sanguine suo consignato accessit, vbi tamen dæmon sese spectandum exhibuit nunquam, qua fraude magis exasperatus acriùs vtriq; Deo nimirum, & Diabolo ma-

Digitized by Google

ledixit, vtpote quorum auxilio non posset subleuari. Facinus ergo execrandum, quo sibi, matri, vxori & fratribus manus inferat violentas, meditatur: sed vt existimatur singulari Matris pietate præpeditus conceptum scelus nunquam perpetrare valuit. Verùm enim ne prorsus fraudaretur voto, arreptum cultrum cordi infigere nixus costæ præter mentem infixit, vulnere alto satis, & hiante. Ad hoc facinus accitus Noster horam, & amplius in homine reducendo frustra posuit, sed importuna adhortatio pertinaciam desperati tandem expugnauit, qui pactis diabolicis penitus rescisis, & in templo nostro peracta exomologesi vitam in melius commutauit.

DVO insignes milites, cum duello commisso lethaliter ambo saucij è circo fuissent delati, è vita discesserunt sacramentis adiuti: alter quidem mox, alter non nisi post multas Sacerdotis, & importunas preces. Alij duo à simili certamine deterriti. Pax redintegrata inter multos etiam viros primarios. Vxor marito derelicto reddita, & filia profuga parentibus: libri prohibiti flammis absumpti cum chartis superstitionem referentibus: æris alieni mala fide possessi restitutiones factæ non paucæ; statuæ æreq turpes sublatę: pauperum corpora eleemosyna confirmata: animi spirituali cibo recreati. Duodecim captiui ex diuturno carcere ad nostri petitionem demissi supremo supplicio traditis nunquam negatum solatium. Tandem optimi cuiusdam viri liberalitas quingentorum florenorum donatione inopiam Collegij subleuauit. De Scholis hoc addendum, quòd simul illæ, simul & conuictorum contubernium vigeant, discipulorum & flore, & frequentia.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM GRÆCENSE.

DEGVNT in hoc Collegio 74. Omnes quæ Dei benignitas fuit si vnum, alterúmve excipias bona vsi valetudine, cùm in vrbe hac non pauci varijs morbis præsertim ardenti febri, ac dysenteria è viuis abriperentur. Vnus P. Christianus Numicius Neomagensis, litteris, ac virtute præstans, studio salutis hominum insignis, migrauit ad Dominum ea sanctimoniæ significatione, quam à tali viro expectare par erat, cùm annum ageret in Societate quadragesimum. In huius locum submisit nobis Dominus quinque, quosdam etiam alijs Religiosorum ordinibus. Omnis omnium cura fuit, vel in propria, vel in proximorum tuenda salute, fuitque Collegij cursus felix in scientiarum, ac virtutum profectu. Dominicis, ac festis diebus habitę cõciones tres, interdum 4. non sine magno proximorum emolumento. Sacris Societatis nostrę meditationibus sex sunt exculti: morituris præstitum solatium: visitati frequenter, qui dysenteria laborabant, quorum hoc anno amplius trecenti vitam cum morte commutarunt. Visitatum hospitale, omnium aliquoties exceptę confessiones.

EXCVRSVM ad pagos, viroſque nobiles, habitæ ibidem cõciones: auditę confessiones. Non pauci in fide dubij instructi: in aucta Religione plures confirmati. Dissidia capitalia inter personas non infimas sublata: domesticæ seditiones sedatę: multi ad restitutionem adducti. Nuptię clandestinę, Catholicorum more cõcelebratę. Confessiones generales de omni vita, amplius centum audi

Digitized by Google

auditæ. Contra morborum vim, proque fœtu obtinendo valuêre vota. Viri etiam nobiles verbere, ac cilicio carnem domuêre. Pœnitentium numerus circa Paschæ fuit 2233. Hæresi nuncium remiserunt 91. quorum non pauci nobiles, viri primarij quique honestissimi. Ab vtraq; ad vnam speciem reuocati septem. Quidam Christi fidem paternæ prætulerunt hæreditati, à suis pulsi, quia Catholici. Alius nobili loco natus procerum aulam, & mensam studijs, bonisque moribus posthabuit, inter pauperes mentis, non ventris curam gerens. Virgo Græcensis diu in hæresi pertinax morbo, ac dolore ingenti vexata, numinis iram, ac vindictam sentiens, è Nostris petijt Sacerdotem, vt in quos, sic enim referebat, maledictis potissimum peccasset, per eosdem à Deo scelerum veniam consequeretur: conuersa ergo, & confessa mox conualuit, ac piè beneficij memor diuini, viuit. Vir nobilis adhuc hæreticus, cæterùm prudens, grauis, & de fidei controuersis articulis iam tùm cum Nostris agens, cùm energumenæ assisteret in exorcismis, eamque manu cum cæteris teneret, vultu eius horribili territus secessit, nec rediit priùs, quàm hæresim abiurasset, peccata confessione expiasset, sacram Eucharistiam sumpsisset; tunc accessit constantiùs, ac tenuit. Non iam, inquit, timeo, sum enim Christianus.

DE celebri mysteriorum vsu nihil attinet dicere; sunt frequentes, qui octauo quoque die ritè expiati sacram sumunt Eucharistiam. Inter hos primas sibi partes iure vendicant Sereniſſimi Principes. Et quidem de singulorum pietate singulare censere lõgum esset. Sanè Ferdinandus, qui regit, ac imperat, quantũ Sacramentorum vsu, & sacra communione, quam sæpius frequentat, proficiat, ardens illius zelus erga Christi Ecclesiam, Catholicamque religionem demonstrat. Constãtissimum enim Ecclesiæ & fidei defensorem se exhibet, nihil ferè meditatur, vel agit aliud, quàm vt fidem reducat auitam, omnem

Digitized by Google

omnem hæreſeos luem auertat. Anno ſuperiore menſe Septembri infœlicem Lutheranorum Miniſtrorum turbam exegerat: res ſuſque deque abituræ videbantur ad ſubſequentis anni initium: nec defuerunt, qui cauſam ſuſciperent proſcriptorum. In generalibus enim Prouinciæ comitijs actum de eorundem reductione vtquè liberam Sereniſſimus faceret religionem: ſed fruſtra licet trimeſtre, & amplius ſua ob id protraxerint comitia, licet contra barbarorum incurſus cenſum annuum negaturi viderentur. Nihil omnino de ſua conſtantia remiſit Princeps, nihil timuit, nedum ſacrilegum quid conceſſit. Fateor actum ab inferno hoſte cum fraude occulta, tũ aperta rebellione, ſed fraudi diuinitùs occurſum, vt ſperamus: quippe detecta; métita eſt iniquitas ſibi, ſubditorum ſic ſedauit rebellionem. Venationem inſtituit Sereniſſimus menſe Iulio; duos è Noſtris ſumit ſacerdotes, alterum à ſacris concionibus cumque quatuor paſſuũ millia ab oppido abeſſet Lutherano, præmiſit, qui ciuibus nunciarent, verbi miniſtros quamprimum amouerent. Remittunt oppidani ad Sereniſſimum viros duodecim, qui eoſdem prece conſeruarent: ſed his Princeps ſæueriſſimè mandat, vt hæreſeos incentores omnino quamprimùm diſcedant. Mox alij 6. mittuntur, qui alterum templum vnâ cum Miniſtro obtineant; Pernegat Princeps. Ergo abeunt lupi, oues deſerunt. Sereniſſimus oppido propinquat. Ecce tibi virorum, mulierum, virginum, puerorum mille circiter ampliſſimo, pulcherrimoq; in campo in genua prouoluti, ſupplices vno ore & voce ingeminant, Prædicantes. Subſiſtit Sereniſſimi comitatus auidè quid ſtultiſſimæ turbæ reſponſurus eſſet expectans. Hic Princeps vultu, & voce ſeuera & graui: Impij, cur me tanto afficitis mœrore? Nec poſſum, nec volo, quod ſtultè petitis concedere: Mox, cum ſuis pergit. In oppido omni excipitur humanitate, primùm à

Prin

Principe occupatur templum, à Sacerdotibus reconciliatur, sacrum & concio à Nostris habetur. Ornatus huius templi inuentus est, casulæ 30. calices vndecim, candelabra, & alia sacra suppellex varia. In Lutheranorum potestate hæc fuerunt annos omnino 40. Subsequenti die eodem in oppido alterum receptum est templum: habitę conciones de pseudoprophetis, Ecclesiæ nothis, de omnibus fidei articulis controuersis; vt frequentes sic constantes aderant ciues: quatuor etiam continuas horas audiebant, suspirabant, flebant: optabant, vt 7. solùm hebdomadas concionatorem nostrum obtinere possent; præclarù tum ibidem de religione actum iri. Tandem discessum parat Princeps: ciues Sacerdotem Catholicum cũ ludimoderatore optauerunt, obtinuerunt. Ciuiũ sex ad Nostrum venêre concionatorem, grates habuêre, flentes vale dixêre. Serenissimus iã discedens hæc iudici, & oppidi primatibus: Meminissent eorũ, quæ pro cõcione audissent: si dictis forent audientes, se clementissimũ eorum Dominum, ac Principem futurum; sin rebelles, vestris, inquit, cauete, & timete capitibus. Ciues vicissim vouent, iurant se hæresũm auctores, ac patronos nunquam admissuros. Conuersi erant concionibus nonnulli, inter quos vnus è primarijs cæteris constantior, qui corã nostro Sacerdote flens in genua procidit, omnia se studiosissimè conseruaturum pollicens. Sed huius trecenti post Sereniſſimi discessum domum cingunt, eius ante fores patibulum erigunt, vt domum, vt oppidum deserat compellunt, Sacerdotem Catholicum, quem eis Princeps coram commendarat, templo euocant, ei claues eripiunt, oppido pellunt, sacrilegos reuocant. Hic Sereniſſimus rei indignitate commotus, nihil prius habuit, quàm vt Dei Ecclesiæ, ac suum tueretur honorem. Ergo mittit Dominos Commissarios septingentis primùm viris, post etiam mille cinctos, tutosque. Non omnem initio militem

Digitized by Google

tem viderant oppidani, nec enim simul aduenerat: ergo occurrunt armati ad medium ex oppido miliare, & licet numero plures essent, vix enim nostrorum aderant trecenti, tamen partim verborum vi, partim armorum metu repressi, sedatique, in oppidum secedunt, nostri templum repetunt, ipsi primum renuunt: erat enim natura loci, munitione, ac trecentis militibus septum: nihilominus vbi copiosiorem nostrum cernunt aduentare militem, ferreis etiam indutum thoracibus, supplices claues ferunt, arma ponunt, priuilegia, ac prærogatiuas sussi tradunt, veniam petunt. Hic nonnulli scelerum auctores fuga sibi consuluêre, alij fraude egêre, alij ad vincula, & eculeum rapti, vt de rebellionis capitibus, quod res erat, faterentur, quorum nonnulli post Græcium transmissi. His ibi peractis, rebusque vtcumque compositis suo cum milite Domini commissarij, alia petunt oppida simili rebellione infecta, omnibus immunitates, nonnullis etiam arma erepta. Alibi Protestantium templa duo igne iniecto absumpta, tertium augustius, & celebrius, vbi hominis cuiusdam è proceribus Styriæ humata iacebat prosapia, puluere posito diiectum. Ac tandem tumultu omni, ac rebellione sedata domum Nostri rediêre. Vbique primum nouum præstitum sacramentum, quo fidem, ac obedientiam Serenissimo, eiusque posteris, ibidemque officialibus spondebant: tum pacem consilio, auxilio, procul omni rebellione, deinde religionem auitam, & Catholicam, demum obedientiam Parochis (omnibus scilicet in locis Catholici sunt Sacerdotes substituti) atque hæc sub amissione bonorum omnium, vitæ, sanguinis. Addo librorum hæreticorum sex circiter millia sub patibulo exusta. Res suas constantissimè agebant Domini Commissarij prudentiæ, pietatis, religionis, consilij, auctoritatis nomine commendatissimi. Rebus sic ex animi sententia perfectis: Non nobis, exclamat Serenissimus

Prin

Digitized by Google

Princeps, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

POSTREMVM sit illud. Templum est in Vrbe Græcensi, omnium Sanctorum memoria, & patrocinio olim apud Catholicos celebre. Ab hæreticis istud triginta ab hinc annis occupatum, hæreseûm monstris deformatum profanatumque fuerat, vnicáque in hac ciuitate hæreticæ factionis, & concionum, in tota Styria verò nominata, ac celebris synagoga existebat, Gymnasio, ac schola hæretica exornata. Seminarium omnino erat funestissimæ pestis in omnes has Prouincias. Hinc scilicet prodibant, qui hæreticorum more impijs functionibus destinati, & ministrorum Græcensium fulti testimonio hasce regiones doctrinæ suæ veneno corrumpebant. Igitur templum eiectis inde ante annum Prædicantibus, scholæque hæreticæ Rectoribus huc vsque occlusum in Prouincialium hæreticorum potestate manebat; quod zelo Dei adductus Serenissimus ab hæreticis Prouincialibus repetiuit, iure scilicet, & ex prima fundatione ad Catholicos, & se pertinens: quod cum illi post trinam scripto factam postulationem dare recusassent, armata manu, milite præsidiario, & corporis sui satellitio vi, foribus effractis occupauit, Catholicæ religioni per Episcopum reconciliari curauit, solemnique sacrificio Missæ, Catholicaque concione, Deo, sanctis omnibus, Catholicisque restituit: agunturque in illa officia diuina insigni hominò frequentia, nec minori animarum fructu. Quinq; etiam librorum hæreticorum currus duabus ex officinis, quæ in domo Procerum Prouincialium erant, nostrum in Collegiũ, Serenissimi mãdato conuecti, magna Catholicorum voluptate, hæreticorum dolore simul, & terrore.

FLORVERVNT scholæ auditorum genere, vt solent, & numero, licet eas pestis imminuere tentauerit, imò inferiores ad anni finem etiam dissipauerit. Litteræ, ac pietas pari studio iunguntur. R.D. Blasius Laubich Archiducum

chiducum præceptor solemni ritu nostro in templo præsẽtibus Sereniſſimis Principibus, in nobiliſſimo Prælatorũ, & Academicorũ cõſeſſu ſacræ Theologiæ Doctor eſt creatus. Noſtrorũ quatuor è Theologia ſacris ſunt initiati ordinibus, varijſque in locis diuerſis Societatis noſtræ muneribus addicti. Alij pro gradu in Societate examinati, alij Magiſterij philoſophici inſignibus ornati. Arcus erecti triumphales duo in reditum Sereniſſimæ Mariæ Principis noſtrę ex Hiſpania, voluntate, ac sũptu Sereniſſimi Ferdinandi, opera Noſtrorũ, ornati fuêre emblematis, epigrammatis, picturis: ex ijſdem cantu, & carmine excepta Sereniſſima, breuiter, eleganter. Pòſt data D. Damaſceni religioſa de Ioſaphat, & Barlaam hiſtoria: placuit actio horarum ſeptem. Qui Ioſaphatum egit veſtem à Sereniſſima retulit ſplendidam, à Sereniſſimo gratiam, & in litteris honeſtiſſimam promotionem. Alterum datum drama in anniuerſaria Gymnaſij inſtauratione de infelicis Vdonis olim Archiepiſcopi Magdeburgenſis morte ac iudicio: actio motu pleniſſima erat. In flore conuictus noſter fuit, ſiue numerum, ſiue pietatem, & in ſtudijs induſtriam, indolem, nobilitatemque ſpectes.

SPIRITVS ſancti Sodalitas, quæ inter S. Pontificis alumnos ac conuictores eſt, ante Paſchæ dies feſtos ſe pijs domi excoluit meditationibus, inſtituit flagellationes, pias frequẽter obtulit preces, ieiunia, varias corporis afflictiones pro varijs Eccleſiæ turbinibus ſedandis. Tres huius Congregationis alumni affecti morbo, vnus apoſtemate, ac diuturna fiſtula, medico iam deſperante, alij duo ſanguinis continuo fluxu laborabant: hi vota animo concepêre, mox corpore conualuêre. Ex iiſdem quinque piè, ac religioſè vita functi. Auxit hæc Congregatio ſacram ſuam ſuppellectilem ducẽtis amplius florenis, ac tantundem pecuniæ cùm à Sereniſſima Hiſpanię Regina, tùm ab aliis eiuſdem Congregationis fratribus liberaliſ-

Digitized by Google

simè accepit. In pauperum studiosorum domo 60. optimi sunt adolescentes, qui in omni pietatis ac litterarum studio cedunt nemini. In huius domus subsidium contribuit Serenissima Hispaniæ Regina 640. florenos. Collegio coemptum prædium vrbi vicinum, rebus domesticis percommodum quatuor ferè florenorum millibus, cui soluendo Serenissimus bis mille, & quadringentos donauit. Ecclesię nostrę suppellex hoc anno aucta plurimum liberalitate Serenissimę Principis nostrę Mariæ, ac Margaretæ Hispaniæ Reginæ siue calices, & aulæa, siue vestes sacras, omnisque generis ornatum spectes, valor ac pretium vniuersorum bis mille, quingentos exsuperat florenos.

RESIDENTIA MILSTADIENSIS.

MILSTADII sunt è Nostris quinque, Sacerdotes duo, totidem Coadiutores, Scholasticus vnus valetudinarius. Huius loci incolas nostris subditos, licet vehementer à nobis, nescio quo errore alienos, & auersos initio habuerimus, sic tamen ratione, ac humanitate nobis deuicimus, vt veniam deprecati studiosissimè nos ament, ac venerentur. Ab hæresi ad fidem orthodoxam redière 40. Vsum calicis à quo sex tantum, vel septem abstinuerant, omninò sustulimus: & hoc anno 180. sub altera solum specie communicantes habuimus. Cessauit etiam Nostrorum industria in alijs parœcijs ad ægros deferendi calicis consuetudo: cessauit Baptismi Sacramenti administratio hyemis tempore in triclinio. Fœminis aditus ad loca claustri etiam publica intercluſus, subditi à concionibus

hære

Digitized by Google

hæreticis, quæ vicinis in locis habebantur, revocati. Ædes SS. Fabiano, & Sebastiano sacra olim profanata, reconciliata.

COLLEGIVM PRAGENSE.

TOTO pestis furore è numero vnius & 30. duodecim mansere in Collegio: verùm ex his duo media morte, vt piè credimus, vitam adepti sunt, P. Stanislaus VVotreskouius, & Lucas Roll Coadiutor temporalis; ille ob infractum animum, & insignem charitatem peste laborantibus destinatus, & extinctus: hic verò Patris ægrotantis minister, & mortui pollinctor, breui eundem secutus est. Cæterùm labori sua quoque fuit merces, quam nostri subleuando pauperum inopiam, inimicitias ad multorum vergentes interitum tollendo, damnatos ad mortem, & in desperationem ruentes consolando, perceperunt. Pugnatum est cum spectris, à quibus integram familiam agno cereo liberarunt, & domi cum tenebrarum operibus, ea hominum frequentia, vt vix omnes, quotquot domi fuerunt Sacerdotes sufficere potuerint. Memorabile est communicasse in templo nostro septies mille ducentos, generaliter confessos centum, hæresim deseruisse 125. Dabo vnum instar omnium. Doctor erat sectæ Lutheranæ Theologus, Prædicantis munere annos triginta amplius functus, Superintendentis (vt vocant) viginti, apud suos nobilis: hic Pragam aliud agens appulit, ad filium, quem in nostris habebat scholis, iam ab anno Catholicum. Rogat filius parentem, nostrum vt concionatorem audiat, &

Digitized by Google

multis precibus impetrat: audit, & videt multa se habere secus, quàm olim ipse docuerat: abit domum cæleſtem ſecum ferens laqueum: redit ſæpius, & confidentiùs, dediſcit, quæ didicerat, ac tandem magno animi robore eiurat hæreſim præſentibus nuncio Apoſtolico, Archiepiſcopo Pragenſi, legatis Illuſtriſſimis Veneto, & Florentino, inſigniq́ue Nobilitate: redditis inſuper è ſuperiore loco, ad hanc rem præparato, rationibus ſuæ ad fidem Catholicam conuerſionis. Hæc domi.

FORIS tertio ab vrbe milliario, vbi locus eſt peregrinatione celebris, centum & triginta confeſſiones exceptæ. Cœnobij cuiuſdam Superiori ſacræ exercitationes, reliquis verò religioſis de tota vita confitentibus aures datæ. Dynaſta quidam cum coniuge, familia, oppidoq́; penè integro Sacramentis donatus. Quæ demùm ſit Societatis exiſtimatio, declarat virorum principum, & illuſtrium beneuolentia, dum non modò Noſtrorum delectantur alloquiis, ſed etiam preces pro ſummis Eccleſiæ rebus obnixè expoſcunt; & liberalitate ſæpe collegij ſubleuant egeſtatem. Magnificus quidam Do. Iaroſlaus Smetziansky, Regni Cancellarij nepos & hæres, duo millia aureorum nummûm nobis ſuperiore anno legata, triennio ſe recepit daturum, iamq́ue quingentos taleros dedit. Ad templi ſuppellectilẽ acceſſerunt apparamenta Sacerdotum, & altaris æſtimata taleris quadringentis: donata & corporalia ſeptuaginta, theca elegans cum reliquijs S. Caſtuli, tapetes octo, ſex alij ſerico intertexti. Sacello verò Italico caſulæ tres cum antipendijs munus talerorum centum, & quinquaginta. Ad Societatis tyrocinium miſſus bonæ indolis adoleſcens vnus, Sacerdos vnus per quatuor vota ſolemnia Profeſſorum cœtui additus.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM CRVMLOVIENSE.

CRVMLOVII ob relictas è superiore anno pestis reliquias incertus fuit Sociorum numerus, exercitia eadem, quæ semper, fructu cõsequente non exiguo. Indicant confessiones tempore sub lege præfinito pene bis mille: ex quibus quid anni decursu factum intelligas: at vel à prima ætate omnes animi sordes deterserunt trecem deni. A Lutheri conuentu ad sacrum reducti ouile quatuordecim. Ciuis vnus ætatis decrepitæ (nonagintà numerabat annos) leuitate, an delirio Luthero subscripserat: verùm pœnitentia ductus, præmissa totius vitæ exomologesi, redijt. Cum altera tantum specie communicarunt septem, & viginti. Fœminæ aliquot imò & viri turpem flagitiorum consuetudinem cum honestate commutarunt. In damnatos cura extitit non infructuosa, duo ad supplicium profecturi hæreticum rabulam pro cõsolatore obtrusum, ceu monstrum execrati, nostri Patris operâ ad exitum vsque vti sunt: liberati è carcere aliquot, plures idem flagitarunt beneficium, & quidem vnus, qui ante septennium Societati nostræ nomen dederat, sed mox inconstantia animi pedem in limine retulit, & aratrò contempto retrò abiens vxorem duxit, qua cum vbi vix medium annum cohabitasset, ære alieno grauis in ergastulum est coniectus. Inde verò post longum pædorem, cum intercessione bonorum eductus esset fidei sponsoribus factæ immemor, vxore relicta turpiter profugit, diuina procul dubiò leuem animum vindicta persequente.

SILEO alia quorum quilibet annus est ferax. Labo-

Digitized by Google

res nostros probis acceptos esse indicat liberalitas, tum in augenda suppellectile sacra; tum in Collegij paupertate subleuanda. Prius caput illa concernunt, donata duo paria simpulorum ex argento. Argenti & auri massa pro tertio pari ad bonam magnitudinem, & venustatem, serica quoque materie sacris vestibus quatuor. Legauit & pia quædam persona omnem suam substantiam ex patrimonio acceptam Collegio: exilem quidem illam: at vt viduæ illius Euangelicæ Deo gratam, & acceptam. Ad posterius pertinet primum Magistratus Crumloviensis beneuolentia. Hic quamquam maiori ex parte religione à nobis dissidet, præstò tamen fuit cùm rebus necessarijs, tùm consilio ad pontis aquarum iniuria conuulsi, & quorundam aliorum in horto domui vicino restaurationem. Paris beneficentiæ laudem habet & Reuerendus dominus Abbas aureæ coronæ Scholæ post pestem multorum approbatione restitutæ: discipuli pauci quidem, verùm alacres & industrij: illorum duo Societati nostræ adscripti nonnulli sacris initiati, Ecclesiæ Dei suam probant operam.

COLLEGIVM COMMVTOVIENSE.

COMMOTOVII fidem acceperunt viginti: Magister vnus VVitebergæ renunciatus, pro quo dum in fide instituitur hospitij persolutum pretium, & abeunti viaticum datum. Concionũ, Catechismi (qui quater insuper in hebdomada per Quadragesimã est habitus) excursionum in pagos, & ad B. Virginem Grupnæ peregrinatione celebrem, idem fructus, qui esse solet. Peste periclitantibus secreti sunt duo:

Digitized by Google

duo: totidem in Domino requieuerunt : alter P. Iacobus VVernios Flander Coadiutor ſpiritualis externis, teſtante multorum fletu, imprimis charus. Alter Gaſparus Cyrus Tubingenſis. Pro his tres ad tyrocinium Societatis miſſi. Cenſus Collegij qui hoc triennio præſtari à ciuibus propter damna incendij non poterat, Imperatoris optimi beneficentia iuxta litteras fundationis ex Camera numeratus eſt.

COLLEGIVM NOVODOMENSE.

MORATI ſunt hoc in Collegio quatuordecim, intacti omnes percutiente Angelo viciniam. Addixit ſe Societati vnus. Concionum, ac reliquorum progreſſus qualis qualis laborantium ſolatur induſtriam. Nam lumen fidei Catholicæ acceperunt viginti, & vnus poſt graue ac inteſtinum à biennio ſecum certamen. In feſtis Dominicæ Reſurrectionis expiati 546. à peccatis totius vitæ 75. calicem deſeruerunt 19. Inualuerat peſtifera conſuetudo, qua ciues relicto paſtore proprio ad loca hæreſi occupata Sacramentorum gratiâ ſeſe conferebant: huic hac ratione itum obuiam, vt qui abſque Sacramentis à legitimo Sacerdote ſuſceptis è vita decederet, Eccleſiaſtica priuaretur ſepultura. Offendit hæc res non paucos, maximè quòd cogerentur ſuos in locis profanis ſepelire, iamque ad ſeditionem ſeſe cohortabantur: ſed rebellibus carcer dedit ſapientiam, vt iam & Sacerdotes ad ſe vocent, & Sacramentis muniti è vita decedant. Illuſtris fundatricis, & filij hæredis in Noſtros animi propenſio non modò perſeuerat, ſed augetur etiam magis. Enimuerò adiecerunt

Digitized by Google

ad Collegij prouentus annuam quamdam pensionem pœnariam: ad fundationem verò prædium, & agros ciuitati proximos, quorum valor mille propemodum taleros attingit: aucta eadem quatuor syluis cæduis, quæ copiam lignorum sufficientem perpetim Collegio submministrare posse existimantur. Pars item fluuij ciuitatem allabentis piscationi commoda nobis tributa est. Datus & vsus templi Parochialis, in quo deinceps absque incommodo Parochi res diuina peragetur: cuius rei gratia erectum est à fundamentis Sacrarium. Sex vrnæ vini, centum libræ ceræ, 150. libræ olei ad sacrificium missæ, & ad sacræ Eucharistiæ conseruationem quotannis assignatæ. Tandem centum talerorum eleemosynam præter alia, argumento liberalis animi fundatrix Collegio exhibuit.

COLLEGIVM GLACENSE.

GLACII numerantur tredecim, duplex concio, Catechesis consueta, & reliqua Societatis exercitia addiderunt Ecclesiæ nouem, quod mirum videri possit, nisi nota sit Prædicâtium Lutheranorum pertinax in malo vigilantia; qui suos à congressu Nostrorum auocant, & vt facilis descensus Auerni, non difficile in peius sponte ruentes perturbât. Qui tamen Catholici sunt tanto constantiùs iniurias ferunt, & frequentes ad diuina mysteria accedunt. Mense Iulio miles, hic erat iam in procinctu, vt ad castra pergeret; verùm vt qui Societati malè volunt, sibi, populoq; ludum facerent, inducunt vltrò currentem, vt pugnæ initium sumat à Collegio. Venit miles acie disposita præeun

Digitized by Google

præeunte tympano, & fistula: per portas præclusas viam vi facere parat, duce fabro quodam ferrario, modum quo portæ perfringi possint docente. Aditu primò vi patefacto, cùm impetus fieret in sequentem, Nostris eo magis perculsis quod videntibus Senatu, & Capitaneo res ageretur, dissimulareturque: ortus repentè inter milites rumor est insidias sibi parari: deterritus fortè concursu multitudinis nouarum rerum auidæ, quare recessit, & propalma risum vulgi retulit, & cachinnum. Illum tamen qui militi classicum cecinit, vt & alios suasores & adiutores non multò pòst vnà cum suis omnibus vis contagiosæ luis absumpsit. Ecclesiæ suppellectili accessit calix prægrandis, quem ciborium vocant, ex argento exterius inauratus, emblemate vermiculato insignis.

COLLEGIVM SELLIENSE.

SELLIA, è Residentia hoc anno accepto Rectore creuit in Collegium; in decursu Socios habuit vndecim, nunc alit 14. Grauior fuit annus præsertim animalibus, è quibus bonam partem nobis pestis depasta est. Angustiæ Collegij aliquot mansionibus ampliatæ, templum Collegio porticu iunctum, vt commodè Nostri ad sacra itare possint. Accesserunt & ædes exactis Nobilibus, inter quos templo vicinæ adolescentibus decem, præter alios tres Sacerdotio proximos, quos omnes alit Collegium, & Scholis attributæ. Has enim augere oportuit ob studiosorum frequentiam, quos primo anno numerauimus prope trecentos, modò pauciores, quòd vicina loca vastans Tartarus cursum litterarum repressit. Sed ijdem

Digitized by Google

abacto metu reueniunt, eo numero, vt ad tres Grammaticæ Classes addenda fuerit Schola Poëseos. Spectata est industria discipulorum tum in dramate, studiorum renouationi, cum præmijs diligentiæ præmisso, tum aliàs cùm Illustres viros salutarent: quos inter Comes hæreticus admiratus adolescentum in dicendo peritiam: Da sensum, inquit, ligno, & Iesuitæ docebunt ad perorandũ. Suus item pietati est locus. Vnus religionem S. Pauli ingressus: alij aliam expetunt. Fuit qui cùm ad negandam fidem minis cogeretur, vitam & corpus obtulit, retulit corpus infirmum, vitam infirmam. Nonnulli ob abstinentiam & ieiunium graues contumelias passi. Aliqui die Paraseues in templo sub noctem in corpora sua sæuierũt. Bono exemplo sunt omnibus Reuerendissimi Nitrienses alumni, quos alit omnino duodecim: habet & Ecclesia Collegiata Nitrienses suos. Confessiones vniuersè quà domi, quà foris auditæ propè octingentæ: de tota vita aliquæ: aliæ à pluribus annis repetitæ. Ab hæresi liberati quadraginta octo. Ex his milites duo Strigonij ad mortem damnati: quos vnus è Coadiutoribus nostris isthac iter agens, & ad diuina mysteria suscipienda induxit, & ad extremum munere hortatoris prosequutus est. Datus est oppido Parochus, qui nos eo munere quod hactenus exequi cogebamur, leuaret. Cathedrã tamẽ retinet Noster, è qua dum verba facit, resipiscunt plures. Ad Hungaricam cõcionem accessit sub anni finem Germanica Doctrina Catholica populo rudi tradita domi: & peregrè, quod dum vnus facit ad Ministrum hæreticum tum concionem meditantem adit, operam suam pollicetur, & tandem à tergiuersante extorquet ea lege, ne quid de Euangelio manè explicato differat, sed de differentia bonorum, & malorum Angelorum illud Apocalypseos assumat: Factum est prælium magnum in cœlo. Auditus est cum auiditate multitudinis curiosæ,

vbi

Digitized by Google

vbi si nihil aliud, hoc saltem effectum, vt homines humanitatem Societatis, & mendacia quibus Catholici ab hæreticis onerantur, agnoscerent. Pertinacior fuit alter Prædicans, qui tamen coram multis, dum necessitatem Baptismi negat infantibus, conuictus est: neque carnem, ossa, sanguinem, atque adeo substantiam hominis peccatum esse: neque quod addebat more cadauerís peccatum in terra putrescere, fuit hæc redargutio illi pudori, quem ostendit ira: alijs saluti, vt in tingendis sacro fonte paruulis diligentiam ponerent. Ad comitia Regni vocante edicto Cæsaris missi duo: quorum alter per Quadragesimam pomeridianis horis dierum dominicorum, & aliàs, vbi requirebatur, sermones habuit ad populum: vterque verò quantum licebat operæ saluti proximorum impendit. Ibi publico regni iudicio condemnati nobiles, qui sine iure ius nostrum sibi vendicabant: eorum agris, & domibus exolutis, ex oppido dimissi magna nos molestia liberarunt. Accesserunt templo donaria. Et quidam à Sereníssima Maria matre cum velis quinque eleganter pictis calices duo argentei pulchro opere inaurati. A Sereníssima Maria Christierna tertius cum simpulis duobus argenteis: à ciue Tyrnauiensi sertum gemmis intertextum: aliunde verò ad rem sacram, & librariam taleri centum, & octoginta. Renouatum cœmiterium. In Sacrario mésa affabrè facta vestibus conseruandis idonea. Exitus anni luctuosius omnino fuit ob excursionem Tartarorum mense Octobri omnia circum flamma ferroque vastantium. Constans est fama ad decem hominum millia paucis diebus in diram seruitutem abducta. Nostri diuina prouidentia & bonorum hortatu seruati omnes, & Turocij, & Posonij, duobus in Collegijs, è ciuibus amissus vnus dumtaxat, qui dum per imprudentiam Martem vrget, capitur: reliqua licet periculis exposita, sarta tamen, tectaque mansere

Digitized by Google

sère omnia. Ad primam Aduentus Dominicam Numini actæ per supplicationem gratiæ : & oppido muniendo aduersus repentinos impetus fossa bene alta, lataque, atque aggesto aggere mense Nouembri datum initium.

RESIDENTIA TVROCIENSIS.

HIC Sacerdotes quatuor cum totidem Coadiutoribus, & domi & foris munijs parœciarum ob penuriam Parochorum occupati. Excurritur dominorum rogatu, in maiores præsertim solemnitates, multorum non animarum modò solatio, sed etiam sanitate corporum. Hanc expertus Dynastæ cuiusdam (non quidem Catholici, at ob nostri de Religione prudenter institutos sermones benè affecti) aulæ Magister, qui sacra exomologesi, cœlestisque cibi medicina vnà cum coniuge è morbo conualuit. Alius vir nobilis solo Sacramentorum voto in extremis penè recreatus, & votum exsoluit, & sanitatem plenè adeptus est. Præstitum remedium Polono non ignobili, qui valetudinis ingrauescentis in thermis quæsito solatio, Sacramentis à Nostro perceptis illuc peruenit, & occasionem præbuit in plures inibi benè locandæ operæ. Extremum adolescenti duo de viginti annos nato ingruebat supplicium: is ne cum corpore, animæ amitteret vitam, laboratum à Nostris, vt qui ob peruicaciam repudiato Sacerdote in certum ruebat interitum, verùm precibus Sacerdotis ad Deum, eò adductus est, vt cum lachrymis sæpius confitendi potestatem expeteret, quæ ritè perfecta duas horas in oratione ponit, tum ad quæstiones raptus, cùm nihilo plus quàm antè liberè pronuncias

Digitized by Google

nunciasset, populi clamore absoluitur: at aliquanto pòst denuò ad supplicium repetitus, æternùm, vt speramus, euasit. Plura de rebus longiùs à domo gestis postea.

NVNC quæ domi aguntur, non quidem Societati vniuersæ, at nobis hoc in loco sunt consueta, quo pertinent variæ, nec raræ per annum sub signis supplicationes, ad auitæ fidei memoriam refricandam: quamquam vt hoc anno in singulas dominicas iterarentur, causa fuit bellum, crebra incendia, lues animalium, à qua nostrum territorium ferè immune fuit, villis vndique iam propè armento exhaustis. Addita oratio quadraginta horarum hactenus hîc non visa, quo tempore Tartari populabundi reliquam penè Hungariæ partem ingressi sunt, magna simplicioris huius populi die, noctuque frequentia: quam Scholastici non solum votis, sed etiam flagris voluntarijs in terga sæuientibus promouerunt. Superstitiones Montanæ huic genti familiares repressæ: labores partus agno cereo mitigati: depulsa spectra. Cereuisia cuidam veneficijs, an aliunde instar bituminis constiterat: ea aqua lustrali, & sale insperso restituta. Duo virtute Extremæ vnctionis à morte penè ad vitam reuocati. Generales confessiones exceptæ amplius viginti, ex ijs quatuor eorum, qui recens ad Ecclesiam adducti sunt, ad quam eò difficiliùs se adduci patiuntur, quod Prædicantes non modò auersentur, sed nominatim è pulpitis diris deuoueant, quos vel indicium orthodoxæ Religionis habere aduerterint. Exculti & duo Sacerdotes à vicino nobili missi, vt rebus spiritualibus animum apud nos prius formarent quàm primum Deo sacrificium offerrent, & munia Parœciarum susciperent. Postremò hospitalitatis munus exhibitum, non pauperibus modò, religiosisque viris: sed Prælatis etiam, ac Principibus, inter quos sereniſsimus Maximilianus, & Sereniſsima Christierna: quibus

Digitized by Google

quibus in domo nostra ad paucas horas, & locus, & prandium datum.

EXCVRSIO PRVSCENSIS.

PRVSCII expurgata superioribus annis per nostrum Sacerdotem hæresi, eiusdem necessaria hoc anno fuit opera: siquidem Parochus ipsa nocte Paschatis grauissimè secundum aurem in propria domo à latrone (cuius inuidia submissus fuerit incertum est) sauciatus decumbebat: ergo vniuersus labor humeris Patris incubuit, quem tulit non sine fructu confitentium & ad Ecclesiam redeuntium; quos inter senex fuit, qui ob deuexam ætatem oculis captus fidei lumen aspexit, & conscientiæ tenebras totius vitæ confessione depulit: Is veteribus amicis exosus in Nobilis cuiusdam Catholici benignitate conquieuit. Populi huius grata voluntas, vel ex eo apparet, quòd mense Iulio pro Sacerdote nostro, quem ægrotare inaudierat, communes ad Deum tanquam pro parente suo preces obtulerit, quas Deus exaudisse videtur, reddita eidem citò salute.

EXCVRSIO MITTICENSIS.

MITTICAE Trenchenium inter, & Nitriam Paroecia sita est quatuor constans pagis, annis iam amplius triginta Lutheri spiritu obsessa, eius administrationem adeptus D. Ioannes Madorzany auxilio Episcopi Nitrienſis tanquam ordinarij,

Digitized by Google

dinarij,populo verum pastorem pro prædone dedit, & vnum è Nostris,qui Parochi ægri vices obiret euocauit. Laboratum mense Augusto pro viribus: iacta fidei fundamenta apud agrestem populum, & hæresi penitus infectum.Multi veritatem agnouerunt, veterem religionem redijsse gratulantes: tres confessi, & pane cœli refecti:alij pertinaciores in suo errore visi. Renouata Catholicæ religionis memoria, Noster, cura relicta Parocho domum reuertit morbo affectus, tum ob Augusti calores,tum ob rerum necessariarũ penuriam. Ita enim Prædicans è cathedra ad stiuam abiens parœciam expilatam deseruit, vt ne fenestras, aut portas integras quidem reliquerit.

MISSIO DAROCIENSIS.

IN hac Missione modò duo nostri Sacerdotes agunt: quorum alter solus biennio ferè prior ibidem Caluiniano furori expositus fuit: cuius vel hoc fuerit argumentum. Inuitatus ab ægro Catholico Sacerdos per hominem Caluinisticè hæreticum,qui litteras habebat ab vno buccinatore ad alium, per cuius oppidum eundum erat, perferendas: quid litteræ voluerint probauit euentus. Nam vbi ventum ad oppidum est,comes hæreticus Patrem præcedere iubet,dum litteras concionatori tradat. Ijs perlectis: Euangelij præco sollicitare hominem ad trucidandum Sacerdotem:ille verò resistere,& se hominis innocentis interfectorem esse nolle:tantum valuit pia per iter sermocinatio,dum Noster comiti suo inter reliqua Decalogum,& huius quartum,quintúmve præceptum efficaciùs

caciùs inculcaret. Assecutus deinceps Patrem odium buccinatorum non sine auersione exposuit. Tentata cædes & per alium Nobilem, à quo duo famuli strictis gladijs ad Nostrum eodem tempore diuinas horas in hortulo persoluentem missi, sed ab ingressu horti qui patebat diuina virtute absterriti cõtumelijs iniectis recesserunt. Similes tamen conatus Capitaneus Cæsareæ Maiestatis vir Catholicus nonnihil compescuit.

VTILITAS quæcumque est, peregrè in decursu posita est: ieiunia, festa, confessiones mirum quantum populus hic Caluinisticus horreat, adeò libertati carnis assuetus à puero. Matrimonia Prædicantes vænum exponunt: nullum tam ratum est, quod accepta pecunia non dirimant: nullum tam irritum, quod non confirmêt: quod malum præcludit viam plerisque ad Ecclesiam. Rerum diuinarum mira ignorantia, vt abolitis per hos Iconoclastas imaginibus, si pendentis è cruce Christi ostendas iconem, alij, quid rei sit, ignorent, alij ligneum Papistarum Deum esse dicant. Redierunt tamen ad Ecclesiam inter tot Prædicantium maledicta, quæ in Catholicos circumsonant octoginta: quorum duę mulieres, altera iam agens animam confessa est: altera desertrix tori ad honestatem traducta. Tres item senes: primus iam plures dies derelictus, tandem Nostro infirmos quęrenti, extremo cum morte luctamine oblatus, cum peccatorum venia catholicè discessit: alter actus desperatione, quamuis morbus inhiberet, fugit tamen in agrum, vt Sacerdotis vitaret conspectum: sed reductus deposita perfidia, & graui in proximum odio tranquillitatem recepit. Tertius demũ cũ post latrocinia, cædesq; malle se mortem æternam diceret, quàm confessionem, acceptis sacramẽtis cum corporis incolumitate sanam mentem induit. In exequijs Comitis cuiusdam Catholici habita concio magna procerum frequentia, in ea D. Ioannis ver

nis verba: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: qua Catholicis spes addita, hæreticis metus. Res ad Magnatem eius Prouinciæ insigniter hæreticum delata, adeò eius animum exacerbauit, vt diceret neminem ex eo numero fuisse virum, qui Catholici Sacerdotis dicendi libertatem, aut voce, aut ferro repressisset.

MISSIO NEDEZENSIS.

DOMINVS Daniel Pongratz illustris nobilitatis annos plures Nostrorum opera vsus, domum Nedezi in comitatu Trenchinensi destinarat, quo ipse cum coniuge, familia, & è vicinia etiam alterius Dominij paganis ad res diuinas conueniret: augebatur sensim numerus auditorum ad quos propalam verba facere numinis beneficio aliquando licuit. Oppidum est Varina passibus Nedeso bis mille in duos fratres Catholicum, & hæreticum partitum; præcipuum ius est Danieli Catholico, nempe seniori: ibi parœcia opima; sed annis iam triginta Lutheri cœno fœda. Excesserat proximè è vita Prædicans, cui extemplò in tanta Pseudo Apostolorum multitudine contra ius, fasque subrogatus alius: ferijs Paschalibus nouus Minister facundiæ daturus erat experimentum: confluebat certatim vel temporis sanctimonia, vel nouitatis studio multitudo, quam ex editiore loco conspicatus, & miseratus Noster, ad spectaculum euocato D. Daniele: En, inquit, quanti isthic etiam ex tuis ad perniciem, & æternas tenebras properant? nos interim cum lumine in angulis delitescimus, & tamen primum illius loci ius tenemus. Non surdo dictum: properè conscenso equo,

Digitized by Google

ſtipatus ſatellitio Varinam contendit, & templum per refertam ingreſſus turbam, ad buccinatorem neſcio quid tum magnificè crepantem: Heus tu, inquit, latrare deſine, quis enim te hoc vt agas aduocauit? an ego primarius huius & oppidi, & ædis hæres non ſum, ac dominus? Obmuteſcit ad iſta ille paulo antè facundus: è populo hi ſtupent, & mirantur, illi diffluunt, alij indignantur: frater præſertim cum aliquot nobilibus: poſtremò cum iurgio diſceditur. Iuſſi oppidani ad conditam diem quæ erat proxima Dominica reuerti, Catholicum Sacerdotem audituri confluunt fruſtra: nam per vim ab ædis curatore abreptę claues. Edictum interim, vt omnes domeſticũ Sacellũ rei diuinæ cauſa in poſterum accedant, niſi malè multari, & fortunarum pati iacturam velint. Res deinceps variè acta: hæreticis in Prouincię iudicijs (Sedem appellant) pro arbitrio cauſam decidentibus: reſiſtente verò fortiter Daniele, vt quibus in negotio Religionis nihil eſſet iuris, neque conſtaret iudicium vbi idem eſſet accuſator, & Iudex; Catholico verò fratri germano ad tribunal Epiſcopi Nitrienſis, cuius Diœceſi parœcia ſubeſt, diem dicẽte; Triumphabit, vt ſperamus, cauſa, in qua Dei agitur gloria. Nam quamuis Magnates Lutheranum Prædicantem iniecerint; fracti tamen ſunt eorum animi, qui quiduis ſubeant facilius, quàm coram Eccleſiaſticis, quibus ſumma eſt in Regno auctoritas, cauſam dicant. Dum Noſter felicem rei exitum præſtolatur excepit confeſſiones quinquaginta, data publicè Euchariſtia, idem expetentibus amplius ducentis; cœnas, diebus ieiuniorum quæ inoleuerant, abrogat. Feſtis, quæ ad meridiem modò celebrabantur ſuam ſolemnitatem, Angelicæ verò Salutationis pulſum iam olim intermiſſum reſtituit: capitales inimicitiæ inter nobiliſſimos coniuges ſedatæ.

INCREBVIT latè Catholicæ religionis hoc breui

breui ſpatio fama: adeò vt tres pagi Domino hæretico ſupplicem dederint libellum, quo & Catholicos Sacerdotes petebant, & de ſuis Prædicantibus querebantur, quòd priſcos ritus aboleant: præſertim verò quòd Beatiſſimam Dei genitricem ore ſacrilego meretricem appellare audeant. Habiti ob has preces ſeuerè à Domino, perſiſtunt tamen, & modò clam, modò palam Noſtrum adeũt. Vigilat interim & Pſeudoparochus poſt carecta, & quorum non poteſt eſſe vindex, fit accuſator. Relatus eſt aliquis ob laudatam impenſiùs veterem Religionem, & carceri mancipatus: poſt datas ſufficientes, vt arbitrabantur pœnas, dimittitur: ille à carcere rectà ad Sacerdotem animam carcere ſoluit, & liberatorẽ Chriſtum publicè accipit. Noua occaſio criminis apud Dominum in hominem crudeliùs ſtomachantem. At ille, En Domine: inquit, ſeu bona, ſeu caput, ſiue malis vtrumque Lutheranus ampliùs non ſum, Catholicus morior: dedit libertatem homini conſtantia. Alter inconſtantior, fuga, ne eiurare fidem cogeretur, ſibi conſuluit. Verùm & alio criminator, quo plures haberet reos, vſus eſt artificio: Catholicos omnes, quos ſuſpicabatur in ſacrarium includit, Lutheranam confeſſionem fateri iubet: præit, nemine ſubſequente, vrget omnibus obſirmatè tacentibus: iram minatur Domini, illi contra ſe pariter habere, quorum eum apud Dominum accuſent. Hic malè conſcius innocentes à ſe dimittit. Ad hanc populi conſtantiam hoc addo, quod cùm nobiles plerique duodecim florenorum mulctam edixiſſent, ſi quis ad ſacra adiret, eodem, & Dominos adduxerunt, & liberam ſibi veniendi poteſtatem impetrarunt. Vir erat locuples, qui vt ſuos à Noſtro auocaret munus ſuſcepit è Poſtilla concionatoris: ſed contentus à Patre ſe cum ſuo auditorio ipſi erudiendum dedit.

COETERVM hanc Miſſionem impetraſſe viden-

Digitized by Google

tur boni ſenes, qui renouata religione Salutare Domini videntes in pace emigrarunt. Ex his bonam partem vnus egerat in hæreſi: ſed properans ad mortem relicto hæretico noſtrum accerſiuit Patrem, munitusque Sacramentis deceſſit. Annus centenaria viginti annorum (tot fluxerant à pulſis Sacerdotibus) facta confeſsione cum cœleſti viatico læta reuixiſſe fidem, perrexit ad Dominum. Alteri votum ſacramentorum priuſquàm Sacerdos aduenireț, viam ad cœlum præbuit. Nec defuit qui dum ſe ad extremum communiret certamen, cum animæ ſalute inſperatam corporis reciperet valetudinem.

COLLEGIVM LABACÈNSE.

LABACI duplex nobis fuit periculum: alterum ab hæreſi: à peſte alterum. Hæreſis mater ſeditionum, quamquam in omnes Catholicos; in nos tamen præcipuè infœlicem ſuã prolem concitauit: vtpote quos auctores credidit, & hortatores Archiducis Ferdinandi in exturbandis poſt quinquaginta demùm annos, quos hîc graſſati ſunt, buccinatoribus. Pertinax admodũ eſt hoc malum, vbi ſemel inualuit: ita poſt pulſos Miniſtros nihil erat, ſiue Nobilitatem ſpectes hæreticam, ſiue ciues, quod non eſſet turbatum, & ſpirans minarum. Nam illi quidem non Catholicis modò infeſti: verumetiam Principi rebelles, Prædicantes in arces ſuas acceperunt: hi verò aperto acti furore, & munus rabularum in concionibus viliſſimi quique ſuſceperunt, & nihil non mali, quod Catholicis inferre poterant, intulerunt. Tempeſtas in Noſtros erat huiuſmodi. Conuenerat quibuſdam Collegium innadere,

Digitized by Google

tadere, quotquot essent Societatis occidere, & in profluentem proijcere : iamque in angulis per ciuitatem armati, quin pro ipsis Collegij foribus constiterant, vt præter ipsam cædem nihil deesset : tum monentur per amicos, cauerent armatorum insidias. At Nostri nil tale paulò ante veriti, luminaribus tota nocte per domum relucentibus, in eam aduersarios pertraxerunt opinionem, vt arbitrarentur externa illos Italorum adsciuisse auxilia, quare in præsens destiterunt à cœptis. Initur aliud patrandæ cædis consilium, nò nostro solùm, sed etiam aliorum detrimento. Meditabantur incendium, vt eo in concursu subitò Nostros obruerent : res iam pluribus innotuerat, cùm ecce in vicinia proximè nostras ædes flamma exoritur: ibi concurrere amici, fugam meditari, incendium apud nos, atque ab ijs quibus id erat propositum factum esse rati. Vestigabatur iam aditus ad nostram domum: at lux tenebriones eodem, quo antè modo à proposito auertit.

ALTERVM malum pestilentiæ totam penè Carniolam vexauit. Et Labacum quidem ad veris initium rure redijt, quo hyeme superiore excesserat, tantisque aucta est incrementis, vt hìc quidem non plures trecentis absumeret; at foris tam multos, vt quibusdam in locis agri non haberent, in quorum falces maturas segetes deponerent. Ad hoc periculum secesserunt Magistratus: quæ causa fuit, cur hæretici, & Prædicantes impuniùs ad ipsam vsque vrbem baccharétur. Nostri ob luem dispersi quidem, intacti tamen omnes duo solùm è fratribus rei domesticæ adiutores, diuturnis morbis conflictati, diem suum obiêre. Adfuit tribulatis nihilominus à Diuino Numine solatium. Nam hoc anno apertè omnes hæretici è Senatu moti, & Catholici substituti sunt: quos vt haberent, opportuna fuit quinque familiarum recens ad fidem conuersio. Concio Germanica in templo, quan-

Digitized by Google

uis Scholæ,& Catechiſmus deſinerent , intermiſſa nunquam.Numerum confitentiũ non perſcribo,qui quantus fuerit colligi poteſt,tum ex periculo peſtis,cui quo quis propinquior tantò ſuæ ſalutis eſt ſtudioſior : tum ex Iobileo,quod Epiſcopus Labacenſis ſuæ diœceſi à Sanctiſſimo Clemente VIII. impetrauit.Trium matronarum illuſtrium illuſtris fuit præ reliquis conuerſio , quarum vna diſſolutis Lutheranorum à Noſtro argumentationibus,contempto patrimonio,ſuorumque odio,fidem amplexa eſt Catholicam.Altera non multò poſt quàm nuncium Luthero remiſiſſet , in ſummis doloribus inſigni patientia in viuis eſſe deſijt. Eius exequiæ ſtudioſorum Noſtrorum numero,& concione celebratæ : qua ſublati ſunt quorundam è vulgo ſermones maleuoli, qui diuinitùs ob deſertam religionem punitam eſſe dictitabant. Tertia ſplendore natalium non inferior; ob perſecutiones propter fidem etiam ſublimior. Duos alebat in noſtris Scholis filios ; qua re adeò nobilium in ſe odia exacuit, vt filium alterum, dum ad Scholas duceretur , vi currui impoſitum,ad arcem quandam abduxerint , ipſique matri poſtea ſtruxerint inſidias. Nam nihil metuentem die Dominica in arce,in qua degebat, inuadunt,immanitate ſumma vinctam concludunt in carcere,nec ab ipſis quoque tormentis abſtinent. Verùm hæc omnia fidem eius probarunt quidem,ſed non ſuperarunt. Acceſſit quoque templo munus in calicibus, & veſtibus ſacris à Sereniſſima Archiduce Maria matre,quingentis aureorum nummis æſtimatum. Reliqua quæ communia ſunt, prætereo : vt etiam ſtudium officiumque Noſtrorum deſperatis penè rebus pro tuenda parte Catholicorum adhibitum , fructu labori , conatuique egregiè reſpondente , quem diuina Bonitas augere , conſeruareque dignetur.

COL

COLLEGIVM OLOMVCENSE.

OLOMVTII anni principio fuêre 46. pauciores postea, vbi pestilentia non secus quàm pleraque alia loca vrbem affligere cœpit. Nam ex ijs amplius viginti relicti in Collegio, cæteri vt periculum euaderent ad loca tutiora missi sunt. Hac in re magna fuit Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis in Societatem beneuolentia, quorum beneficio arx Episcopalis Kelzscium Societatis personis concessa, in qua aliquot hebdomadis hæsêre duodecim, ita commodè, vt sua exercitia studiorum, & spiritus non secus, ac si in Collegio essent obierint: conuictoribus verò in oppido Budisconia domus Prætoria designata, quibus cum tres è Nostris publicis concionibus, & sacramentorum administratione plurimum oppidi ciues sibi deuinxêre. Conuictoribus vti tempore recessus, nec disciplina nec pietas defuit: sic nec studia, exercitationes quotidianæ, pro varietate auditorum, & classium. Nouembri mense apud ipsos renouata studia cum diligentiorum promotione, & præmio. At verò ijs quos domi remansisse diximus, quo maior fuit ciuitatis luctus, & vastitas, eo maior oblata est occasio de ciuibus bene merendi, qui suos vix spirantes inter brachia ad Nostrum trahebant templum sacris mysterijs muniendos. Deerat videlicet iam Parochorum opera, tribus Sacellanis, & Parocho vno defunctis, & altero grauiter decumbente, segregatus ad hoc potissimum Sacerdos vnus, quotidie ab exorto sole ad occasum ædes funesta contagione infectas oberrauit, confessiones excepit, morituros solatus est, sanus sem-

Digitized by Google

per, & incolumis. Cum verò passim multi pauperes, & peregrini in plateis, portis, aliisve ciuitatis, & suburbij angulis, omni solatio, & auxilio destituti iacerent, ac in sola laterum officina ad ædem S. Crucis, 73. circiter infirmi vnâ decumberent, qui partim peste, partim fame conflictarentur, actum cum ditioribus ciuibus per Nostrum, vt miseris eleemosyna subueniret, quæ admonitio, crebræque concionatorum è superiore loco exhortationes tantum effecêre, vt data per pios homines proprijs manibus eleemosina centum quinquaginta taleros attingeret. Abstulit hæc lues hominum millia quatuor: singulari tamen beneficio Collegium vix attigit, vnico P. Guilhelmo Dretschaff excepto, qui dum sacris concionibus plebem institueret, & in excipiendis confessionibus assiduè versaretur, hausto veneno pestis, repentinò extinctus est, post annos in Societate vnum & viginti magna sanctitatis, & doctrinę laude peractos. Obijt & P. Tobias Prochelius quatuor votorum professus, cui lenta tabes finem attulit ipso D. Frăciſci die, quem Extremæ vnctioni præfiniuerat. Tentati sunt varijs morbis plures alij, vt nempe difficili hoc tempore non deesset, illis quidem patientiæ, alijs verò charitatis exercendæ occasio.

SCHOLAE anno priore sine solemnitate publica, auditorum tamen nobilitate, & frequentia inchoatæ ad medium ætatis dimissæ sunt, qui decurso Philosophiæ stadio Magisterij lauream spe conceperant, eadem frustrati: multi adolescentes insignes, qui animum ad Societatem adiecerunt, ob retardatum tot malis P. Prouincialis aduentum dissipati. Vnus maioris desiderij P. Prouincialis legens vestigia voti compos effectus est. Verùm quis fuerit toto anno animarum cultus exponendum. Et præsertim quæ foris sæpe apud Proceres & Prælatos ad animarum salutem acta sunt, domi consueto maior fuit confitentium, & communicantium numerus, ita vt generales

Digitized by Google

rales ducentesimum excesserint. Fœminæ ad partum graues à multis milliaribus Sacramentorum causa huc se contulerũt. Statuta inter coniuges pax. In carcere constitutis, & supplicio adiudicatis datum solatium. A diuersis hæresibus redierunt circiter septuaginta, ad alteram speciem centum, & duodecim. Vir erat nobilis pene sexagenarius eruditione, & opibus inter Morauos clarus, secta à prima ætate Thaborita: is postquam cum diuersis Societatis nostræ Patribus pluribus iam annis variè de rebus fidei controuersis contulisset, nec tamen veritati cessisset, peste correptus vltrò pridie mortis magna ciuium admiratione ad templum nostrum venit, vbi hæresi, & peccatorum totius vitæ sarcina cum lachrymis depositа cœlesti epulo inspectantibus omnibus refectus est. Testamento verò cautum reliquit, ne filius, qui superiore anno Ecclesiæ nomen dederat in conuictus nostri disciplinam receptus, alibi quàm vel in Societatis nostræ scholis, vel ijs Academijs, quas Societas ipsi præscriberet, studia absolueret. Legauit & pauperibus ordinariã in annos singulos eleemosynã Nostrorũ arbitrio distribuendam: etsi fortè filius ante pubertatis annos vita excederet bonorum omniũ conuictum hæredem esse voluit. Ex ijs qui veritatẽ acceperunt fidei, fuit & famula ciuis hæretici nescio quo casu infelix, dæmonis hospita facta, quæ cùm à domesticis nec verbo Lutheri ad saniorem mentem reduci, nec vi contineri posset, ita vt perpetuæ adhibendæ essent custodiæ, ne vel alijs damnum inferret, vel seipsam in flumen præcipitem ageret, accersitur vnus è Nostris, vt ritu, medijsque Catholicis à maligno spiritu ancillam eripiat. Adfuit Energumenę Pater, ac post multas preces, crucis sacræ, lustralisque aquæ remedia blasphemas retulit voces, & opprobria. Sedato tamen aliquando patientia furore, annuit bene monentibus, atque conscientia Patri detecta Sacramentum Eucharistiæ accipit, moxque à

Digitized by Google

molesto liberatus hospite. Apparuit deinceps sæpè malignus spiritus variè tranformatus: verùm detectis fideliter confessario tentatoris machinamentis, ab importuno hoste quietem consecuta est. Quod ad templum attinet, hoc anno varia preciosaque suppellectile auctum est. Vir magnificus vxoris voluntati satisfacere cupiens numerauit templo nostro taleros trecentos. Et hæc quidem Olomutij.

DOMVS PROBATIONIS BRVNENSIS.

BRVNAE numero plurimum 70. sed eorum, vt notum est, duplex ordo, Veteranorum, & Nouitiorum. Illis in labore cum cæteris Collegijs conuenit. Nam & scholas habent, & in multorum salutem concionibus audiédis, confessionibus, Nosocomiorum, Xenodochiorum, & carcerũ visitatione, varia ad diuersos excursione libẽter simul, ac vtiliter occupantur. Cuidam hydropisi tumenti confessio, & communio, alteri ægroto Extrema vnctio incolumitatẽ dedit. Ecclesiæ redditi pene 50. quos inter primas ciuitatis cum coniuge, & ferè tota familia, cuius quò maior est auctoritas, eò exemplum ad imitationem illustrius. Ad communionem vnius speciei sunt inducti decem. Tyronibus accesserunt hoc anno quatuor supra viginti, sedecim post experimenta Societatis ad Collegia missi. In omnibus Dei, & Societatis elucet amor, si tamen celebriora audire placet, hæc sunt.

MATER vidua filium in Probatione habebat vnicum, de cuius vocatione dubia per litteras, & nuncios, ac tandem coram deprecata est, vt de statu suo voluntatem Dei diligentius perquireret: at filius iuramento se in

ea

Digitized by Google

ea ipſa, quam elegiſſet Societate viuere, ac vitam finire velle teſtatus eſt, animumque maternum ſua conſtantia ita immutauit, vt fuſis præ gaudio lachrymis filio, & diuinam benedictionem, & ad finem perſeuerantiam à Deo precaretur. Duos pono ſimul (quia ambobus eadem vocationis ratio: ambo enim diuino renitentes inſtinctui, maiore victi gratia periculum euaſerunt) alter quidé cùm duarum hebdomadarum ſpatio ter à morte præſenti, ſemel quo minus effoderet oculum præſeruatus fuiſſet: alter ob nuncupatum, nec tamen ſolutum de ſuſcipienda religione votum graui morbo vltioné diuinâ perſenſiſſet. Faciliores alij duo, quorum vnus vehementi affectus ægritudine, votum emiſit, ſanitatem adeptus eſt, Chriſti iugum lætus in Societate ſubiuit: alter apud Principem à proprio parente inobedientiæ accuſatus, triduanis vexatus carceribus, ſi forte præ religione aulam eligeret, ac demùm bonorum precibus liberatus, poſt ſecutam breui parentis mortem, optatam ad ſalutem in Societate viam arripuit. Rogatus à magnifico viro quidam, vt Hieronymi Plati de bono ſtatus religioſi librum Latino in Bohemicum conuerteret, qua in occupatione ita religionis amore captus eſt, vt tanti boni, quod ſcribendo meditabatur, ſe primum participem eſſe exoptarit: receptus eſt in reliquorum numerum, inter quos perſeuerantiam bonis indiciis pollicetur. Vnum adhuc hic reddam, eo maiori forte dignum admiratione, quòd à parentibus ad eam vitam ſit animatus, ad quam alij ſuis liberis aditum præcludere ſolent. Iuuenis fuit Catholicis ortus parentibus, ab iiſdem ſæpius admonitus, vt ſe Deo religioſè conſecraret. At verò cui liberum fuit, quod proponebatur eligere, magiſque placeret libertas, neglecto parentum conſilio, ipſis etiam litteris nuncium remiſit, magiſtrumque à quo mechanicam artem diſceret elegit. Moritur interea mater, ac biennio poſt quam vltimum obiiſſet diem intempeſta

Digitized by Google

tempesta nocte quiescentem filium aggreditur, candelam accensam manu præferens, lachrymas vberrimas effundens: inuasura natum nisi restitisset furibundæ auia, quæ iuueni cum familia subsidio venire visa est. Ad hæc tamen non modò non est territus ille, verùm etiam minas contemnens matris, in risum solutus, candelam quam manu gerebat excutere nitebatur. Cui mater: Tùne lumen hoc mihi eripies? Ad hoc certamen euigilat adolescens, plenusque formidine quàm primum potest auiæ quod per quietem viderat exponit. At illa candela, inquit, accensa matrem in Purgatorij pœnis detineri demonstrat, cui per tuum in religionem ingressum liberationem, salutemque impetrare poteris. Ita ille inter Religiosos ordines Societatem præ cæteris elegit, in qua diuinis consolationibus ab eo tempore frequentiùs recreatur. Porrò quamuis illud sit proprium tyronibus, vt in mores Societatis formentur, interdum tamen, ad formandos rudiores, & iuniores domo mittuntur, quod fecerunt per totam hyemem in pagis numero decem. Ibi præcipuum [illegible]modum precationis, articulos fidei, vsum confessionis, & communionis exponere, & quæ pietatem concernunt ad populi captum explicare. Sublatæ sunt in hoc studio consuetudines quædam malæ, bonæ introductæ: præsertim verò perpotationes, ad quas rudis populus à labore vacuus diebus festis, temporis fallendi gratia conuenire solebat. Qui singulis Dominicis ad hanc doctrinam accedunt, numerantur ferè sexcenti.

NOVI templi fabrica egregiè assurgit, vt mirentur omnes vno anno tantam molem à fundamentis erectam: ad celeritatem iuuit Magnificæ Dominæ Helenæ de Thovvar munificentia, quæ hoc anno promissioni suæ mille quingentos taleros addidit, cum anno superiore centum supra quatuor millia dedisset. Primus lapis pro fundamento turris positus est 21. Martij, ad cuius perfectionem

Digitized by Google

ctionem Barones aliquot subsidium dato chyrographo promiserunt. Sacristia rebus preciosis aucta est. Bibliotheca nouis libris, quorum precium ducentos taleros ex elemosyna acceptos excedit. In pagis nostris duo ruinosa templa restaurata. Illustrissimus Dominus Franciscus à Dietrichstein Cardinalis, & Episcopus Olomucensis, vt felicius regimen auspicaretur, indictis per diœcesim ieiunijs, solemni supplicatione, & 40. horarum precibus, in Cathedrali S. Petri Ecclesia à Deo flagitatum est. Adfuerunt precationi nostri Patres cum Nouitijs, non sine commendatione, quod singulis horis quatuor in loco, alioqui à domo sat dissito, adesse nisi sint. Accepimus opportuna occasione statuam S. Petri ligneam eò libentiùs, quòd vna sit ex ijs, quas vir quidam nobilis ad voluntatē vxoris hæreticæ olim templo exturbarat, non sine vindicta Numinis. Vxor enim quæ per risum statuas aures habere dicebat, & ora, nec tamen audire, aut loqui, omnes proles, quæ etiamnum viuunt, surdas, mutasque peperit: sed de his alijs annalibus dictum est.

NARRABO ad finem quod iure triplicis loco miraculi sit, triplex beneficium intercessione B. P. N. Ignatij vni è Nostris collatum, quod ille ipse qui accepit, ita suadentibus, ac volentibus Superioribus, scripto consignauit. Docturus erat is, de quo loquimur, Superiorum voluntate Poësim, quod dum perficere impensiùs cogitat, periculoso anni tempore (October erat) pernicioſa febri correptus, dolore capitis adeò diuexatus est, vt necesse fuerit eum à cæteris, ne morbi contagione inficerentur separare: Iam verò phantasmatis penè continuis occupatus delirabat, somnum ad multas hebdomadas vix vllum capere poterat. Febri verò ardebat ita graui, vt cibus omnis desiperet, fastidiret omnia. Humanis ergo destitutus remedijs placuit, Superioribus, vt ad diuina se conuerteret: legebantur Nostris miracula, quæ Deus per

Digitized by Google

B. P. N. Ignatium patrauerat, visum est vti & ægroto B. P. N. Ignatij afferretur imago: allata fuit illa vnâ cum appositâ subscriptione propria ipsius manu expressâ, quam vbi exosculatus fuisset, spe valetudinis concepta, mirabiliter simul, ac celeriter deficiente morbo recreatus est. Laborabat non multò post dolore capitis aliquanto, grauiore, subijt desiderium osculandi eo, quo prius modo sancti Patris cum effigie subscriptionem: quod vt fecit malum capitis quod patiebatur sensim absceſſit. Tertiò demùm, cùm lento languore membra conciderent, vt nullum prope illorum haberet vsum, neque sedere posset, aut cubare, ad consuetum recurrens patrocinium, petiuit sacræ imaginis, & subscriptionis B. P. Ignatij osculum, quo molestus ille languor illo pene inscio euanuit. Insigni ergo in suum, Societatisque parentem, fiducia, & Numinis beneficio paulatim resumptis viribus, & formare gressus cœpit, & incolumitatem pristinam recuperauit.

MISSIO MEZERICENSIS.

MEZERICIVM ciuitas est penè ad fines, qua Bohemiæ Morauia coniungitur, à duobus fluuijs, quibus in vnum concurrentibus vtrinque clauditur, paululum deflexo patrij sermonis vocabulo appellata, non quidem præcipuis huius Marchionatus annumerata, populata tamen, & in primis ob hæresim hactenus celebris, nam cui alibi sectam suam tutò profiteri non licebat, huc se tanquam ad asylum perfidiæ conferebat. Mag. D. Ladislaus Berka supremus Morauiæ Camerarius, Catholicæ amans religionis, duos

è No

è Noſtris obtinuit, quorum opera ſeductis infeliciter hominibus in ſua ditione prouideret. Adeò enim Catholicæ veritatis memoria oppreſſa erat, vt præter vnam, alteramque imaginem, quæ priſcam fidem refricaret, non eſſet veſtigium. Atque vt illud etiam quod reſtabat penitùs tolleretur, Senator quidam inter Magiſtratus primus cum tribus ſimilis farinæ ducibus coniurauit. Res acta in hunc modum eſt. Obſeratis templi foribus qui è quatuor iconoclaſtis ædituum egerat, admotis ſcalis trabem conſcendit, quæ ſacram Crucifixi imaginem ſuſtinebat, & populo venerandam proponebat: deijcit primò B. Virginis effigiem, & S. Ioannis, tum ſacram crucem trabi fortius inhærentem ſecuri ſucciſam, velut inſanus deturbat: alij ne nihil agere viderentur ferra in tres diſſecant partes, atque malo ædis curatori flammis abſumendam tradunt. Nondum perfectum erat quod moliebantur opus, ecce tibi vnius vxor fœmineo vlulatu forum replet, internas anguſtias, & viſcerum dolores queritur, atque tandem grauiſſimis quaſi fatigata cruciatibus ad ædes principis illius Iconoclaſtæ conſidet. Ibi rei nouitate exciti, ad ædem ſacram accurrunt, clauſas concutiunt fores, malefactorem euocant, rogantque vxoris miſerè eiulantis miſeretur. Ille quamuis nihil territus vxorem adit, quæ cruciatuum quodammodo immemor execrandam dumtaxat mariti iconomachiâ deplorat, & ad extremum obteſtatur, ne demoliatur id quod maiores poſteris ad memoriâ excitaſſent. Sed hominem malè pertinacem nec ſui miſeret, nec vxoris. Ad facinus ergo redit, quod cum ſocijs inchoarat, cum ijsdem proſequitur. Reſiduum è ſacra cruce ſecandum erat adhuc, ſed repentino tremore membra ſtupet, vultus nigrore ſuffunduntur, malefactores viribus deſtituti conquieſcunt. Tùm quaſi curatis corporibus accenſis mutuo animis cœptum peragunt, & abſoluunt ſcelus.

Digitized by Google

scelus. Verùm qui sacratissimæ Passionis memoriam ferre non poterant, nec Deus diu tulit sacrilegos, nam breuissimo tempore tres mortem subiêre cadaueribus adeò fœdis, vt omnes iudicarint iusto Dei iudicio fuisse castigatos. Vt verò ad hoc hæreticæ perfidiæ malum huius loci incolæ peruenirent, iuuit excitatum celebre satis gymnasium, pro quo noui Professores VViteberga euocati facilè fauentem carni doctrinam disseminarunt. Huc igitur Aprili mense duo è Nostris missi sunt vt altè radicatam hæresim euellerent, euius euellendæ prima inita ratio est, si matrimonium contrahentibus Sacerdotalis denegaretur benedictio, nisi prius ritè confessi sacra Eucharistia refecti fuerint: quod Decanus, & Nostrorum, & Religionis amans constanter simul, & feliciter prosequitur: tum sine spirituali viatico decedentibus sepultura in loco sacro: non confessis verò campanarum pulsus negaretur qui publicis flagitijs notati morerentur, ne hæretica quidem digni sepultura ad loca profana abijcerentur. Concionibus quas vnus è Nostris in ciuitate facit, alter verò in pagis, respondit fructus. Nam confessiones hoc semestri auditæ ducentæ quinquaginta tres: quarum centum, & duæ fuêre generales. Recens conuersi magna tranquillitate animi risus, & iniurias ferunt. Nobilis quidam Magnificus, Nostri zelo adductus, duo templa sui dominij olim ab Hæreticis violata, aqua, quã Gregorianam vocant, in sanctitatem restitui passus est. Eiusdem Magnifici opera tres paroeciæ, Ecclesiæ Catholicæ sunt redditæ. Erecta domi tria noua altaria ijsdem quibus ante fuerunt locis, quæ à virginibus, & matronis recens conuersis suppellectili pretiosa ornantur, & vestiuntur. Crucifixi, aliorumque Sanctorũ statuę comparatæ: maius altare emendatum, insigniq́ue imagine Beatissimæ Virginis decoratum. Cãtus vernaculę linguæ hæreticus à tẽplo amãdatus, imo & à domibus inhibitione

Magni

Digitized by Google

Magnifici, cuius neglectores dederunt pœnas. Tres grauiter infirmi post sacræ synaxis sumptionem in pristinum vigorem miraculosè restituti. Multum promouit nostros conatus Illustrissimus Nuncius, & Apostolicus ad Imperatorem Legatus, qui aliquantisper hic subsistere voluit, publiceque sacrum Missæ officium ad nouorum Catholicorum consolationem peregit: sacram insuper indulgentiam, benedictionemque Pontificiam omnibus præsentibus liberalissimè est impertitus.

COLLEGIVM CLAVDIOPOLITANVM, IN Transyluania.

TERRORI nobis fuit simul, & dolori, primum Sereniſſimæ Mariæ Christiernæ abitus è Transyluania Catholicis, hereticisque luctuosus, deinde trium Principum quos hoc anno habuimus incertus dominatus, quibus perturbationibus Societas quidem afflicta est, sed non deiecta. Nam cùm Sereniſſimus Sigismundus Illustrissimo Cardinali Andreæ Battoreo principatum traderet, Collegium nostrum Albæ Iuliæ anno superiore hæreticorum factionibus dissolutum, summo omnium ordinum consensu, magna Societatis commendatione restitutum est: septem omninò mensibus à quo fuerat decretum, vt disturbaretur. Schismaticus verò Princeps Michael Vaiuoda, vbi nomine Cæsareæ Maiestatis Transyluaniam occupasset, nec esset aliquis, qui non formidaret, Societatem tamen nostram benevolè complexus est, & Superiori Collegij dixit palam, se Nostros contra omnes aduersarios protecturum. In hac Vaiuodæ irruptione Illustrissimus Car-

dinalis vigesimo octauo Octobris primum victus, post 31. eiusdem à rusticis in fyluis, Moldauiam petens, interfectus, postremò 24. Nouembris in Comitijs eo, quo per tempus licebat, honore sepulturæ datus est. Sacrum Missæ officium peregit Reuerendissimus Episcopus electus ipse Illustrissimus Michael Vaiuoda & facem more Catholico prætulit, & officio interfuit. Valetudo Nostrorum tentata est variè, vnum tamen Ioannem Leymberer, virum obedientiæ virtute insignem, strenuum Societatis operarium vis morbi abstulit, reliqui, quorum Claudiopoli sunt 28. Albæ Iuliæ 5. munia Societatis alacres obeunt, non sine multorum salute. Sacræ conciones in populi frequentia habentur duæ, Hungarica, & Germanica, docetur Catechismus. Centum sexaginta duo veram pro perfidia acceperunt fidem. Adulti sacro fonte abluti sunt quinquaginta nouem, ex quibus Turcæ quinque. Confessiones frequentiores quàm aliàs: totius vitæ ducentæ. Vni fœminæ periculosa laboranti febre confessio remedium attulit. Duo studiosi confessione & Agno cereo spectris, & dæmonum terriculamentis liberati. Quidam Arrianæ hæresi vale dixerat, sed hæreditatis amore Arriani fratris opera ad ingenium, & perfidiam reuersus, sensit illicò diuini numinis iram. Nam in grauissimam ægritudinem incidens, humano destitutus remedio, non prius à morbo recreatus est, quàm ad Ecclesiam animum adiecisset: quod vbi fecit, metu mortis liberatus, ad pristinam valetudinem redijt.

EXCVRSIONES præcipuæ factæ sunt duæ. Altera ad Magnificum Dominum Christophorum Kerezturi singulare non Societatis modò, sed Catholicorum omnium præsidium, qui post aliquot mensium afflictam valetudinem, æquo animo toleratam moriens, & animam, & cum coniuge filiam Societati commendauit, vt quandoquidem (ita fatebatur) filiam Societatis

Digitized by Google

tatis precibus à Deo accepisset, eadem Societatis consilijs educaretur. Clausit piè diem vigesimo octauo Maij, cui Societas concione, & studiosi sua præsentia iusta honorificè persoluerint. Altera ad virum nobilem, Catholicum, & Societatis amicum, cuius coniux frustra obnitente matre Caluiniana, veritatem Religionis Catholicæ agnouit, & accepit: cum ea verò 25. de familia vel conuersi, vel in fide debiles confirmati. Varadinenses plerique ob cladem, & obsidionem Turcicam profligi, diuina hîc officia deuotè, & piè frequentant, rogantque supplices, vt Varadinum Patres reuertantur: facturi, Deo propitio, propediem, cum & à Capitaneo arcis Catholico, & ab Episcopo Varadinensi, ciuibusque Catholicis inuitentur.

EXERCITATIONES scholasticę quamuis nũquam intermissæ, numerus tamen auditorum tot afflictionibus imminutus est, vt è trecentis quinquaginta, vix interdum numerentur ducenti. Præter humaniores classes, & Philosophiæ vna, casuum, & controuersiarum duæ, omnium in litteris, & pietate progressus spem nobis addit non exiguam. Vnus Coadiutor iuuenis bonus Societati additus: plurimorum qui expectant voto aliquando fiet satis.

COLLEGIVM ALBÆ IVLIÆ.

COLLEGIVM hoc magis tumultus intestinos, & varias Transyluaniæ vicissitudines sensit, quàm Claudiopolitanum, vt maior fuerit occasio patientiæ, quàm in animarum lucro laboris. Nam cùm in dominatu Vaiuodæ commu-

Digitized by Google

nis res esset, omnis tam sacra, quàm domestica suppellex in pago Collegij à militibus direpta cum vino, tritico, & alijs rebus necessarijs perijt: ex bonis verò in fundatione Collegio assignatis quædam adempta sunt, quæ speramus vt breui restituantur. Factum nihilominus aliquid ad animarum salutem. In pago quidem nostro 40. hæresim Caluinianam deseruerunt, inter quos oppidi fuit minister; in alio verò sex hæretici reducti, adulti duo baptisati. Nobilis fœmina multis annis in hæresi pertinax, quamuis virum haberet Catholicum, tandem Ecclesiæ nomen dedit, & in frequentandis sacramentis est assidua. Bis hoc anno 40. horarum preces in Collegio habitæ ob tumultus Prouinciæ.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA GERMANIÆ SVPERIORIS.

NVMERAT superioris Germaniæ Prouincia Socios trecentos octoginta nouem. In Collegio Ingolstadiensi sexaginta septem: in Dilingano, viginti nouem: in Monachiensi sexaginta & vnum: in Augustano viginti quatuor: in Ratisponensi, viginti tres: in Oenipontano septemdecim: in Halensi quindecim: in Lucernensi, totidem: in Friburgensi sedecim: in Bruntrutano quatuordecim: in Probationis domo Landspergensi, viginti nouem: in Residentia Biburgensi, quatuor: in Oettingensi, octo: in Constantiensi septem: vno minus in Eberspergensi: defuncti sunt sex. Ad Societatem admissi viginti duo.

Digitized by Google

COLLEGIVM INGOLSTADIENSE.

BIIT P. Christophorus Silberhorn, cùm Collegio conuictorum multis annis præclarè præfuisset: alter voto B. Virgini Oetingensi nuncupato seruatus in vita. Quatuor solennia Professorum vota fecit Pater vnus: Coadiutorum temporalium fratres duo: sacris initiati itidé duo. Edita Apologia pro vita B. P. N. Ignatij, contra calumnias Simonis Lithi. Habitæ binæ conciones ordinariæ, extraordinariæ cõplures in nostro templo, pagisq; circumiectis. Catechismus octauo quoq; die in Vrbe per totũ annum, in quinque pagis per Aduentum, & Quadragesimam traditus, magno confluentium ardore, & numero, non modò puerorum sed adultorum quoque. Confessiones generales auditæ centum quinquaginta octo: aliæ innumeræ, tantóque plures quanto pestis ingrauescens efficacior fuit nudis concionatorum verbis ad homines permouendos. Quidam diabolum Prædicantis habitu oblatum, venerationemque imaginis Christi reprehendentem, ac demùm defectionem à Deo suadentem, signo Crucis, & inuocatione S. Wilibaldi, tremorem perpetuum corporis ex terrore inimici, & præcipiti per scalas casu relictum, confessione, & SS. Eucharistia abegit. Iisdem remedijs idem hostis augusta forma toto fermè anno cuidam apparens, pulsus est vnà cum superstitiosis obseruationibus: nec animorum tantum, sed aliquoties etiam corporum valetudo restituta est. Morituræ persuasum, vt consueta sacramẽta admitteret, quæ quatuor annis pertinaciter repudiarat, admisit eadem, & alius cõcione permotus, cùm nouem annis repudiasset. Ab aliquot milliaribus ad nos

v entum

Digitized by Google

ventum confessionis gratia. Adolescens à Turcica superstitione, cui sex annos addictus fuerat, ad nostra sacra redijt. Facta restitutio centũ triginta, & amplius aureorũ: tres aliæ minoris sũmæ. Hæretici absoluti quinquaginta septẽ in his octogenarius cum coniuge, filijs, & nepotibus huc ex vicino Palatinatu cõmigrauit: Video, inquit, filios, & filios filiorum, sed nunquam mihi quietem hæc afferre felicitas potuit, donec redirem ad fidem maiorum meorum. Fœmina morbum suum diuturnæ in hæresi pertinaciæ pœnam interpretata, vouerat se recuperata sanitate Catholicam fore, nec ipsam spes fefellit, nec ipsa fidem. Curru vecta ad templum Saluatoris non ita propinquum, eodem die sana pedibus redijt. Connubia Catholicorum cum hæreticis impedita: libri hæretici, vel negromantici concremati. Bacchanalibus die Martis, in quem peruigilium S. Matthiæ inciderat, ancilla adacta comedere carnes, restitit victrix, cum diceret oportere obedire Ecclesiæ, totoque die ieiunauit, precibus intenta. Virgo pudicitiæ periculo exposita, dotata, & in matrimonium collocata est. Altera Religionem ingressa. Odia posita, pax composita. AEgri, moribundi, egeni, peregrini adiuti largis eleemosynis. Afflictis præbita solatia. Desperabundi adducti, vt vitam retinerent. Visitati carceres, innocentes inde liberati. Rei ad supplicium animati: in quibus mulieris capite plectendæ vltima verba fuêre: Gratias ago Deo, quòd vel hoc modò Catholica facta sim.

GYMNASIVM discipulorum multitudine floruit, & nobilitate Germanica, Italica, Polonica. Etiam grauiorum studiorum exercitationes viguêre. Pauperum studijs consultum coëmpta domo, in qua quatuordecim iam aluntur. Triplex B. Virginis Congregatio solitum tenuit cursum. Maiores præter priuatas eleemosinas in egenos publicè distribuêre aureos quadraginta: libidi-

Digitized by Google

nem quotidianis verberibus, alijsque asperis remedijs perdomuêre. AEgris, ac morituris per integras noctes adstitêre: consuetudinem quotidiani sacri, litaniæque, & menstruarum confessionum apud quosdam introduxêre: in blasphemos atque discordes animaduertêre. Minores non minora præstitêre, in afflictationibus corporis, in remittenda vindicta, in perditis ad sacramentum pœnitentiæ perducendis, in pauperibus stipe, ministerioque subleuandis. AErarium ipsorum vnus ex Sodalibus auxit centum aureis. Religiosi exercitia certatim expetierunt, impetrarunt duodecim (& sæculares tres) aliaque eximij feruoris specimina dederunt. Vnde ad suos reuersi quinque, & alijs præpositi, nil habent antiquius, quam vt monasticam disciplinam ex maiorum sanctionibus, atque exemplis moderentur. Ad Societatem se adiunxerunt quatuor: ad Franciscanos sex: ad Carthusianos duo: ad alios ordines tres: quorum octo ex maiore Congregatione, duo ex inferiore. Templo nostro oblatæ tres casulæ, & alia donaria.

RESIDENTIA BIBVRGENSIS.

CATECHISMI, & conciones domi, forisque varijs locis temporibusque habitæ multæ. Pœnitentiæ, & SS. Eucharistiæ sacramenta tantò quàm antehac pluribus ministrata, quantò pestis grassans maiorem incussit terrorem. Parochos, & incolas vicinos consilio & auxilio iuuimus, vt multi intacti permanserint. Puella temerè Biburgo egressa exitium retulit cæteris, ipsa salua euasit: quamquam damnata ad seruitium eorum, in quos pestilentiam

Digitized by Google

tiam euoneranerat. Alia pe ste correpta, simul atque post confessionem corpus Christi susceptit, vicus ruptum sensit, & valetudinem restituram. Plurimi B. Virgini, D D. Sebastiano, & Leonardo vota, gratesque persoluerunt, pro depulsione pestis, aliorumque morborum, luis in pecora grassantis, inundationis, cæterorumque malorum supplicationes vnd equaque frequentissimas ad eorum duorum templa instituerunt: donaria obtulerunt. Maledicentiæ pretium tulit, qui contumelijs in nos effusis, post paucos dies concepta peste è viuis exactus est. Grauis dissentio inter coniuges sublata. Carcere detentis officia charitatis, & erudiendi industria adhibita cum eorum solatio & voluptate. A Lutherana perfidia ad fidem reuocati sex: libri hæretici, vel magici combusti non pauci.

COLLEGIVM DILINGANVM.

EVIVIS ad Beatos abiit vnus ita circumfluens gaudijs, vt medios inter agones nil horroris, meras lætitias ostenderit. Moribunda voce, viuida mente hortabatur prælentes: vt ne Societatem cum IESV initam dedecorarent, sed virtutum officijs vsque & vsque colerent. Discessum huius compensarunt noui Socij octo, in quibus Theologi quatuor. Monasticas familias petiere viginti. Spiritualibus exercitijs exerciti nouem. Abbas cùm duos suorum reuocaret ad cœnobium, Rectori nostro scripsit in hæc verba: Cupere se vt exercitijs spiritualibus calefacti domum reuertantur, cæterosque calefaciant. Presybter

Digitized by Google

ui Parochum postulatus, ante non annuit, quàm ijsdem lacrimis concalefieret.

ACADEMIA nunquam visa numerosior. Reuerendissimus & Illustrissimus Henricus à Knoringen Episcopus conscientiam credit Nostro Sacerdotalem ordinem susceperturus tradidit se imbuendum diuinis commentationibus. Templum nostrum, Triclinium, Academiã, cum multis beneuolentiæ argumentis celebrat, & nouum Seminarium cogitat. Reuerendissimus Præpositus Eluacensis itidé humanissimè nos interuisit. Editur liber in hæreticos: carmina itidem gratulatoria Episcopo à nobis, à nobilitate Academica, à Sodalitate D. Virginis. Conuictores sunt ducenti, & forent trecenti si domus caperet; vtrumque Sodalitium Parthenium & numero, & pietate conspicuum. Fuêre qui S. Benedicti, & Francisci exemplo, vincendæ cupidinis ergò se abijcerent in spinas, & niues, aut digitum extenderent in ignem, aut pectora saxo tunderent, aut pugnos in faciem suam infligerent. Quidam sex horis necẽ Domini flexo genu contemplatus est: alius stato vino abstinuit, vt eo succurreret inopi ægroto: alius viginti sex diebus interdiu noctuque cilicium gestauit. Mitto diuerberationes, aliasque corporum castigationes. Hæresûm vinculis domi forisque soluti septuaginta & vnus: vnus bis mille confitentes audiuit: alijque à septimo milliario confitendi gratia aduenêre: & ex vrbe hæretica plures quàm sexaginta. Dissidia sublata: restitutioque centum florenorum facta: ieiuniorum seruandorum religio iniecta. Duo templum nostrum casu ingressi, subitò peccatorum dolore tacti cum lachrymis confessi sunt. Celebrata oratio quadraginta horarum, ex quibus quatuor sibi, quisque Episcopus depoposcit. Peregrinatio ad Montem Sanctum hoc anno primum inter ciues instituta. Quidam spectro exterritus profugit ad Danubium: vbi Virgo candidata

seuero

Digitized by Google

ſeuero vultu minatur imminens præcipitiũ,ni ritè cõſi
tcatur:trepidus ille ſpõdet omnia,& reſpõdet felici euẽ
tu,liberatus ſpectro quieti reſtitutus.Sponſus pridie nu
ptiarũ inuſitatũ mœrorẽ narrauit noſtro Patri, & huius
hortatu confeſſus,illicò diſcuſſit.Diſcedẽs inuenit ſpon
ſam ſimillimo mœrore obrutam: idem ei perſuadet re
medium eodem ſucceſſu. Conciones habitæ ordinariè
in aula Academica,extraordinariæ in æde noſtra, in Pa
rœcia,in Sacello Epiſcopali,in vtroque Monaſterio Vir
ginum: Catechiſmus in Parœcia, penè octiduana exhor
tatio in Xenodochio; etiam leproſis opera data. Ciuis
opulentus facto teſtamento admonitus à Noſtro num
pauperum oblitus eſſet; aliquid eis ſe legaſſe reſpondit,
ſed additurum pluſculum,centum videlicet aureos.Hæ
reticus capitis reus, iam funeſtos gradus ſcandebat con
clamat geminatis vocibus, Catholicum, Catholicum
ſe moriturum.Attoniti,& ſtupefacti acceperunt has vo
ces Hęretici.

IN Quadrageſima itum ad Monaſteria duo, in quo
rum altero ſpiritualia exercitia ſuſceperunt Monachi
quinque, in altero Abbas,& Monachi tres: illic per ho
ram quotidie ordinis regula explicata; hìc peroratum
de argumento vtili,& neceſſario. Vtrobique confeſſio
nes auditæ,conſilia opportunè miniſtrata,quædam emẽ
data melioribus inſtitutis. Eodem itinere ſalutatus vir
doctus,auctoritate,& nobilitate conſpicuus:quocum de
multis Catholicæ fidei aſſertionibus ita diſputatum, vt
abſcedenti Noſtro cæteras dubitationes ſcripto trade
ret& reſponſis acceptis magnas ageret gratias. Idem
Sacerdos ineunte ætate contulit ſe ad Monaſterium,
in quo omnes Societati valde addicti, & à Nobis educa
ti. Eò aduenerunt ex compoſito Abbates duo ſpiritua
lia exercitia peracturi. Horum alter ſexagenarius domũ
reuerſus ita oratione incendit ſuos, vt plerique eadem

exerc

Digitized by Google

exercitia expetierint. Præsules antegressos eòdem subsecuti quatuor Monachi peregrini, totidemque alij ex antedicto Monasterio. Interea multæ cohortationes habitæ, confessiones exceptæ, vtiliter disciplinæ Monasticæ consultum. Inde ad aliud Monasterium excurrit Noster, quod fermè interierat: nunc verò resurgit, labore quatuor Monachorum, ex priori Cœnobio assumptorum. Multa cum Abbate qui solus propemodum mansit superstes, tractata de Monastica disciplina instauranda: præter alia impetrata, vt Monasterium obseraretur, & Religiosi ab externis separarentur. Dehinc vocatus Noster ad princeps monasterium aliud, in quo fructuosè laboratum aliquot diebus. Bibliotheca libris aureorum ducentorum exornata. Haud longè aberat Illustrissimus Nuncius Apostolicus, qui cùm vicinum Patrem inaudisset, accersiuit, & consilium modumque postulauit instaurandi collapsum quemdam ordinem. Euocatus in ciuitatem Hæreticam, vt expiaret ægrotum, mutato habitu confecit rem prosperè. In itinere quodá duo Patres habuêre obuiam Comitissam à qua summis precibus exorati redière cum ipsa in arcem, eiusque, & omnium domesticorum conscientias expiarunt. Oppressa alicubi vsuræ species, & artes superstitiosæ: Grauibus quæsitis factum satis. Scandalum enorme sublatum è Monasterio. Abbati persuasum, vt in subditos, & aduenas diuideret libellos quadringentos de Confessione, vel de Fide vera. Vnde factum est vt plerique confiterentur legitimè. Vicarius ordinis Teutonici confessionis causa Nostros euocauit ad arcem. Comes operam eorum in re graui expetijt. Aucta res sacra casulis duabus, & aureis quinquaginta: Familiaris legato aureorum ducentorum, totidemque dono: plaustris vini duobus, totidemque dolijs.

COL

COLLEGIVM MONACHIENSE.

INTER viuos esse desijt P. Henricus Gaugenrieder, vir sui contemptu, & pietate in Deum insignis: vnum & viginti annos in Societate traduxit, Ministri, Regentis, Rectoris officio perfunctus. Diuinis meditationibus exculti quaterni: in Societatem admissi quini. Primum sacrum fecerunt è Nostris duodeni tam pia cum pompa, vt ciuis qui ad eum vsque diem templum, congressumque nostrum admodum vitauerat, spectandi causa ingressus, illicò singulari cum solatio vitam mutare decreuerit, Sacerdotique nostro detexerit. Nonnulli damnati votorũ quæ ad sacra ædis nostræ ossa fecerant. Conciones tribus in vrbe locis perpetuatæ. Diuinæ mensæ accubuerunt ad triginta millia: omnem vitæ anteactæ rationem expostuêre trecenti. Septuagenarius, qui nunquam ad confessionem adduci potuit, tandem Nostro confessus à puero omnia, quietem inexpertam est nactus. Alius mentem stimulo peccati ante quadraginta annos commissi liberatus inter multa quæ tentarat, inediam octauo quoque die sibi indixerat pane, & aqua contentus: voto annuæ, quod superaret, peregrinationis ad Montem sanctum se obstrinxit frustra. Tandem nocturno viso admonitus est Monachium (aberat multa milliaria) ad templum Societatis IESV contenderet, expiatis criminibus, quæsiturus animi quietem: atque inuenit. Qui se per schedam proprio inscriptam sanguine Cacodæmoni consecrarat, sceleſtum pactum rescidit. Et qui contaminato animo ad cœlestis agni accesserat epulum, visus

Digitized by Google

visus sibi videre sublimè volitantem dęmonem, ad seque dilabi: quietem non habuit quoad animum expiauit. Ab inhonesta consuetudine, patrandæ cædis proposito, iurandi maledicendique vsu abstracti complures: sopita odia inueterata: pax coniugum redintegrata, discordia familiæ sedata, ita vt filia fixis humi genibus à parente veniam rogaret. Factæ restitutiones florenorum quadringentorum, & minutiores. Vnus vt votum religiosæ vitæ redderet, alter vt cœnobium repeteret, persuasus. Ad Ecclesiam redière triginta sex. Libri hæretici, magici, superstitiosi ad nos relati. Retardati qui Catholicis locis desertis operam hæreticis locare, aut coniugij fidem dare statuerant: parentes item, ne liberos ad hæreticorum vrbes discendi causa dimitterét. Introductis in Nosocomium exhortationibus, anicularum queritationes, & iurgia verterunt in pacem. Visitati & expiati leprosi. Catechisticę schołę in vrbe sunt quinque, magna frequętia cùm adultorum, tum maximè puerorum. Aduentu octoni: Ieiunio verno deni in pagos quoque excurrerunt. E duplici cœtu Virginis Matris, maiores stipe indigos, eruditione ignaros, interque hos hæreticum iuuerunt: corpora castigarunt animos pijs considerationibus excitarunt, edocti modum. Præfecti munus executus est Serenissimus Albertus Bauariæ Dux. Minores maioribus, quoad numerum, & probitatem non cedunt, cum eisque pietatis officia pleraque habuêre communia: ægris insuper, moestisque solatia, dubijs consilia suppeditarunt: discordes recõciliarunt, Religiosos defenderunt. Initium factum Bibliothecæ, qua tenuiores iuuentur. In monasteria se abdiderunt ex maiori Congregatione decem, & præterea tres. Serenissimi Maximiliani liberalitate Iurisdictio Eberspergensis amplificata est, capitibus sexaginta duobus.

SEDES

Digitized by Google

SEDES EBER-SPERGENSIS.

DVO hæresim abiurarunt; alter etiam religionem ingressus. Libri hæretici, obscœni, magici multis ablati, & cum pijs commutati. Concio-nes is fructus secutus est, vt plurimi totius vitæ culpas absterserint, nec Eberspergenses tantum, sed etiam aliquot millia passuum dissiti, aliqui ex diuinis cópulsi monitis. Non pauci nocturna itinera, quatuor sex, decem horarum huius rei gratia fecerunt; alij ob inopiam confessariorum, & confitentium copiam, in vesperum expectarunt, vel domum redire coacti sunt, & aliàs redire decreuerunt, vel hîc pernoctarunt. Detractionis vitium pro concionibus vehementer impugnatum, iurandi licentia coercita: superstitiones sublatæ. Qui superstitiosis precibus celebre nomen, amoremque omnium sibi conciliarat, sanctè recepit se ijs nuncium remissurum, cum quantacunque iactura. Plurimi à libidinibus ad honestatem adducti. Pellex vni adempta; aliæ duæ suos sectatores relicturas certo promisêre. Iniuriæ graues condonatæ: conciliati dissidentes; abusus, & peruersæ consuetudines cum sanioribus commutatæ. Res aliena ad dominos redijt. A terroribus Dæmonum, remedio confessionis, & cerearum Agni imaginum liberati aliquot: alij ne sibi alijsque manus afferrent, absterriti. Pueri Christianam doctrinam alacriter hauserũt. Curiones ad munus suum rectè fungendum instructi. Visitauimus ægros, cùm ab his, tũ à valentibus obnixè cũ lachrymis sublatisque cęlo manibus rogati, vt morituris assisteremus. Parochi vicini cum deprecandæ pestis huc veniissent

Digitized by Google

veniſſent ſuos ad confeſſionem, & communionem hortati, præiuerunt exemplo. E pago eadem lue correpto, cui congreſſus hominum interdictus fuerat, quotquot ad nos venêre, Sacramenta percepturi, Diuumque Sebaſtianum precibus fatigaturi, ex eiusque caluaria villum libaturi, immunes à contagione fuerunt; non ipſi ſolùm, ſed etiam domeſtici: tres familiæ quæ venire neglexerant infectæ ſunt. Huius miraculi fama vulgata, ſupplicationes conſecutæ ſunt viginti diæ, & in vniuerſum plures centum viginti. Ad triginta millia hominum cenſentur adfuiſſe: ſolo dedicationis die plus quindecies milleni. Cœpta conſuetudo vt peregrinatores prius non abeant, quàm peccatis abolitis pane Angelorum reficiantur. Nemo qui vouiſſet hic ſe Sacramenta obiturum, peſte vel extinctus eſt, vel tentatus. Qui non in templo noſtro, ſed domi à parochis veniam peccatorum, & Euchariſtiam perceperunt, etſi huc poſtea venerunt, nihilominus plerique morbo abſumpti. Boues, aliaque munera Diuo Sebaſtiano ex voto perſoluta. Sacra ſuppellex aucta duobus vexillis, capitibus, è Societate D. Vrſulæ quaternis: tribus monſtrantijs; cenotaphio Chriſti. Ad magnos quadraginta ſex cereos acceſsêre quini, vnus ex cera candida viginti quinque, alius triginta quinque librarum.

EXCVRSVM in arces nobiliũ, & varia oppida. In vno duos mẽſes Parochi vice functus, cõfeſſiones prope quadringentas audiuit Noſter, in his trecenas de tota vita. Quamcumque domum ſolandi ægros ingreſſus eſſet, ſtatim aliorum vndique concurſus factus, aliquid ſalutare audiendi cupidorum. Ex decem quos grauiſſimè ægrotantes viatico ſacro munijt, nemo è vita diſceſſit. Alibi à luſtratione immaculatæ Virginis vſque ad Corporis Chriſti verſatus eſt idem Pater, tanto cum fructu, vt ex nouem locis eius audiendi cauſa confluxerint, & multa

Digitized by Google

multa collaturos inter se conuenerint, si eum retinere pro Curione possent. Confessiones plus quadringentas excepit: dimidium harum vel ab incunabulis. Ieiunio verno dominicis diebus ante meridiem alibi, pòst domi concionatus demùm Catechismum rursus alibi docuit: reliquo ferè toto anno duobus diuersis locis operam posuit. Templum alicubi ruinosum vt reficeretur effecit, procurata magna pecunia.

COLLEGIVM AVGVSTANVM.

SOCIETATI adscripti tres: populum pro concione erudierunt anno toto quaterni, aut quini. Sacrarũ virginũ Collegium adhortationibus ad religiosæ vitæ institutum tenendum excitarum. Rudimenta Christianæ doctrinæ tribus locis explicata. Pontificis auctoritatem damnato Lutheро agnouêre vltra quadragenos: in his patricia hoc nomine à suis diu multumque vexata: & è malo coruo bonum ouum Prædicantis filius: miles insuper inuitatus ad Principum aulas, & custodiam corporis; maluit certa stipendia, quàm certam Religionem deserere. Ancilla fidei causa extrema quæque perpessa; eiecta domo, fine hero, tecto, ære, vicos oberrare coacta. Altera præterito anno apud Lutheranam familiam per sanctiora tempora carnibus vesci compulsa, hac Quadragesima tota, quamuis domesticis occupata laboribus, semel tantum in die cibum sumpsit. Verbera aliam à veritate auertere non potuerunt. Alia ex Catechismo eam hausserat pietatem, vt domi statis horis B. Virgini coronam legeret, Hæreticis

Digitized by Google

adeo aliquando indignantibus, vt rosario vi extorto, oríque intorto cruentarent innocentem. Opifex vt carnibus abstineret, suo sibi ære diurno cibum comparauit: alius iure, & olere ieiunium tolerauit. Confessiones etiã à sedecim milliaribus institutæ; corporis quoque morbis nonnunquam curatis. Odia sopita. Coniuges conciliati. Nouum spectaculum Sodalitas B. Virginis populo præbuit, cùm in æde nostra flagris terga diuerberauit, Hæreticorum vox hæc fuit: Iesuitas quotannis nouas artes excogitare ad populum inuitandum. Ad supplicationes annuas accessere noua signa, opificumque Sodalitates. Festo corporis Christi Episcopus sacram hostiam gestauit in pompa, raro, charoque ouibus, ingrato hœdis spectaculo. Preces decem horarum belli causa susceptæ, tota æstate quot hebdomadibus continuatæ, nostroque in templo quater peractæ. Accessit in æde maxima Episcopi celebratissima inauguratio, intra cétum viginti annos Augustæ non visa. Noster inter eam cœrimoniam concionatus, vnâ cum Patre Rectore ad epulum adhibitus, multa cum amoris erga nos significatione. Poëma formis æneis inscriptum, Sociorum nomine Principi dedicatum. AEgros, afflictos, vinctos nunquam destituimus. Rei nos è carcere mox ducendi ad supplicium, prius complexi quàm vincirentur, nec bibere nisi quod Pater porrexisset, & misisset voluerunt; gratiasque egêre Magistratui ob sententiam clementer in se latam; & mortem constantissimè obierũt. Pater eam alacritatem in eis cõsolandis adhibuit, vt hæretici partim ebrium dicerent, partim in suas cathedras concionatorem optarent.

EXCVRSVM in illustrium hominum arces, & Monasteria; conciones, adhortationesque habitæ, confitentium peccata expiata. Serenissimus Maximilianus Bauariæ Princeps à Senatu inuitatus in vrbem, apud nos declaratis beneuolentiæ argumentis, rem diuinam audijt.

Gymna-

Digitized by Google

Gymnasiũ nobilitate claruit & numero. Aucta Sodalitas B. Matris, quindenis simul susceptis, è quibus 4. pluresve Religiosorum familijs se adiunxerunt. Fuit qui in nuptijs nunquam ad saltationem potuit propelli; qui iurandi in alijs vsum emendauit publicè, in officinis hæreticorum, & osculis terræ impressis coram expiauit. Nonnullos ad Sacramenta decimo quinto quoque die obeunda induxerunt. Publicatæ symbolæ Virgilianæ, vel hæreticorum testimonio plurimum commendatæ. Senatus cui opus est inscriptum, ducentos Collegio aureos donauit, vicena quina ligni plaustra Gymnasio quotannis assignauit. Repurgatus etiam prodijt Martialis. Donaria ad Christi cunas fuêre crux argentea, calix cum argenteis ampulis, aurei decem. Liberalitas Fuggerorum in Prouincialem conuentum Patrũm fuit munifica: vinum, farinamque submiserunt non paruo numero. Impetratum pro Catholica plebe, quæ cum hæreticis mixtim ægrè patiebatur se humari, cœmiterium, ædificatumque.

MISSIO MINDELHAIMENSIS.

MISSVS eò rogatu Illustris Domini Christophori Fuggeri, cui oppidũ maiorem partem subiectum est, qui administraret rem diuinam per sanctioris ieiunij dies extremos, dum idoneus Pastor defuncto sufficeretur. Antequã in publico aliquid tentaret, in elephantiacorum domo viris quinis pedes lotos osculatus, singulos munere affectos ad morbi patientiam, vitæque spem æternæ excitauit. Mox cœtum Clericorum celebrauit per speciem ne in cœrimonia à Romanis discreparent: re autem ipsa

Digitized by Google

vt munere Sacerdotum expoſito, omnes ad officium faciendum admonerentur. Multa emendata in templo præſertim tumultuoſi ſtrepiriq; ,& inſolentes inter matutinas preces fremitus. Qui confitentibus aures præbebãt, docti ſingulis ſingillatim nó turmatim, vt cõſueſſent, operã dare: & hæreticos (quorum ſyllabus eis exhibitus) non abſoluere. Quotidie habita concio, vel Catecheſis tanto concurſu vt apparitoribus opus fuerit, ne altaria conſcenderentur. Deni nouem hæreſes deteſtati, inter quos duo, quæ improbarent capita Religionis ſcripto tradiderant oppidi Præfecto. Diſputabat alius per conuiuia contra veritatem: alius etiam cœtus cogebat, & hæreſim ita propagabat, vt putaretur oppidum ad Lutheri impietatem traducturus. Iuſſus anno ſuperiore capita ſententiæ ſuæ Magiſtratui edere: id adſcriptis rationibus in ſpeciem tam firmis præſtitit, vt Parochus nihil quo refutaret inueniret: ille mirum in modum ſe iactaret, aggreſſus hunc domi ſuæ Pater, diſputationeque ad binas horas prolata, tandem contumaciam hominis fregit: volumina vnde peſtem hauſerat extorſit, abſtulitque: quod primùm indigniſſimè tulit, Patremque ſecutus in via publica ſibi per ſummam iniuriam ſua auferri querebatur: nec ceſſit pater, hominemque eò deduxit, vt veniã de hac ipſa iniuria publica deprecaretur, fidemque haud ſine teſtibus Catholicam profiteretur; Patrem aſſiduè ſectaretur, amaret, vt ſalutis auctorem, diceretque diu, multumque ſe deſideraſſe tempus, cum erudito de re Chriſtiana conferendi, ac vehementer gaudere, quod diem illum cum Abrahamo vidiſſet. Magnum hic momentum ad cæteros vel in viã reducendos, vel confirmandos attulit. Huius hoſpes (fuit enim ille de quo dixi, inquilinus) tanto Patris odio imbutus erat, vt Sacramento confirmaret, ſe vocatum inuocatum nunquam ad eum aditurum. Audijt tamen cæterorum concurſu

Digitized by Google

cursu ductus concionem, illicoque percussus vi orationis, secundum rem diuinam Patrem secutus, veniamque precatus Ecclesiæ se subiecit, conuertá in inquilinum erroris magistrum ira, quem licet iam nostra frequentem, domo pellere constituerat, & ni Pater interfuisset, pepulisset. Paterfamilias Anabaptistarú labe infectus credebatur. Institutus priuatim à Nostro se, familiamque ei expiandam commisit, rogauitque vt Parochum ibi ageret se pro decimis quintas soluturum. Alius de purgatorio quæsitus quid sentiret: Satis, inquit, hic purgamur, & vrimur, nihil opus est alienis, & extramundanis ignibus: concessit tamen in Patris potestatem. Conciliata odia inueterata. A diuinis ministerijs quinquennium abstinuerat alter. Vocatus vterque ad Patrem pacis arbitrum, iurgijs eò vsque certarunt, vt ægrè manus abstinerent, nec Pater hortando proficiebat: ergo illorum se ad pedes abijcit, rogatque per supremi Numinis clementiam, per Christi pro genere humano fusum sanguinem: fregit superbiam submissio, reditumque ad concordiam. Inclytus Calicum trahó exhausto marsupio à cauponis omnibus exclusus, à coniuge, & liberis clam fugam meditatus, Sacramentorum multis annis expers, deletis per confessionem maculis, etiam priorem vitæ maculam deleuit, receptus à Magistratu in gratiam. Vir primarius subitò, & sine expiatione extinctus multorum animos ad delicta iuuentutis retexenda permouit. Cenotaphium Christo nobile excitatum, adhibito cœtu Angelorũ, è volumine pio maximæ hominum frequentiæ opportuna prælegentium. Cognitum est populum pietati, & officio copiosè satisfacturum, si magistri morum, Sacerdotes suis partibus non deessent. Repurgatum squalens instrumentum sacrum. Etiam pagani ad Sacerdotem nostrum partim sua, partim suorum confluxêre causa: dissidentes à Parochis inducti culpam vt deprecarentur. Cum Magi-

Digitized by Google

stratu acta causa, & obtenta viduæ, cui defuncto marito creditores abstulêre omnia, etiam cunas, excusso inde infante. Sacerdotibus de pecunia per confessiones à Nostris nullam recipientibus (sexcentos audierant) detracta, satisfactum. Iuuentuti doctrinæ Christianæ operam danti, impetrata diligentiæ incitamenta munuscula: vagi per id tempus coerciti, perque Ministrum publicum in templum deducti. Nosocomia lustrata, expiataque. Sub discessum Pater ad solemne epulum à Senatu inuitatus, & rogatus vt maneret in oppido, desertum Patribus Monasterium assignatum iri. Populus in noui Magistratus creatione frequentissimus ad curiam aduolauit, territo Senatu, & quærente quid esset, Patrem in Parochum consensu communi petiuit.

COLLEGIVM RATISPONENSE.

BIIT vnus è Nostris Zacharias Schmadler iuuenis magnæ & virtutis, & spei: cùm quendam è suis discipulis peste laborantem ignarus inuisisset, eadem lue correptus memorandæ patientiæ, & pietatis dedit specimina. In Societatem allecti duo ab hæretica perfidia ad Ecclesiæ gremium redière plures quadraginta. Communicantium fuêre trecenti supra quater mille. Auxit numerum serpens fœda per vrbem lues. Catechesis ex D. Cassiani in nostrum templum translata, vbi commodius, & quietius omnis ætatis homines erudiuntur. Catechisticam lectionem qua palpabilis cæcitas Hæreticorum demonstrabatur aduersarij scriptam petiuerunt, & impetrarunt: ad respon-

Digitized by Google

spondendum rana Seryphia taciturniores. Patris Facij de mortificatione libellus, & Martyrologium Romanum in vernaculum conuersa: rationes Patris Edmundi Campiani nostra opera recusæ: nonnihil de integro contra aduersarios scriptum, legiturque passim magna cum voluptate, & approbatione. Pijs meditationibus exculti quatuor: in his Abbas adeò hoc orandi genere inflammatus, vt optarit per mensem se posse continuare. Tres alij ex Parthenico cœtu fuêre, quorum vnus Cappuccinorum familiæ se adiunxit: alij duo aliam Religionem in votis habent. AEgris etiam vtilis opera præstita, in quo genere duorum maximè Patrûm virtus enituit; qui grassante contagiosa lue, posthabito omni discrimine, in auxilium quorumuis ægrorum sese lubente animo deuouerunt. Rusticus maleficijs adeò oppressus, vt insana cõsilia mente agitaret, à quodam Nostro orationibus, ieiunijs, exorcismis, & similibus pijs exercitijs; adhibitaque sancti VVolfangi stola ita adiutus est, vt vox diu intercluſa in laudem Dei erumperet, ægerque magnum se inde leuamen sentire testaretur. Nec rei derelicti dum ad supplicium raperentur, magno & morientium, & spectantium bono. Libri magicæ extorti, & exusti. Iniqui contractus rescissi. AEs alienum restitutum. Nouus Antistes recens inauguratus, in aula Gymnasij exceptus magno spectatorum applausu, & inuentutis commendatione. Discipulis stragem, Musis silentium indixit non tam pomifer, quàm pestifer autumnus. Gymnasium clausit non sine gemitu adolescentum, atque dolore: confessione, communione, ardentissimisque ad auertendam pestem precibus postridie, qui fuit natæ Virgini sacer, susceptis.

AVCTVS & ornatus cœtus Parthenius duobus summæ ædis Canonicis Theologis, quorum alter, & Decanus, itemq; tertio iureconsulto Reuerendissimi Episco-

Digitized by Google

pi consiliario. Per triduum Hilariorum supplicationes ad diuersa templa instituêre & bis orationem viginti horarum reliquo anno, adiunctis etiam flagris, vnde non exiguus animorum motus secutus. Priuatim etiam feruet studium orandi. Quidam pijs meditationibus multas horas, vnus integram noctem impendit. Inedia, cilicijs, flagris pene supra modum sunt vsi. Sodalis vir honoratus obijt ipsa propemodum hora, qua sponsa eius secunda, nuptiali pompa vrbem ingrediebatur: sepultus est more Sodalium, habitu tam graui & lugubri, vt qui non tumulum sed thalamum honoraturi aduenerant, optarint hoc pium agmen depictum auferre, vt suis domi tanquam rem memorabilem exhiberent. Præpositus summi templi morti vicinus Patri congregationis confessus, impetrauit, vt in album Sodalium inscriberetur, & eorum more sepeliretur. Legauit is Congregationi trecentos aureos. Alij item quadringenti aurei ex quodam testamento Congregationi applicati. Canonicus, isque Sodalis eidem quinquaginta legauit. Parochus itidem Sodalis in oratorio altare elegans faciendum curauit, & calicem, atque ornatum. Aræ B. Virginis in nostro templo trecentos aureos donauit. Quirinus Lepninus Ecclesiæ Cathedralis Decanus, summo altari ducentos. Doctor Adamus Orth Præpositus legauit: alius quidam Canonicus, templi vestibulum construendum curauit.

EX

Digitized by Google

EXCVRSIO IN SYLVAM BAVARICAM, & alia loca.

SVB FINEM Quadrageſimę miſſi Sacerdote duo, conciones, & Catechiſmum habuêres magno omnis ætatis, ſexuſque ardore. Correctus mos, quo populus alicubi ipſo ſacræ ſynaxis perceptæ die, pleno agmine ad tabernam confluere ſolebat. Alibi à ſacra communione ſubitò velut furijs acti è templo ſe proripuêre omnes, Sacerdote noſtro, & ædituo ſolis inibi relictis. Cauſam eius religionis roganti reſpondetur certum id eſſe apud omnes ſecundiori fortuna, qui ita repentè erumperent toto anno vſuros, ſiniſtra vel rarò, vel nunquam. Ergo ex tempore ad Eccleſiam campanæ ſigno reuocantur, reuerſis turpiſſimus error grauiſſimis verbis obijcitur, atque vt idem abſentibus ſignificent, præcipitur. Ab hæreſi abſoluti viginti, & vnus, quos inter vnus iam deſtinatus buccinator verbi, cumque illo alter Caluinianæ ſectæ aſſecla, poſtquam ter acerrimè eſſet diſputatum, errores ſuos agnouit, fidem profeſſus, peccata confeſſus, Euchariſtia refectus eſt. Inſignis etiam coniugis cuiuſdam præfecti conuerſio, adiuta procul dubio mariti precibus, voti cauſa tum B. Mariam Oetingenſem inuiſentis. Poſt multa verba vltrò, citroque facta, ſublatis in cœlum oculis, admotiſq; pectori manibus, Nunc, inquit, cedo manus, & penitus me dedo, & obnixè rogo vt me V.R. vno, alteroq; die in fide Catholica inſtruat, cui me, Eccleſiæque in æuum ſubijcio. Graues ſedatæ lites, & cauſa compoſita maximi momenti, inter primates, qui ex inimicis facti ſunt a-

Digitized by Google

miciſſimi,& magnum alioquin animarum erat ſecuturum detrimentum. Confeſſiones exceptæ mille quadringentæ quadraginta ſex, in quibus generales nonaginta octo. Vna ferè vox omnium fuit miſeros ſe fuiſſe hactenus, futuroſque miſeriores ni de ſanctiore ipſis Parocho proſpiciatur. Maritus cum vxore longum iter Confeſſionis generalis cauſa ſuſceperat, affirmauit ſe ab annis iam quindecim tam graues ſuſtinuiſſe antiqui hoſtis afflictiones, vt intempeſta nocte facilè centies lecto excitum per cubiculum circum agitauerit, fauces quaſi obſtruxerit, caput corpuſque totum ad parietes alliſerit, tantum non omnino extinxerit. Confeſſus tantam ſe mentis tranquillitatem, gaudiumque ſentire aſſerebat, vt ſibi renatus videretur. Traditam inſuper rectè deinceps viuendi rationem calamo excepit, & ſumpto Chriſti corpore, gratijsque ingentibus actis abijt. Inuenti qui tribus, vndecim, aut quatuordecim annis animum pœnitentiæ ſacramento non expiaſſent. Duarum proſtitutæ pudicitiæ fœminarum facta conuerſio. Religioſus cuiuſdam Monaſterij penè primus, quadraginta tres iã annos profeſſus, à firmiſſimo deſerendæ religionis propoſito reuocatus. Actum, viris magnis tollendi ſcandali cauſa obnixè rogantibus, cum duobus Prælatis, conſiliumque datum qua ratione ſuos in officio continerent, præcipuè vt paupertatis votum ſeruaretur, Monaſterium clauderetur, Religioſi ſæcularibus bono exemplo forent. Conſilium animis accepêre libentiſſimis, pariturosque polliciti ſunt, immortalibus actis gratijs. Accepti in ſumma ſunt Noſtri à popularibus, Parochis, nobilibus plerumque humaniſſimè, ægreque dimiſſi. Alias Parochorum vices crebrò obitæ, conciones, & Catechiſmi habiti, confeſſiones multæ, & generales aliquot exceptæ: duo ab hæreſi abſoluti. Cœnobiarcha Breuiarium, & Miſſale Romanum cum omnibus cærimonijs in ſui Monaſterij chorum introducturus,

Digitized by Google

cturus, vnum de noſtris impetrauit, magnis precibus qui ſe ſuoſque ea in re ritè inſtitueret. In digreſſu habito exhortatio ad totum conuentum præſente Prælato.

COLLEGIVM OENIPONTANVM.

AD opem Gallicanæ Noſtrorum calamitati ferendam à domeſticis nonnullis, horæ in oratione poſitæ quadragenæ: alia quotidie addita, conſuetæ ſcilicet matutinæ preces, præter diuexationes corporum varias. Conciones cum reliquus conſecutus eſt fructus, tum reuocatum vetus inſtitutum ſolemnium ſupplicationum, quæ neglectui, contemptuique eſſe cœperant. De morte, inaniſque ſeculi faſtu habita concio, adeò placuit, vt ad nobilium hominum efflagitationem res latiùs explicanda fuerit, alijs de eodem argumento adiunctis concionibus. Catecheſeos in noſtra, & Diui Nicolai æde ſolitus eſt fructus. Apud nos ſacroſancta myſteria perceperunt quater decies mille trecẽti, & amplius. Omnium à pueritia peccatorum repetita confeſſio ſexagies, & ſepties, ad Catholicorum caſtra tranſlati duo. Increbreſcit in dies mos ille, exemplo haud vulgari præeuntibus hoc anno nonnullis, in ordinem procerum regiminis adſciſcendis, qui vt officij ſuſcepti fidem dent ſæpius vitæ noxas confeſſione delent. Venêre huc ex locis longè diſſitis peccata expiaturi, abiêre tanto lætitiæ ſenſu, vt redire ſæpius ſtatuerint: corporis quoque ſubinde ſalute recepta. Spes addita deſperantibus: animus nocturnis territo timoribus. Vanus mos, vt qui lugent, tricenos dies domi ſe contineant, templi acceſſu prohibiti, aboleri cœptus, quod plus commodi vita functis e ſacrorum frequentatione

Digitized by Google

accedat. Effectum, vt Patrini eorum quos è sacro fonte susceperunt, in fidei rebus docendis curam gerant. Vt Bacchanalium licentia supprimeretur, cum primatibus regiminis priuatim, cum populo publicè pro suggestu actum, & peractũ. Libri Hæretici, superstitiosi, fœdi, magno numero erepti: iniqui contractus correcti, iniusti census sublati. De rebus ambiguis, responsa, & consilia Parochis data familiari sermone, piorum admista lectione libellorum adducti multi, vt templorum, sacramentorumque essent studiosiores: id tùm domi, tùm apud ægros sanis adstantibus factitatum. Cognatis per maleficium ægro sanitatem restituere paratis restitere nobiles matronæ apud nos peccata deponere solitæ, & nostrum clam accersêre, qui cùm per speciẽ inuisendi dissimulanter veniſſet, mala medicandi ratione à præsentibus narrata, omnes ab eadem absterruit. Opera præstita suspendiarijs. Vni confessionem pertinaciter respuenti Noster tota nocte precibus intentus impetrauit, vt sequenti luce, singulari cum dolore vulnera conscientiæ aperiret.

ILLVSTRISSIMVS Philippus Spinellus Archiepiscopus Colossensis Apostolicus, ad Imperatorem Legatus, in templo nostro sacris operatus, prandium in domo sumpsit. Moratus in vrbe dies aliquot, sæpè cum nostro egit amicissimè testatus se vnicè optare, vt domo nostra varijs prærogatiuis ornata, suam Societati beneuolentiam posset patefacere. Se paucis annis, quibus Antistitem egerat, succubiturum sæpè fuisse, Nostrorum opera non adiutum. Aliam Ecclesiæ faciem apparere, vbi Societas nulla haberet domicilia. Eadem se lance ponderare, Societatis conturbationes, & Ecclesiæ siue causas earum, siue vtilitatem, siue auctores intueretur. Toties magnum animo suo de peccatis dolorem exoriri, quoties B. P. N. Ignatij vitam lectitaret. Indulgentias Marianæ Sodalitati tributas confirmauit, & auxit, elegan-

ti

Digitized by Google

ganti carmine ab eadem ſalutatus. Quin & ipſe cum nepote Theologo atque auditore in catalogum adſcribi voluit, quod idem præſtitit Reuerendiſſimus Epiſcopus Chiemenſis, Societati in primis addictus. Primores Regiminis conſilijs noſtris ytuntur frequenter. Vnus centenos nobis aureos obtulit, totidem alius legauit. Ad ſacram ſupellectilé acceſſêre veſtis ſacrificalis aurata pallia tegendæ Euchariſtiæ pyxidi, prægrandes tabulæ duæ pictæ, diuorum reliquijs refertæ, & vexillum in ſolemnium ſupplicationũ vſum. Scholaſtica iuuentus nobilis & copioſa, exercitationes litterarię celebres, Partheniorum feruor elucet, corpus crebrò caſtigarũt, humo pro cubili nonnunquam vſi, indoctos docuêre, peccantes emendauêre, ęternas pœnas pariter, & delicias plurimis explicauêre, pro animabus purgatorij frequẽter precati, ſacramenta, ſupplicationeſque frequentarunt. Abſentes è multis milliaribus ad menſtruos patronos accipiendos ventitant.

COLLEGIVM HALLENSE.

AD Societatem admiſſus vnus. Exercitia ſpiritualia tradita Sacerdoti. Vrbanus cõcionator tanto cum prouentu diuinum ſeminauit verbum, vt confitentium communicantiumque numerus in ſingulos propemodum feſtos dies augeretur, & vt Natalibus Chriſti trecenti amplius, quàm ſuperioribus annis numerarentur. Habuit etiam præter conſuetudinem conciones extraordinarias in noſtro templo. Alius apud vicinos ruſticos concionibus toto ferè anno habitis, conſecutus eſt, vt cùm poſt hominum memoriam

riam nemo extra paſchà, pœnitentiam, & Euchariſtiam ſuſceperit, hoc anno ad Natalem Domini, Penteeoſten, Aſſumptionem B. V. id fecerint non pauci. Maiori ieiunio præter confeſſiones auditas tradidit Fidei Chriſtianæ rudimenta, ægrotos viſit,& ſacro viatico, ſolatijſque confirmauit. Hominem à turpi concubinatu abſterruit, falſorum dogmatum libros ab offerentibus accepit. Supellectilem ſacram, ſua induſtria auxit, ornauitque, animos hominum ſibi mirificè deuinxit. Habitæ & aliæ conciones extra ordinem rogatu Parochi præſertim, morbo thermiſque impediti. Catechiſmus domi toto anno, foris duobus in locis ſacratiori tempore doctus. Viſitati ægri, captiui, elephantiaci. His etiam Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramenta miniſtrata. Captiuus poſt confeſſionem, communionem, cæteramque inſtructionem faſſus eſt, ſi ſibi puero tales vitæ formatores ſuppeditaſſent, nunquam futurum fuiſſe eum in locum vt conijceretur. Ante ſupplicium petita propalam venia, infami ſuo exitu iuuentutem à criminibus abſterruit. Obitum frequenter Noſocomium, ægris non tantum animorum, ſed etiam corporum medicina adhibita, & ſtips emendicata. Vſus Extremæ vnctionis, quem horrebant, aut nimium procraſtinabant perſuaſus. Exempta marito non ſatis ſanæ mentis falſa de vxore opinio, cuius cauſa eam ne aſpectu quidem dignabatur ſuo. Inuidia, & odijs reſtinctis amicitiæ redintegratæ; pax inter ſex coniuges, quorum inter duos nihil erat procliuius, diuortium quàm vt facerent. Duo qui perpetuis rixis conuitijſque alebant odij flammam, dextras, veniamque mutuò dederunt. Afflicti, & plus æquo anxij, etiam ex locis longè diſiunctis erecti. Fœmina à Dæmone multis annis, noctu cultro, gladio, lapide, aut flammis velut à dracone eiectis peti viſa, confeſſionis ope liberata. Alteri conſilium voluntariæ necis ademptum. Confeſſiones generales auditæ

quadra

Digitized by Google

quadraginta quatuor. Duo ex consuetudine mulierculæ; tres ex adulterijs multorum annorum emerserunt. Curionibus admoti stimuli ad officium ritè exequendum. Non pauci per speciem familiaritatis ad vsum Sacramentorum vel legitimum, vel frequentiorum; ad nomen Sodalitio B.V. dandum inducti. A superstitiosis carminibus, & curationibus, veneficarum consortio, illicito carnium esu abstracti nonnulli. Distributi Agni Dei contra Diabolicas technas magno numero, quod eorum experta virtutem mater in difficultate partus, magnum in cæteris desiderium excitarit. Libri prohibiti à discipulis, ciuibusque nobis traditi, postquam in eos inuecti fuimus. Discipuli quo pauciores, eo diligentiùs à Magistris excoluntur. Sodales B.V. etsi magna ex parte pueri, ea præstant, quæ pastoribus animarum ex officio præstantibus laudi darentur. Episcopi Brixinensis Vicarius in reparanda Monasterij cuiusdam disciplina, auxilium nostrum coram petijt. Adiunctus ei cum Socio Pater, exhortationes ad Monachos, conciones ad populum habuit: Confessiones etiam generales excepit. Duorũ Monachorum distractos reconciliauit animos, flexis ipse Prior genibus, exemplum ambo eius imitati sunt. Alium ad primum sacrum exercitijs præparauit. Dono nobis dati calices argentei inaurati duo, casulę quinque præter florenos quinquaginta, & multa preciosa aræ ornamenta.

DO

Digitized by Google

DOMVS LAND-SPERGENSIS.

EXERCITIIS spiritualibus operam dederunt è Nostris duodecim ex varijs Collegijs post studiorum distractionem missi. Obiere Nouitij duo, alter Onophrius VVinter dysenteria: Alter qui ei ministrat ab illo contracto morbo (vt putatur) pestifero sublatus est apostemate. Itaque terni varijs itineribus Eberspergam, & ad alia loca dispersi sunt, vt aeris mutatione à se domoque periculum declinarent. Deo sanè & Diuo Sebastiano Ebersbergensi, cui pro communi salute nostra votum nuncupatum, acceptum referimus, quod malum hoc cum illo vnico extinctum fuerit. Horum duorum iacturam compensarunt tres hic susceptì, & ex alijs Collegijs nouemdecim. Inter quos aliqui viam ad Religionis ingressum varijs difficultatibus implicatam forti animo superarunt. Vnus cum parentibus luctatus biennium est. Quem illi domum auocatum asperis verbis aggrediuntur, minas intentant, nihil non faciunt, quo iuuenis animum à proposito deflectant: Sic inter sacrum saxumq; consistens in febrim incidit; quam Dei se vocatis vocem interpretatus parere voluit: cui se auunculus eius, vir magnæ auctoritatis opposuit, deque illius constantia periculum facturus, obiectis inter alia varijs sordidisque opificijs, quæ ei alio, atque alio tempore addiscenda forent. At ille se omnia in eo qui ipsum confortaret, posse testatus, victum auunculum manus dare coegit. Alius non obscuris vocationis diuinæ indicijs diu reluctatus, tandem cessit: incendij species ei per somnum fuerat obiecta, voxque audita, eiusmodi flammis ad dicendum fore, ni eas susceptо Societatis instituto propulsaret. Inter

Digitized by Google

ter reuoluenda hæc Dominicæ orationis verba, Fiat voluntas tua, acrioribus identidem stimulis pressus, perijt tamen vt Dei voluntas in se ad peccata tantum vitanda, non Religionis ingressum, fieret. Extraxit demùm rebus fluxis immersum assiduè distillãs in pedè catarrhus, qui omni alia curatione excluſa, non nisi emisso Societatis complectendæ voto sanari potuit.

Dimissi completo biennio ad varia Collegia viginti & vnus. Duobus in vrbe locis per totum annum in pagis tribus per Aduentum, & Quadragesimam doctrinam Christianam docuerunt. Parochi, vt soliro citiùs mitterentur, rogarunt. Mutuam inter se concordiã crebriori Nostrorum aduentui, discordiam tardiori attribuunt. Carceres visitati. Reus nostros primum, nec alloquio nec aspectu dignatus; sensim tamen ad confessionem, supplicijque patientiam adductus.

IN peregrinationibus Nouitiorum nec occasio virtuti, nec virtus occasioni defuit: domi orationis, & mortificationis spectatum studium. Ex stata in Parochiali tẽplo concione magni sæpe animorum motus facti, prauæ consuetudines sublatæ, multorum vita in melius emendata; enormiora, & diuturno silentio pressa scelera patefacta. Habitæ & extraordinariæ conciones per Aduentum, & Quadragesimam frequenti auditorio. Confessiones solitò plures auditæ: generales septuaginta; cuius rei gratia ab aliquibus aliquot milliarium iter susceptum. Ab hæresi absoluti sex. Nocturnum, diurnumque spectrum dæmonis ignem exspirãtis, & morbus caducus confessione depulsus. Concionibus paganis iturandi, & ante finitum Sacrum, egrediendi consuetudo correcta: mos domi quotidiè orandi edoctus. Rusticus cum seruum ad integrum Sacrum audiendum adducere non potuisset, omnibus tentatis seruitio excluſit. Infirmus somnio, quo confessionis faciendæ monebatur, paruit, & sani-

Digitized by Google

tati restitutus est. In alio pago confessione generali peccata expiarunt omnes. Ad Pentecostes, & Ascensionis communicarunt multi, nouo inter vicinos exemplo. Catechismus ibidem traditus per Quadragesimam, & magnam ætatis partem, multorum ex alijs pagis concursus & auiditate discendi.

IN Mindelhain quater itum, ad Illustrem D. Christophorum Fuggerum vbi confessiones multæ in Festo Assumptionis B. V. auditæ. Idem Dominus libros hæreticos inter ciues repertos nobis transmisit.

REMOTIORES quoque missiones vtiliter susceptæ. Reuerendissimus Abbas VVeingartensis lætus de fructu à duobus nostris Patribus per Aduentum collecto, confessionum videlicet quadringentarum, alios duos obtinuit per Quadragesimam. Habitæ conciones ad populum, exhortationes ad Religiosos, & leprosos: horum vtrorumque confessiones auditæ, & popularium mille quingentæ. Ex his confessionis gratiâ multi eò ex alijs locis profecti: libri prohibiti ad nos delati. AEger eò se in sella gestatoria deportandum curauit, vt cum Catholicis reliquum vitæ viuere, & mori posset. Qui ob mentis inquietem conscisere sibi necem statuerant (cultro guttur iam vnus sauciauerat) tranquillitati restituti. Rogantibus ludi Moderatoribus melior in litteris, & pietate proficiendi modus traditus: alia denique multa peracta, quibus Reuerendissimi desiderium expleſſe videntur. Similia præstita in Kirchaim rogatu Illustris Domini Marci Fuggeri. Beneuolentiam Sereniſſimi Maximiliani, & Reuerēdiſſimi Episcopi Augustani sumus experti. Abbas VVeingartensis aliquot vini plaustra nobis misit, data vni è Nostris optione, quæ vellet præstantiora vina eligendi. Vidua quædam anno superiori filium, hoc, centum florenos, casulam, & tria antipendia obtulit. Illustris Domina Comitissa, sex agrorum, & aliquot pratorum iugera,

præter

Digitized by Google

præter alia consueta munera, & suppellectilem, domui nostræ adiecit. Comes ipse, auctor huius domus, optimeque de nobis meritus, editis singularibus cùm per omnem ferè vitam, tùm verò in obitu pietatis, ac patientiæ speciminibus, obdormuit in Domino: tumulatus in æde nostra, exsequijs frequentissimo populo, & quàm fieri potuit maximo apparatu persolutis.

SEDES OETINGENSIS.

EXERCITIIS spiritualibus eruditi tres, Religiosus ex longinquo Monasterio, Sacerdos nouus, qui plus tredecim milliaribus hac de causa potissimùm venit, antequam primum faceret Sacrum; Vir nobilis oppidi cuiusdam Præfectus eo cum sensu, vt in digressu officiosè gratias ageret. Concliones, & ternæ Catecheses ordinariæ, & extraordinariæ certis temporibus, lociscque habitæ. Vnde ad Domini Natalem prope mille confessi communicarunt. Sodalitas Annunciatæ Virginis instituta, allectis in eam triginta circiter viris honestis, probis, nobilibus etiam, alibi degentibus, & dignitate vel doctrina vtriusque ordinis spectabilibus. Conuentus agunt sedulò, etiam alios ad S. Synaxeos, & Pœnitentiæ vsum, Christianique hominis officium verbo, & exemplo præeunt. Toto penè anno, si paucos summæ hyemis dies excipias, peregrini huc ventitant, & confitentur. Generales exomologeses exceptæ sexcentæ. Ab hæresi absoluti domi, foriscque triginta & vnus. A concubinatus cœno extracti complures. Simultates inter coniuges discussæ. Pauperibus impetratæ eleemosynæ.

Digitized by Google

INTER peregrinos fuêre Sereniſſimus Maximilianus, cum Sereniſſima coniuge: ornatum ſacrum, materia arteque inſignem, ædi Virgineæ, in pauperum alioſque pios vſus, pecuniam copioſam noſtro Patri diſpertiendam reliquit. Tranſijt hac & Sereniſſima Gretſenſis ex Hiſpania redux, quò filiam ſponſam iam Reginam deduxerat, gratias Virgini de periculis terra, marique vitatis egit, domum, & templum noſtrum humaniſſimè luſtrauit. Redierunt ad annuam Mariani Sacelli dedicationem Landishutani ad octingentos. Magna pars ad multam noctem, poſteroque mane confeſſi communicarunt. Longum ſit percenſere illuſtria Oetingenſis Virginis miracula, quæ peregrini retulerunt, votiuis teſtati muneribus. Ad ſummam, naufragis portum, depoſitis deſperatam reſtituit valetudinem. Ciborium noſtri templi piorum liberalitate redditum capacius, oblatis in hunc vſum, phialis duabus, alioque poculo, & veſtitum holoſerico palliolo. Oblata etiam ſerta duo vnionibus, toruliſque aureis diſtincta, quæ feſtis diebus reliquiarum theçis imponuntur. Pueruli IESV recens nati ſtatuam affabrè ſculptam, togulaque ſerica auro criſpante cultam, corolla inſuper acu, vnionibuſque picta intermicantem obtulit Sereniſſima Gretſenſis, duo candelabra argentea, fuſili opere cælata, coniux Sereniſſimi Ferdinandi. His acceſſêre Crucifixi imago argentea, ſtipiti ex ebeno fixa, trunco argenteis emblematis diſtincto, aliaque eiuſdem effigies, quæ nunc è medio lacunari demiſſa pendet, pallium ſericum purpureum vermiculatum tegendis aris, peplauela, & id genus alia multa.

BVRCHLVSII, quò ſæpe excurſum eſt, confeſſiones ad Paſcha auditæ trecentæ triginta, & amplius: ad Natalem, ducentæ quinquaginta. Odia inueterata poenitentium animis euulſa: rerum alienarum redhibitiones factæ complures: ſuperſtitiones, & abuſus ſublati. Ab hæreſi

Digitized by Google

resi resipuêre quindecim. Ad vnicam Sanctæ Eucharistiæ speciem sumendam præmissa fidei professione adducti quadringenti. Ad Pascha auditæ Confessiones mille ducentæ, & quidem generales nongentæ. Sublatus abusus è Sacro nondum finito discedendi: mane, ac vesperi, vel ante sacram imaginem orandi reuocatus vsus: peregrini ita in fide confirmati, vt multi affirmarint, nec leuia dederint argumenta, se morituros potiùs quàm fidem Catholicam cum adulterina commutaturos. Rosariorum vsurpatio, & recitandi modus expositus, & restitutus. Conciones, Catecheses, pagorum lustrationes frequentatæ. Magnum discedentis Nostri desiderium fecit Præsul, & cum mille trecentis suis ad B. V. Oetingensem supplicatum venit, & cum trecentis confessus communicauit nobis Quadragesimalia esculenta, vinique dolium submisit.

SEDES CONSTANTIENSIS.

EXERCITIIS perpoliti duo, Abbas, & alius Religiosus. Conciones in ædè principè, Monasterijs, aliisque locis habitæ. Ciues Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramentis identidem se muniunt: rei diuinæ, statisque concionibus frequentes adsunt, egenis benignè faciunt, ægrotos inuisunt, eisdemque quod ab alijs emendicarunt hilariter suppeditant, libros impios ad nos deferunt, intenti in omnem occasionem, quo Nostris agere liceat cum ijs, qui præsens suaque persuasione contemnunt omnia. Non nemo, vt corrupta cuidam Biblia adimeret, integra tradidit sua. Sub initium noui anni sacris in nostro templo operati Suffraganei duo, alias duo Sacerdotes ibidè primas Deo

Digitized by Google

obtulerunt, præsentibus binis Abbatibus, primisq; è turba ciuitatis. Confessiones auditæ decies mille trecentæ: in ijs generales octoginta quatuor. Ab hæresi liberati triginta octo: quos inter vir ætate grauis (septuagenarium eum iudicant) cuius pater haud ignobilis in hac vrbe quinti Euangelij blatero fuit. Hebræus honesto inter suos loco natus, artisque Medicæ cum primis peritus, à nobis Christiana doctrina imbutus, à Suffraganeo baptisatus. Magnus ad nos Sacerdotum concursus partim Confessionis, partim alterius cuiuslibet opis causa. De doctrina paruulorũ, ægrotantium visitatione, & alijs id genus vulgaribus sileo. Offensiones inter primariam familiã exarserant ita graues, vt nulla ratione restingui possent, quam, quã sæpe multis, adeoq; ipsis Senatoribus flãmę obsistere adnitentibus. Magnum timebatur incendium ni serpenti malo per Nostros succurrisset Dominus, pacemque reddidisset ingenti familiæ, Senatus, ciuium gratulatione, Societatisque commendatione. Aucta Bibliotheca, instrumentum sacrum calice, casula dnabus, antipendio, florenis centum: aucta & res familiaris totidem florenis, plaustro vno vini, & dimidio.

EXCVRRIMVS euocati crebrò ad oppida, arces Nobilium, & Comitum, ad cœnobia, & pagos loca omnino viginti tria. Ægrotanti Parœcho Noster vsque ad extremum spiritum ministrauit, quæ ad corpus, ac spiritum pertinerent, eius rogatu parœciam nouem menses administrauit, populum in fide confirmauit, ad Pœnitentiam, & Eucharistiam sæpius sumendam, supplicationes maiori frequentia celebrandas animauit, primarium virum confessione expiauit, moribundum, mortuum concione honestauit, hædis quoque Zvvingliana fœce malè olentibus, ad oues patefactum iter. Vir nobilis, virtute, doctrina, opibus affluens, Sacerdoti nostro ad se in arcem euocato non modò peccata, sed omnem viuendi rationem

Digitized by Google

nem indicauit, vt eius se arbitrio ad Dei laudem, proximique vtilitatem totum committeret. Sperandus hinc fructus eo maior, quò latiùs is imperat, & quo est ad benè faciendum à re paratior, ac animo propensior. Annua in VVeingartensi Monasterio celebritas extitit illustrior, translato Christi sanguine è veteri in nouum sacellum mirificè exornatum. Vocatus eodem pater Noster per octiduum, quo festum durauit, quinquies concionatus est, pro pè incredibili hominum nunc aduentantium, nunc abeuntium multitudine, omnino viginti tria, eóque amplius millia fuisse creduntur.

COLLEGIVM LVCERNENSE.

DEFVNCTVS est Coadiutor, annos in Societate viginti nouem commoratus, homo multæ virtutis, obedientiæ magnæ, contemptor sui, ac rerum fluxarum, cœlestiumque amator. Alter cooptatus in numerum Coadiutorum temporalium formatorum, Quidam ære alieno oppressus, atque ad desperationem propè adductus, fugam, mortem, aliaque facinora meditatus, confessione & consilio adiutus. Monialis Monasterio præposita annos nonaginta sex nata, infans olim ab Vdalrico Zvvinglio Hæresiarcha è sacro fonte suscepta, iam diu nil tam in votis habuit, quam vt ante obitum vni de Societate exomologesim faceret: facta est voti compos cùm casu vnus è Nostris transiret, & mense post obijt. Concionum in vrbe, pagisve habitarum is fructus fuit, vt multos ad lachrymas, & confessionem permouerint. AEgroti morituri, afflicti, desperati, alijq; tales adiuti. Data salutaria consilia com-

Digitized by Google

pluribus, vt offensas remitterent, cum coniugibus in gratiâ redirent, parentibus obedirent, aliáq; officia facerent. Quædam nulla ratione ad animi tranquillitatem, & remittendam iniuriam adduci posse videbatur: aduersarios ad vallem Iosaphat, Deique Tribunal prouocabat, atque ad hæreticos discessum cogitabat. vnius Nostrorum intercessione & iniuriam condonauit, & sacramentu frequentauit. Nosodochium, Xenodochium, carcer, inuisa. A non paucis consilia voluntarij necis, vel pudicitiæ præsentia propulsata pericula. Virgo ab adultero inclusa, & ad flagitium minis adacta, vulnus accipere, quàm obsequi maluit. Duæ viduę propter liberorum copiam, & egestatem tentatæ assensum negarunt; cùm nihilominus instarei procax, satisque diceret vitæ, prolique fornicando consulere, quàm fame perire: prius id se facturas negarunt, quàm Confessarium consuluissent. Venit in vrbem leno, magni se cuiusdam Ecclesiastici scribam professus, ideoque missum, vt si quas liberali inuenisset forma, adduceret, incidit in quādam quæ non displicuit, sed neque cum Deo dignis hominibus quidquam negotij habituram se asseruit. Ille ad alias technas conuersus, sibi vt nubat petit, virgo magni nominis hominem rata, consentit: datur annulus, posterus dies discessui dicitur. Dum se parat ad iter venit ei in mentem confessionis faciendæ. Confessarius monet, tam citò ignoto ne credat: re diligentiùs explorata, compertum est deceptorem vxori iam ante alligatum. Ancillæ dominorum periclantiam effugêre, alij vtriusque sexus à turpi amore deducti dissidia ob hanc rem excitata, extincta. Effectum etiam, vt opulentiorum copia tenuiorum subleuaret inopiam. Reliquiæ multæ SS. regio cultu exornatæ à Serenissimo VVilhelmo Bauariæ Duce, in hanc vrbem missæ, & magna cum pompa omnium ordinum in nostram ædem translatæ.

IN

Digitized by Google

INVISERVNT nos magna cum beneuolentiæ significatione Sereniſſimus Albertus Archidux Auſtriæ, & Iſabella coniux eius, Philippi Hiſpaniarum Regis nata. Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Nuncius Apoſtolicus rem ſacram auxit caſula : Illuſtris Dominus Alphonſus Caſatus Philippi tertij apud Heluetios Legatus Bibliothecã operibus Alphonſi Toſtati Abulenſis Epiſcopi in viginti quatuor tomos diſtributis : R. D. Gabriel Leo Canonici Collegij Præpoſitus, ſeptem tomis prioribus Baronij, pollicitus etiam cæteros vbi exiſſent. Oblata etiam altera caſula, calix, pila lapidea artificiosè excauata, cum vaſe cupreo pro aqua benedicta aſſeruanda, aliaque diuerſa donaria. Cœtus Parthenius vterque diſcipulorum, & virorum pietate viget. Ad ſcholas acceſsêre Rhetorica, Dialectica, Theologia moralis : ad reditus annuos coronati trecenti. Scholaſticorum induſtria eniuit, & virtus. Procax lena ad vnius lectum noctu cum irrepſiſſet verbis, geſtibus, blanditijs adoleſcentis animum expugnare aggreſſa, nec verbis cedens, viribus repulſa eſt. Per Aduentum, Quadrageſimam, aliaque tempora excurſum in varia loca; plenariæ Indulgentiæ à S. D. N. ad decennium conceſſæ pro ſuggeſtu promulgatæ; confeſſiones plurimæ exceptæ, nec paucæ generales. Ab hæreſi erepti duodecim, Sacerdos Noſtros venturos cum intellexiſſet, omni ſtudio ſe ad Generalem confeſſionem parauit, abiecta pellice, qua diu abuſus fuerat, ſuſceptoque magno, & difficili ad nos itinere, tanto dolore, & lachrimarum copia confeſſus eſt, vt Noſter quoque à lachrymis vix temperare potuerit. Puella quæ ob paupertatem aliquot annos vulgauerat corpus, inſomnijs, diuinisque vocibus à Sacerdotis pellicatu abſterrita, totius vitæ maculas Noſtro patefecit. Duæ aliæ à turpi amore abſtractæ, à quo ſe ſolui poſſe deſperarant.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM FRIBVRGENSE.

AD Nouitiatum missus vnus. Tres Concionatores ordinarij superiorum annorum fructus auxerunt. Multi & à nobis, & à confessione alieniores, Nostrorum opera iam prolixè vtuntur: patiuntur nonnulli partem sibi mercedis detrahi à dominis, vt Concionatores, & *Confessarios* nostros adire possint. Non pauci gratias egêre, de superstitionibus pro concione exagitatis: libros eius notæ, attulêre, aut combusêre. Intemperantissimis perpotationibus assuetus quidam, & à Nostro sæpiùs ad frugẽ reuocatus sua, suorumque salute nil habet antiquius. Mulier à malo spiritu agitari sibi visa, itinere satis longo nos adijt, confessioneque, & communione peracta tranquillitatem recuperauit. Coniuges cum coniugibus, famulę cum heris, de concionibus, mysterijs, Sacello nostro frequẽtando concertant. Virgines, & viduæ ieiunijs ac verberibus corpus afflictarunt. Alia cilicium, & verbera adhibuit, vt consanguineæ pertinacem errorem eriperet. Quædam ægra ad festum omnium Sanctorum confessura, maritum exorauit, vt se in humeros sublatam, *in* montem S. Michaëlis, vbi Sacellum nostrum est, deportaret. Vir scelere onustus ad sacram Synaxim accesserat: adhæsit hostia gutturi, vt penè suffocaretur: vouit cum lachrymis integram confessionem, sed deinde aliud tempus distulit. Nocturnis diurnisque spectris exterritus, ad pia confugit opera: tandem noctu admonitus, postridie Patrem nostrum vt adiret, nisi inferorum fieri mancipium vellet. Quidam auctoritate nó parua ab inimicis

Digitized by Google

amicis noſtris ad nos diuexandos inductus: audita concione noſtra poſtridie à Patre veniam precatus, amoremque in nos ſuum, teſtatus, emendationem promiſit. Acria puerorum ſunt certamina, doctrinæ Chriſtianæ capita decurrentium, non ſine applauſu ſpectatorum, & commendatione. Dato ad Infantis Chriſti cunas Dialogo de paſtoribus, lachrymas paſſim permiſtas ciuibus excuſsêre. Aliquot coniugum paria præter ſpem multorum in gratiam reſtituta. Contentio grauis inter duas familias ſedata. Quinquagenarius qui ante viginti annos ab vxore diuortium fecerat, & pellicem, ex qua liberos etiam ſuſcepit, ſubſtituerat: ad coniugem iecta pellice reductus. De nocte vir ab impuro ſpiritu ad impuritatem concitatus, B. Virgini perpetuam vouit caſtitatem. Infirmis, & captiuis opera impenſa. In his adoleſcens vix quintum decimum ingreſſus annum, antequam capite plecteretur, ſingularem præ ſe tulit pietatis ſenſum, moriendique deſiderium: familiares ſuos ad officium: Patres familias ad Chriſtianam liberorum inſtitutionem adhortatus, à circumfuſa multitudine veniam deprecatus, preces quoque impetrauit. Cùm peſtis aditum ad Allobrogum montes Gallis Romam peregrinantibus intercluſiſſet, multi Friburgum diuerterunt, Sacramentisque ſe munierunt. Eiuſdem rei cauſa nonnulli ex ſanctiſſima B. Virginis eremo ad nos venerunt. Quidam adulterij, alius odij flammis ereptus.

FORIS quoque conciones, & Catecheſes inſtitutæ, confeſsiones auditæ, odia ſopita, aliaque officia charitatis præſtita: ad quæ à magnis viris non rarò Noſtri reuocati. Alibi effectum vt nonnulli, qui Sodalitiũ B. Virginis parui antea fecerant, ante Patris abitum numero Sodalium adiungi cupiuerint. Numerus pœnitentium totius anni fuit ſexies mille ſeptingentorum quadraginta quinque: confeſsiones generales centum triginta quatuor

quatuor. Ab hæreſi liberati viginti quinque. Diſcipulorum pietas, ingenium, eluxit, & numerus. Sodales B. Virginis præcipuo virtutum ſtudio flagrant. Orandi, meditandique laborem cum carnis petulantis afflictione, prauarum cupiditatum moderatione, in Deum, & proximum charitate coniungunt. Liberalibus in Sacello noſtro duodecim horarum preces celebrarũt. Quidam nocturnis imaginibus ad turpitudinẽ allectatus, caſtitatis voto B. Virgini edito tentationũ aculeos obtudit. Alter exardeſcẽte libidine in niues ſe abiecit nudũ. Mitto inediæ, verberum, ciliciorum aſperitates. Sceleratus vir quendam ad grauiora flagitia excitabat: huic acriter reſiſtenti cùm inſtaret ille, implorata Superum ope, ſuccubuit tandem nequam, & rubore ſuffuſus diſceſſit. Quidã corporis pulchritudine, & vano cultu elatior, ſalubria monita aſpernabatur, ſed adito B. Virginis Sacello, humilitatis inde hauſto ſpiritu, vanitatem deteſtatus, in lutum ſe abiecit, gregalibus illudendum obiecit. Alius ſuas corporis dotes ſuſpiciens, in locum mortuorum calnarijs aſſeruandis dedicatum deſcendit, earum oſculo, & ſeria meditatione, quàm caduca ſint res mortalium, in ſuæ cognitione deſpicientiaque nõ mediocriter profecit. Floruit & virorum cœtus quatuordecim capitibus auctus. Aucta & ſacra ſuppellex noſtra reliquijs S S. & duabus lipſanothecis perquam prætioſis, quarum alteram Sereniſſimus VVilhelmus Bauariæ Princeps nobis miſit: oblata & alia dona, præſertim calices, & altaris operimenta.

COL

COLLEGIVM BRVNTRVTANVM.

HAERESIM deteſtati ſunt 5. quos inter fuit, qui ſanus nullam ſanæ fidei cogitationem admittebat: ægro pertinaciam vix tertia Patris noſtri viſitatio, & indefeſſa redeuntis, redituríque charitas eripuit. Fœmina oſtentatam à fratre hæretico maluit aſpernari opulentiam, quàm cum pauperie Catholicos deſerere. Matrona vrgente viro, vt hæreticorum in loco hæretico nuptias ſua præſentia cohoneſtaret: reſpondit diſſuadenti Confeſſario ſe parituram, & alia omnia perpeſſuram potius, quàm imperata facturam. Ciues & amore Noſtri, & Sacramentorum frequentatione proficiunt. Peregrinus nocturno commotus monitore, Bruntrutum in ciuitatem ſibi minimè notam veniret, & aliquem de Societate IESV conueniret, confeſſus lætitiam operæ pretium tulit.

SODALITAS Partheniorum nobilitate illuſtris eſt. Pridie Paraſceues duodenis pauperibus pedes lauêre, epulum præbuêre: totidem horas ad ſepulchrum Seruatoris precati: alios ad probitatem rationemque excutiendæ ante ſomnum conſcientiæ erudierunt: à iuramentis, & impuris ſermonibus feliciter cohibuerunt: ægros viſerunt, aſperitatem in ſua corpora exercuerunt. Pauperum ſtudijs proſpectum, impetrata multis eleemoſyna quotidiana non parua. Floreni inſuper annui in eam legati rem octoginta, & cum fructu collocati. A Nobilibus viris vocati Noſtri, conciones habuerunt, confeſſiones multas audierunt.

MISSIO

Digitized by Google

MISSIO PONTARLIACA.

PONTARLIACVM Burgundię per Aduentum, & Quadrageſimam miſsi duo, alter quotidie, excepto Sabbatho, ſemel: die verò Dominico bis concionatus: alter quotidiana Catecheſi parentes, liberosque ad officium Chriſtiani, confeſſionemque ritè peragendam inſtituit, nec fruſtrà turmatim hoſpitij fores occuparunt plerique, & Noſtros manè domo egredientes operiebantur: vt certus pœnitentium numerus iniri non potuerit, Iurandi conſuetudo abolita. Contractus ad ius, & æquum ſumma fœneratorum voluntate reuocati. Mos recitandi roſaria inſtitutus, vel reſtitutus. In nobilibus, cæterisque vtriuſque ſexus opulentioribus adoleſcentibus Catechiſmi non modò diſcendi, ſed docendi quoque extitit tantus ardor, vt in atrijs, & ad ædium ianuas mendicos congregatos docerent, doctos eleemoſina donarent. Vtrumque Noſtrûm conferta ſemper multitudo audiuit. Vna ferè omnium vox fuit: Ieſuitas Chriſtiani nomen oratoris pro dignitate ſuſtinere: ad ſolidam doctrinâ ſic ſuis coloribus vitia exprimere, vt nullus ea non oderit: ſic virtutis explicare ornamenta, vt ad ea nemo non vehementer inflammetur. Fœmina ſororem è vicinia Pontarliacum euocauit, vt Noſtro confiteretur: hæc confeſſa, fruſtra maritum, non fruſtra filium multarum palmarum militem ad idem faciendum inſtigauit. Confluxerunt & alij è pagis eandem ob cauſam. Pugnatum cum vno, qui minorem criminibus ſuis pœnam à iudice noſtro decerni affirmaret, quàm par eſſet.

Itum

Digitized by Google

ITVM etiam in vicina loca, deprehenso alicubi veneno quod siue fraude hæreticorum çonterminorum, siue incuria Curionis irrepebat, admoniti, & increpiti primores loci, malo occursuros spoponderunt. In itinere fratres duo mutuas iras sanguine restincturi, ægrè tandè placati. Pontarliacensibus Nostri adeò accepti fuêre, vt legato homine eosdem in annum sequentem petierint, & impetrarint. Cæterorum quoque Burgundionum in Nostros beneuolentia enituit, æstiuis vacationibus ad S. Claudium peregrinatos. Confessiones passim, vno in loco sexcentæ auditæ. Mulier quæ sex annis homini sacro pudicitiam prostituerat, ad honestatem reuocata, tutiorique loco collocata.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA RHENANA.

DE GVNT in Prouincia Rheni Socij supra tercentum septem & quinquaginta. Sacerdotes centum sexaginta octo: Scholarum Magistri quadraginta : *Studiosi* tres & quinquaginta : Rei *familiaris* Adiutores septem supra nonaginta : Quinque vita defuncti sunt: Duo supra triginta in Societatem adscripti.

COLLEGIVM COLONIENSE.

ALIT hoc Collegium Socios tres & quadraginta : Sacerdotes quatuor & viginti : Scholarum Magistros sex: Studiosos duos : Adiutores rei familiaris vndecim. Stata erga proximum ministeria suum tenuêre cursum : de quibus ista breuiter vniuersè. Plurimorum generales exomologeses exceptas : complures corporis, animæque periculis ereptos

Digitized by Google

ereptos: spontaneas item, ac graues corporis afflictiones susceptas: egentibus liberaliter subuentum: fraudes sublatas: non parui momenti summas veris dominis restitutas: in gratiam mutuam reductos dissidentes; aliquot spiritualibus exercitijs excultos: abolonos ab hæresi non paucos: Adolescentes in varias Religiosorum familias adscriptos.

ANTONIA Caroli Ducis Lotharingiæ filia: Iuliæ, Cliuorumque Duci desponsata, cùm dies aliquot hic subsisteret, Collegium longissimo licet intervallo semel, iterumque reuisit, palam Sacerdoti nostro de peccatis confessa, demùm cum exercitu sacra communione refecta. Cùm vir nobilis ex eiusdem Principis aula lacessitus hæretico cuidam lethale vulnus inflixisset, opera Sacerdotis nostri, qui vulnus acceperat & gratiam percussori fecit, & Ecclesiæ gratiam recepit. Desperabunda quædam cum mucrone sibi vitam tollere statuisset; animaduertens plagunculam cœlestis ægis, seu casu, seu consilio diuino, de collo sibi decidisse, quasi diuinitus admonita resipuit. Virgo claro loco nata fidei propagandæ causa, sponte pauper esse exul voluit, cùm sæpius à Cacodæmone spectabili forma tentaretur, multis item plagis acceptis, insuper & loquendi facultate priuaretur. Facta Sacerdoti nostro confessione, & sacro oleo à Curione iuncta, ex inopinato & visum linguæ, & corporis sanitatem recuperauit. Satrapa quidam vir claro genere natus locuples, & grandæuus, ea modestia animique submissione spiritualibus exercitijs excultus est, vt se perbeatum prædicet, nunquam tanti beneficij memoriam depositurus.

SCHOLARVM profectus quà pietatis, quà doctrinæ, quà multitudinis, & accessus tantus iam nunc cernitur, vt licet nouum nuper excitatum Gymnasium vetere non paulò spatiosius sit; auditorum tamen mul-

Digitized by Google

tudinem capere nequit. Anno vertente post absoluta Philosophiæ studia viginti magisterij laurea donati sunt; ex iis verò quinque lectissimi Societatis institutum complexi, quibus accessêre quatuor fratres ex alio quodam Colonienſis Academiæ Gymnasio, de quibus in Annuis Domus probationis vberiùs. Hos porrò duo futuri Coadintores mensibus aliquot præcesserant. Excursiones hoc anno per grassatores passim vias infidentes rariores factæ. Aulica missio Bonnæ apud Serenissimum Coadiutorem fructu solito, conciones, & catecheses domi, forisque continuauit. Aditi in ergastulis ob noxas, vel æs alienum detenti: dati confitentibus aures: visitati, & adiuti in Nosodochijs afflicti: Hebdomada sanctiore magna cùm populi Bonnenſis, tùm aulicæ familiæ pietas enituit in visendo, adorandoque sepulchro Dominico, singulari præ cæteris annis Serenissimi Coadutoris studio & industria exstructo. Non defuêre, qui dum psalmus Miserere, musicè decantaretur, in sua terga flagris sæuirent: alij via benè longa prælato Christi Crucifixi simulachro, non minori populi commotione, idem de se spectaculum præbuêre. Perfectum denique Gymnasium anno superiori cœptum ædificari, piorum omnium ordinis hominum eleemosynis. Res item domestica multorum liberalitate aucta, in primis Serenissimorum Principum Bauariæ.

MIS

MISSIO VVESALIENSIS.

VVESALIA oppidum est in Ducatu Cliuiç, vbi Lupia in Rhenum influit non magis Belgarum mercimonijs, quàm Caluinistarum corruptelis insigne. Coaluerat in eo perfidiæ pestis ab anno nono & trigesimo, nec vllius auctoritate facilè comprimi poterat, donec ad Lupiam anno superiore Catholicus exercitus hybernaret: Actum igitur ab Illustrissimo duce, D. Admiralio de Aragonia, vt Catholicam Religionem postliminio reuertentem iuxta pactiones, & fœdera, pridem cum Burgundiæ Principibus inita reciperent: Conuenit vtrimque de conditionibus: Inuitatur actionis Præses futurus Illustrissimus, & Reuerendissimus Coriolanus Ausarensis Episcopus per hasce partes Nuncius Apostolicus: datus ei comes itineris vnus è Nostris. Itaque mense Ianuario Colonia VVesaliam cum tota familia descendit pedes. in eo habitu, qui Nuncium decebat Apostolicum, cunctis ad spectaculum concurrentibus vrbem lætus ingreditur. Hospitium lubens offert vnus è discipulis nostris. Patricius VVesaliensis domum paternam peramplam. Clausæ per totum mensem Ianuarium Ecclesiæ nonnihil ad ritum Catholicum reparantur: solemni verò cœrimonia de nouo velut initiantur ad septimum, & octauum Februarij, præsentibus Cæsareæ Maiestatis Cliuiæ Ducis, & Illustrissimi Ducis Admiralij commissarijs. Publicis deinde sacris quotidie per quatuor ferè menses frequentantur. Senatus licet hæreticus magna tamen cura prouidit, ne quid petulanter aut immodestè fieret.

Digitized by Google

Spes erat magni fructus, si quod gerebatur negotium seriò, non terroris, aut exactionis causa declinandæ cœptum fuisset. Conuenerat auctoritate Ducis Cliuiæ à Senatu recipienda esse per vicinarum Ecclesiarum Prælatos omnia iura Ecclesiastica, expeditum nihil: conquirendos Pastores, & alios Ecclesiæ Ministros: adductus tandem vnus, & quidem alio loco Pastor, vnde diutiùs abesse non poterat. Indignantur nonnulli Catholici, quod mireris, adesse de Societate Sacerdotem, cui committi concio posset: Noster ergo iussu Reuerendissimi Nuncij conciones & munia boni Pastoris, cùm nullus aliùs adesset obire cœpit in Ecclesia S. Antonij. Idem in altera quæ D. VVilibrordo sacra est, diebus dominicis, festisque vsurpatum. De plano rudiores, & pueri capita doctrinæ Christianæ doceri cœpti, catecheses, imagines, ac pij libelli passim distributi. Per Quadragesimæ tempus in templis, & vicis vbi pauperes ad eleemosynam confluebant, exhortationes, & catecheses fieri, Illustrissimi Nuncij Sacellanus scholas habere, paruulos docere litteras, prima fidei rudimenta; prospero sanè successu, donec tandem quorundam Principum Germaniæ miles ad has oras descendens, omnem conatum, studiumque nostrum turbaret. Nam quòd Catholicus exercitus ab vrbe longiùs: Hæreticus autem propiùs abesset palam VVesalienses insolescere cœperunt: pueros à templis, & scholis auocare, Nostros sannis, & ludibrijs obuios, & absentes vexare, ad eleuationem sacri corporis Domini blasphemias euomere, in locum Sacrificij per absentiam Sacerdotum lapides conijcere, pedibus immundis nocturno tempore aras impressis vestigijs calcare: superari tamen hæc, & alia poterant, si permanere quoquo modo Sacerdotibus nostris licuisset. At verò discessurus erat Illustrissimus Nuncius, & eos abducturus, quorum tutelæ Catholici commit

committi possent, qui mori maluissent, quàm gregem, qui colligi cœperat, incustoditum relinquere. Credebãtur bis mille fuisse, qui Nostros sæpè audiuerant: ducenti cum Pastore partim, partim cum Nostris ad Pascha communicauerant, non sine graui comminatione Senatus, etiam cùm res optimè constitutæ viderentur, quòd videlicet cum Sacerdotibus colloquerentur, sacra spectarent, conciones audirent, pueros ob huiusmodi vapulare frequens. E pluribus anicula quædam eò, quòd se gaudere de aduentu nostro diceret, tam grauiter est percussa, vt membra luxata traheret, quæ postmodum fulcris ad Crucifixi modum nixa, tria sacra continenter audire cum magna sua consolatione perseuerauit. Reuerendissimus porrò Nuncius, vt in digressu muneri suo præclarè satisfieret, grauiter ad Cliuense Consilium scripsit, aut vt promissos Parochos mitterent, aut duos de Societate Sacerdotes in protectione sui Ducis acciperent, donec idonei conquiri possent, ni faciant se coram Deo, & hominibus palam protestari, de minùs felici negotij tam feliciter incœpti successu. Pari modo cum oppidi Senatu diligenter egit, sed omnia frustrà. Igitur ad vigesimum secundum Maij, vti venerat ita Nostris secum adsumptis recessit VVesalia.

COLLEGIVM TREVERENSE.

VIVVNT in Collegio Treuerensi Socij octo, & viginti: Sacerdotes quindecim: Magistri 4. Coadiutores nouem: Conciones, & catechismi continuati: dissidentes reconciliati: duo præterea Primates, ex quorum simultatibus non leuia

Digitized by Google

ſcandala timeri poterant. Vxor ad legitimum maritum magno cum labore reducta, non multò pòſt diem clauſit extremum. Solati plures afflicti, ne deſperarent: auditæ confeſſiones, ad quas faciendas à quindecim paſſuum millibus ventitatum: reſtitutiones non leues factæ: plures vtriuſque ſexus homines in Religioſorum familias tranſière, corporis caſtigationes vſurpatæ: quædam vitæ profligatioris ad meliora conuerſæ: ſeptem ab hæreſi ad Eccleſiam reducti: data item opera, ne qui periclitari videbantur hæreſis labem contraherent: famulis & ancillis vltrò, citroque commeantibus maturè conſultum, qua ratione dum famulantur hæreticis concionum, & ſacramentorum communionem declinent. Eadem cautio data familiæ cuidam in viciniam hæreticorum commigranti. Puer annorum trium & decem, veneficijs ad nocturna nefandaque conſortia tradúcebatur, cœpit inde perſonas, & ſcelera detegere, qua de cauſa parens nocturnis ſpectris, & præſtigijs coactus eſt, ſolum vertere. Vtrique per exorciſmum, confeſſionem, aliaque præſidia ſubuentum: domus item lemuribus exindè liberata fuit. Puella quindecim plus minus annorum magno capta deſiderio virtutis, & perfectionis acquirendæ, quot hebdomadis Sacerdoti noſtro confiteri cœpit, extremo ſabbato confeſſa peſte corripitur, Confeſſarium vocari rogat, renuunt parentes, tum quòd neceſſe non eſſet, tum quòd in magnum vitæ periculum ſine neceſſitate vocandus eſſet: inſtat puella, dictans ſe mori non poſſe priuſquam Confeſſarius adſit, ad matrem conuerſa: Si meo deſiderio non feceris ſatis, inquit, te coram Chriſti tribunali accuſabo, quod intendo, ex me non eſt, accerſe Confeſſarium corona mihi parata ne me fraudes, nec felicem animæ migrationem retardes: acquieſcit hiſce mater obteſtationibus, & Confeſſarium vocat, quo præſente patrimonium, cuius hæres erat per obitum Patris

Eccle

Digitized by Google

Ecclesijs, & pauperibus legat : matre verò renuente: Volo,& facio,inquit, quantum in conscientia, & coram Deo iure possum : Vos videte,ne vobis ipsis salutis obstaculo sitis: quibus ita gestis,cùm diceret,dolores, quos patiebatur, iam remittere, nihilo minus eo ipso die se morituram esse, quod ab Angelo didicisset, petita,& accepta extrema à Confessario benedictione verecundè se collocat,rogatque de cætero nemo se contineat, donec signo manu dato, cereum sibi sacrum porrigeret; quod ita factum. Nam cum stupore multorum quasi suaue renidens in Domino feliciter obdormiuit. Puella defuncta cùm mater non sine timore extremam eius voluntatem marito insinuaret, adeò non succensuit, vt illachrymans diceret, omnino lectissimæ puellæ voto satisfaciendum. Itaque intra tres hebdomadasquidquid à puella pauperibus, & Ecclesijs legatum fuit, quod mille facilè taleris æstimatur, pij parentes offerunt.

EXCVRSIONES in vicina loca factæ suum retulêre fructum, non dissimilem ei, qui per operas domesticas collectus est. Ex discipulis (quorum pietas, & diligentia, præcipuè verò Sodalium præstat) quinque in Societatem nostram, post acceptam Magisterij lauream cooptati: Sodales Quadragesimæ tempore nihil ab anni superioris institutis pœnitentijs mutarunt.

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS.

ALVNTVR in domo Probationis è Nostris septem, & quadraginta, Sacerdotes septem, studiosi sex & viginti, cæteri rem curant domesticam. Mortem obijt Henricus Flietman, adolescens VVestphalus, qui post septem menses in probatione positos, lenta tabe consumi cœpit: omnibus denique sacramentis ritè munitus inter nouissimos abeuntis animæ singultus, Deum, Diuosque suppliciter obtestatus, felici morte vitam consummauit. Certatum fortiter à quodam, quem pater auctoritate Principis Ecclesiastici grauiter oppugnabat, missus est tabellio iussu Principis cum sex Cõsiliariorum codicillis, quibus omnino parens sperabat, filij dimissionem impetratum iri. Qui litteras deferebat primùm furere cœpit, Nostrorum porrò sermone delinitus mitiùs agere, paulò post adolescentis oratione mutatus, institutæ de tota vita confessione tertiò pòst die magnis actis gratijs à nobis abit, culpam deprecando petit, ne sibi tam malæ causæ patrocinium, sed potius tyronis nostri necessarijs, & amicis adscribant, velle causam nostram pro viribus agere, de cætero verò quoad vixerit, nunquam commissurum, vt vel ipse, vel alius quispiam se consultore tam iniquæ causæ implicaretur.

MIRABILE conuersionis exemplum quatuor fratrum adolescentum, quorum tres Philosophiæ Magistri publicè renunciati, minimus annorum sedecim Rethoricæ studio completo, quasi dux, & antesignanus familiæ futurus, omnibus modis agit, vt in Societatem cooptari possit:

Digitized by Google

possit: sexto minimum post binos, ternósve libellos supplices exhibitos, ad pedes P. Prouincialis supplex cum lachrymis accidit: cæteri porrò fratres ad Carthusienses magis inclinantes, cum forte de manu Vicarij dominicum corpus extremo die, quo deliberationi finis imponendus, erant accepturi, tam luculentos instinctus de Societate complectenda sensérunt, vt palam dictitarent se certo certius intelligere quonam tandem post triennij preces, & lachrymas à Deo vocentur. Igitur ad nostros accurrunt, vt in communionem Societatis admitti possint, orant. Audiunt interim nihil inuito parente Iuris licentiato viro pio, & primario futurum: quare parentis assensum quibus possent modis impetrent. Conuenit omnibus, vt primò coniunctis operis, & studijs Patrem fatigent. Deinde partitis in dies singulos laboribus singuli perentes suis momentis pertentent: quinis prope mensibus hunc in modum parentis animum pulsant: quid faceret pius, & prudens parens? Ipso Paraſceues die motus haud dubiè diuinitùs omnibus potestatem facit voto suo potiundi: post ferias ergo Paschales alacres, ac læti Treuiros ad Domum probationis se conferunt: vbi magna cum satisfactione, parentisque gaudio, strenuè perfectioni dant operam.

MISSIONES in vicinos pagos, vicos, & vrbes institutæ magno cum fructu, quà Confessionis, & Eucharistiæ Sacramentis obeundis, quà templis à squallore repurgandis, quà Christianæ doctrinæ capitibus explicandis, quà discordijs sedandis, afflictis consolandis, & id genus Societatis nostræ functionibus obeundis. Verno ieiunio bis ad Carthusiam catechismus explicatus. A Dominica Passionis ex institutione Catechistica tantus confitentium numerus esse cœpit, vt quinque Sacerdotes nullo modo sufficerent. Inopia Domus nostræ liberalitatis eleemosyna, quingentorum videlicet florenorum,

Digitized by Google

peropportunè subleuata. Non tacendum, quod in eiusdem domus angustijs Reuerendissimus & Illustrissimus Elector paucis ab electione mensibus sacris ordinibus initiari, prandiumque cum paupere familia sumere voluit.

COLLEGIVM MONGVNTINVM.

VNT in hoc Collegio Socij septem, & quadraginta: Sacerdotes 20. Præceptores quinque: studiosi Scholastici duodecim: Coadiutores 10. In Societatem cooptati Magistri duo: rei domesticæ adiutor vnus. Decessit P. Amolius Vilé Leodiensis, annorum quinquaginta quinque, cum in Societate quatuor & triginta annos vixisset. In morbo quoad decubuit singularem patientiam, obedientiamque præ se tulit omnibus maturè Sacramentis munitus, integro ad vltimum vsque spiritum iudicio placidissimè animam in creatoris manus restituit. Triplex Moguntiæ Sodalitas, duæ B. Virginis, Angelorum tertia, quæ ferè constat ex pueris. In omnibus toto quidé anno, sed Quadragesima maximè creber fuit ciliciorū, & disciplinarum vsus. Itaque ob multitudinem numerus vix potuit iniri, eorum, qui se publicè prælata cruce flagellarunt, idque non sexta dumtaxat feria, vt annis superioribus, sed etiam quauis per Quadragesimā tertia. Præ cæteris verò Conuictores in hoc genere certaminis eminent. Porrò feria sexta quamuis totis Sodalium castris contra carnem pugnatum fuit, debellatio tamen constitit penes eos, qui sunt in Sodalitate priuata, quæ selectorum est è conuictoribus, alijsque Gymnasij discipulis.

CIVIVM erga nos amor crescit in dies, prout apertè,

pertè, quando res ita fert, subinde testati sunt. Canonicus nobilis ædis primæ Reuerendissimi Vicarius in spiritalibus, vir Ecclesiasticæ disciplinæ amans, bonis charus, malis formidabilis obijt repentinè: verùm ita comparatus, ac si de casu diuinitùs fuisset præmonitus. Habuerat pridiè quàm moreretur, antemeridianis horis domum plenam nobilium cognatorum ex itinere inuisentium: nihilominus quoniam feria quinta maioris erat hebdomadæ præcedente vespere confessus, ita suis manè valedixerat, vt in eorum digressu ipse Missam faceret, à meridie cum meditabundus, & inambulans libellum de Passione Domini lectitaret, subita sanguinis corruptione subitò concidit, & concurrentibus domesticis, intermortua voce Confessarium accersiri iubet, quamquam proximum esset Collegium, & Sacerdos noster aduolaret, non plus tamen potuit, quàm vnum illud interrogare, vtrum de peccatis doleret, violenta, & semiuiua voce annuit, & obit. Adsunt interim Cathedralis Ecclesiæ canonici nobiles, de communi consilio placet inspici corpus, & ecce vestitum cilicio, ea res opinionem Nostri extulit in maius, quod valens vteretur nobis familiariter, & non solùm laudabiliter viueret, verùm etiam quæ gereret præclarè nobis auctoribus facere putaretur. Frequenter ab ægris expetimur. Ab hæresi quindecim plus minus abducti, horum non nemo nobilis. Plures totius vitæ noxas detexêre. In his par coniugum quinquaginta annis in medijs hæreticis sanum in fide, sed sine Sacramentis perstiterat: nunc quando apud Catholicos degit, se iam non amplius inter Ethnicos, sed inter Christianos viuere dictitat. Libri hæretici aut exusti, aut ad nos allati: corrogata pecunia subleuati inopes studiosi: adiuti multi in carcere rei, in valetudinario ægroti, ad supplicij locum damnati, in vijs publicis deserti, solis Paschæ diebus cùm pauperibus peregrinis non pateret in Vrbem ingressus, e-

missi

missi Nostri, sexaginta egentes in vicino templo confessione, communione, cibo, potu, collectaque ex eleemosynis pecunia recrearunt: sacris commentationibus exculti aliquot: in ijs Reuerendissimi alumni, qui hic exerceri consueuerunt quādo primùm litare, & in Paroeciam exire cogitant. Catechesis præter solitam in scholis, in vrbe foriſque pluribus in locis, aut instituta, aut restituta.

QVOD ad Missiones attinet, è varijs vna illustrior fuit. Vicus frequens distat Moguntia duodecim passuum millibus cùm careret parocho admonitu ludimagistri è scholis nostris educti, euocantur à Senatu Nostri, semel, iterum, & quod non inueniretur interim idoneus Pastor, maiori anni parte, sacra iacebant multa ignoratione, & neglectu. Ergo à Nostris vindicatum templum à situ, aræ testæ, instrumentum sacrum renouatum, restauratæ supplicationes, exequiæ, præcepta Ecclesiæ de audiendo sacro, & festis celebrandis, explicata fidei capita, quæ incolæ ceu desperata à Catholicis obliuione sepeliri putabant: coemptis, è Senatus, & incolarum Symbolo rosarijs catechismis, imaginibus, excitata inuitus ad catechesim, inducta frequens communio, quæ vt de alijs fileam, vno mense fuit eiusmodi. Prima dominica, qui S. Synaxi fruerentur, viginti octo venerunt. Secunda centum amplius. Tertia supra septuaginta: Quarta propè octoginta. Fama mutationis circumquaque longè manauit: sed nihil æquè incolarum animos conciliauit, atque quòd hunc qualemcumque laborem susciperemus gratis. Catholicus quidam moribundus in pago hæretico patria procul, quibuscumque obuijs minabatur, ni deportaretur ad Catholicos confessionis, & communionis potiundæ causa, repetiturum se rationem apud summum olim Iudicem. Fatigati obtestatione hæretici miserum conijciunt in carrum cum alio, qui consimili infortunio longissimè à suis inciderat in desperatam valetudinem via publica expositos

Digitized by Google

ges relinquunt semimortuos propè pagum, in quem Nostri traiecto Rheno itare solent ad explicandā doctrinam Christianam: qua re cognita aduolant, à circumfusa multitudine locum sub tecto postulant, cum reperiretur nemo, qui offerret, Catechista multis officium debitæ charitatis commendans, ad extremum testari cœpit, non abiturum ni impetrasset: mota multitudo nec Nostris in charitatis contentione cedere voluit. Vterq; porrò sacramentis, & cohortationibus bene munitus, spe bona plenus animam feliciter expirauit. Quàm nobis Domum superioribus annis ab Illustrissimo Principe nouam scripsimus exstructam fuisse, eam hoc anno cognouimus casu (nam sua Celsitudo nunquam forsitan Nostris modestiæ causa de expensis indicasset) constitisse florenis super quatuordecim millia, trecentis triginta quinque, quibus hoc anno denuò mille plus minus adiecit.

COLLEGIVM HERBIPOLENSE.

VIVVNT in Herbipolensi Collegio Socij quadraginta: Sacerdotes nouemdecim, Professores quatuor, studiosi Philosophiæ octo. Nouem rei domesticæ Coadiutores. Magnus in Domini Natali numerus confitentium, communicantiūq; maior in Paschate. Missiones in quinq; diuersa loca, seu oppida factę. Depoposcerat ità operam nostrā Seren. Maximilianus Archidux Austriæ, literis ad nos perhonorificè datis, & manu subscriptis sua. Missis Sacerdos cum Socio, qui Principi, cæteriſque primarijs aulæ viris confitentibus aures dedit, sacramque Synaxim distribuit. Haud dispar benevolentiæ in ordinem nostrum testificatio Reuerendissi

uerendiſſimi Nuncij Hieronimi de Portia Adriæ Epiſcopi exſtitit, qui cum ſummi Pontificis iuſſu ad Bambergenſis Eccleſiæ res inſpiciendas hucuſque excurriſſet, obnixè Societatis cauſam & Collegium Reuerendiſſimo noſtro commendauit, Noſtris vius confeſſarijs. Complures è remotis locis huc ad nos ventitarunt, ſiue remedij malè pactæ conſcientiæ quærendi cauſa, ſeu fraudis, & impoſturæ Cacodæmonis noſcitandæ, vitandæque: quæ de cauſa Sacerdos item noſter cum Socio longiſſimum iter, & laborioſum in Sueuiam ſuſcepit.

ITVM ſæpius ad vicina loca, Parochi deſtituta cura, fructu non pœnitendo, rum diſcordijs ſedandis, ſeu in Religioſorum, ſeu coniugum familijs, tum roſarij, ſimilibuſque fidei myſterijs explicandis. Præter aliquot, qui cum Eccleſia in gratiam redierunt decem, & quatuor ab errore, & hæreſi traducti in fidem Catholicam. In ijs non nemo nobilis, nutantes alij confirmati, alij in tuto recepti. Libri multi hæretici, aboliti, & ſeruitia ab heris, & familijs eiecta, quæ ob pertinaciam de errore non remitterent. Diſcipulorum quoque in pietatis ſtudio rara laus enituit; præſertim eorum, qui Virginis Sacratę Sodalitio ſunt operati. Ex his alij ſacris commentationibus exculti, alij ad Religioſorum cœtus ſe aggregarũt, duo ad Societatem. Maior etiam hoc anno Sodalium in domando corpore, pœniſque vltrò à ſemet expoſcendis ardor extitit. Hinc ſancta Quadrageſima tota exuerberãtium multitudo, qua non frequentior alias, ea fuit ad ſpectaculum vndique confluentium turba, vt aula ſanè capaciſſima, in qua res gerebatur, multos excluderet. Probauit hanc iuuenturis raram in hiſce locis pietatem ipſe Princeps, & collaudauit. At nobili regem Catholico eas feruor illa pietatis faces ſubiecit, vt cum forte ſpectaculum vſurpat oculis, actoribus ipſe miſceri potiùs, quàm ſpectator otioſus adſtare malit, tantumque inde præteritæ vitæ criminum

minum dolorem cœpit, vt qui exomologesim antea perhorresceret; eam sponte mox susciperet. Illud demùm admiratione dignum; Auriga vir bonus, & pius, dum loris adstrictos equos aquandi causa Mæno flumine mergit altiùs, eò cum equis abripi se sentit, vnde receptui nulla spes ostenditur. Quare medio in discrimine deficientibus humanis præsidijs, ad communem Deiparæ Matris opem confugit, eique vota in æde proxima mox exsoluenda facit, & voti citius spes euadendi affulsit. Rem inde gestam sibi gratulatus, Sacerdoti nostro exposuit.

COLLEGIVM SPIRENSE.

NVMERANTVR è Nostris in Collegio Spirensi viginti Sacerdotes decem, Magistri quinque. Totidem coadiutores: Vita defunctus est P. Ioannes Henricus Burrus Horbensis annum iam tertium Coadiutor formatus, vir magnæ sanctitatis, & exempli, quà domi quà foris, eximius in cõscientijs tractandis, pacandisque. Obijt ipsis Kalendis Maij, annorum plus minus triũ supra quadraginta, quorum nouem & decem in Societate nostra laudabiliter exegit. Ex discipulis quatuor perfectioris vitæ institutum in Religione complexi sunt. Complurium tantus amor, & ardor fidei palam profitẽdæ, prout se res, & occasio tulit, vt ne ridentium cachinnis, ac sannis, aliisq; minus, ac modis abterreri potuerint. Idem studium pleriq; declararunt in adeundis ægrotis, afflictis consolandis, iuuandisque miseris. Plures oblata sibi ab hæreticis stipendia constanter idcirò recusarunt, ne

vide

Digitized by Google

videlicet his irretirentur illecebris. Libri seu de fide, seu de moribus, & impuritate suspecti domũ nostram delati. His, aliisque fidei, ac pietatis exercitijs hæreticorũ etiã Gymnasiarcharũ, aliorumq; id genus hominum animos plurimũ commouerunt. Domi Nostrę semi deni per dies aliquot spiritalibus exercitijs operam dederẽt inter quos plerique aut religione, aut nobilitate, doctrináve præstabant. Reconciliati qui grauiũ dissimulatæ dissidebant: desperanti maturo remedio subuentũ: Expetitum exhibitumque à Nostris diu, noctuque maximis in morbis, & angustijs solatium, atque auxilium, quod tanto fuit gratiùs, quãto morbi cõtagio, fœditasque plures ab hoc officio deterrebat. De totius vitæ noxis amplius quadraginta confessiones exceptæ. Ab hæresi resipuerunt septeni deni supra centum. Iudæus ab hæretico persuasus, vt nostram fidem susciperet, auctor eidem fuit, vt eandem (ne mali consilij reus esse mallet) secum complecteretur, vtrique mutuum consilium profuit.

VVLGARIA, peneque quotidiana, quæ sequuntur: Ab hæreticorum scilicet consortio, conuictuque abstracti plures, aliquot legitimis copulati nuptijs, non nemo pellicem domo dimisit: quæsita pecunia veris dominis restituta. Excursiones ad quadraginta circiter loca factæ: tanta messis vberitas, vt omnibus satisfieri non posset. Itaque sæpius in opem Capituli alumnos depoposcimus. Curiombus aduersa valetudine decumbẽtibus libenter, ac frequenter subuentum, sæpius ad carceres itum: deducti cum solatio, qui supplicium capite luerunt. Aliquoties in VVeillerstatt Imperiale oppidum missio directa est, non solùm quòd omninò parochus deesset, sed ne ciues à fide discisserent, quorum maior pars ad defectionem spectare visa. Demùm possessionem Præposituræ Cathedralis Ecclesiæ supra omnium spem, & vorum mirantibus, & stupentibus hæreticis iuxta

ac

ac Catholicis adiuimus: cœptum in eodem loco construi templum, cuius vti fundamenta piorum liberalitate iacta sunt, ita speramus eadem feliciter exædificari posse: in primis verò Reuerendissimi Principis, cuius in nos magna beneuolentiæ testificatio. Rem domesticam iuuit R. D. Decanus Ecclesiæ S. Germani, testamento nobis legans centum imperiales taleros: pia quædam fœmina florenos quinquaginta, totidem alius quidam Societatis amicus: Nobilis summæ ædis Canonicus plaustrum & dimidium vini.

COLLEGIVM FVLDENSE.

CONTINET hoc Collegiũ Socios duos & viginti: Sacerdotes tredecim: Professores tres: Adiutores rei domesticæ sex. Conuersæ ad fidem Catholicam familiæ octo integræ, computatis ijs tantum, qui per ætatem communicarunt. Præter hos complures alij nomina dederunt: summa omnium capita quinquaginta duo. Vexillifer non infimæ sortis, & familiæ, primum quidem militibus suis Catholicam religionem commendat, mox de sua sollicitus salute confessarium de Nostris petit, & obtinet, hæresim palam detestatur, ex formula Concilij Tridentini fidem profitetur orthodoxam. Per idem fere tempus Vrbis huius Prætor, vir antiqua nobilitate vnà cum coniuge, liberisque sanam cõplexi sunt fidem, licet hæretici nati, educatique. Vir quidem septuagenario maior, qui ipsum olim vidit Lutherum sæpius a Nostris tentatus omnino cedere noluit, donec grauissimo morbo, nocturnisque spectris admonitus, vnà cum peccatis errorem coram Sacerdote

Digitized by Google

nostro detestaretur, quo facto seipsum morbo, domum verò spectris liberat. Adolescens quidam sutoriam factitans, æger, ab omnibus amicis, & notis sub dio desertus, à Sacerdote nostro benignè iuuatur, vt & errorem desereret, & de peccatis ritè confessus animam moriens in manus Creatoris reponeret. Puer quidam nostras frequentans scholas, vix dum duodennis, vt sacræ mensæ particeps esse posset, (quod in hisce locis euidens argumentum professionis fidei) magna sanè industria, nec minore labore, parentes, vt sibi lubentes assentiantur, expugnauit. Sodales conuictores hoc anno plus, quàm cæteris, præsertim verò Quadragesimę tempore, cilicia, flagellationes, humi cubationes, & id genus pœnitentias vsurparunt. Ex discipulis vnus in Societatem cooptatus: spes pluribus facta est; vnus item rei familiaris adiutor. Puer quidam duodennis genere nobilis, à gymnasio nostro cuiusdam hæretici Principis iussu abstractus, modis omnibus parentes obtestabatur, ne tanto salutis periculo exponeretur: illisque cur petitioni non annuerent, metum Principis obtendentibus: Bene habet, inquit, abire nolens cogor. Vobis autem, Parentes mei, denuncio me Catholicum esse, nihilque habere commercij cum Luthero, aut Caluino: si verò corruptelis eorum labefactatus veram fidem deseruero, vos, me accusatore, olim coram Christi tribunali istius peccati ratione reddetis: abducitur interim filius, omnibus modis, vt à fide desciscat impugnatur: at ille constantia superior, vt ad nos reuerti possit impetrat. Serenissimus Maximilianus Archidux Austriæ magna nos beneuolentia complexus, ad nouam ædificij partem inchoandam quingentos florenos donauit. In aula Collegij salutatus à quodã è Nostris, disertis, latinisque verbis respondet, omnibus Aulæ, Prouinciæque primarijs viris audientibus, se Societatis, ac Collegij nostri fautorem eximium, promotoremque esse, semperque futurum.

Digitized by Google

futurum. Res Collegij auctæ accessione villæ nouæ mille florenis emptæ.

COLLEGIVM HEILIGENSTADIANVM.

COMPLECTITVR Heiligenstadianum Collegium Socios duodecim, Sacerdotes sex, Magistros tres, Coadiutores totidem. Adsciti in Societate duo rei familiaris administri. Pijs commentationibus eruditi Religiosi sex, Curiones duo, adolescentes complures, seu clero, seu religioni nomen daturi. Ex his cuidam res admiratione digna accidit. Tenebræ foris erant densissimæ, intus cubiculum nescio quæ luce collustrari videbatur: tùm larua sororis etiammum viuentis speciem referens, reducta lecti cortina, ad vigilantem metuque trepidum: Quid tu, inquit, hoc loco? Surge ocyùs, & te quamprimum hinc aufer, me sequere: territus adolescens, & præ stupore vix compos sui, cùm parere tamen abnueret, iterum, ac tertiò eadem vox repetita: sed vicit tandem veteratoris imbellis impetus tyronis constantia: post tertium congressum nihil obtinens adducta rursus cortina, magno cum fragore spectrũ suas in latebras recessit. Discipulorum virtus in primis enituit in tuendis Ecclesiæ sanctionibus. Fuit quem parentes hæretici iam plures annos reuocauerant à Catholica communione, quamuis interea pœnitentiæ sacramentum sæpiùs obiret: is nunc demùm illis inuitis ad sacram mensam frequẽter accedit. Alteri cuidam parente, verno ieiunio legitimos cibos negabant, crebroque carnes cum iurgijs, & contumelijs obtrudebant: at ille maluit arido pane victitare, quàm sacri ieiunij leges infringere, idque

Digitized by Google

sum etiam, cùm ei Confessarius potestatem fecisset vescendi appositis in paterna mensa cibis. Certant cum scholasticis de pietate ciues illi; qui nuper in Sodalitate Deiparæ Matris Virginis adscripti sunt. Censentur in eo nunc Sodalitio capita circiter quadraginta, quibus ex instituto solemne quot mensibus sacram synaxim sumere, supplicationes hactenus incuria Parochorum neglectas instaurare, quibus hic populus mirè delectatur. Sunt ex his complures mercenarij, qui per operarios etiam dies subinde, quod ex necessario labore surripere possunt temporis, id sacris impendunt. Rosarij legendis, si quid impediti forte neglexerint, compensant diebus festis. Apposuit cuidam à labore accumbenti vetitas dapes Sectarius Paterfamilias, sed respuit Catholicus operarius, duroque tantum pane reparat vires. Idem alijs quibusdam infœderatis laboribus, quos pariter locant communi consilio fixum ac deliberatum est, nuptiali mensa in magno quandoque hæreticorum conuiuio abstinere, damnatis epulis non sine fremitu Libertinorum Euangelij. Parua hæc, at nobis hîc in tam soluta Ecclesiæ disciplina magna censeri debent.

EXCVRSVM à Nostris ad diuersa plus minus octodecim loca: adiuti parochi in excipiendis confessionibus, & de officio commoniti. Auditi de tota vita tam multi, vt numerandi diligentiam multitudo superarit. Ad Catholicam religionem traducti septem, & triginta: A flagitiosa vita ad honestam fœminæ nonnullæ. Senatus oppidi cuiusdam cum suo parocho, à quo pertinaci simultate dissidebat, reconciliatus. Prohibita maleficia spiritualibus amuletis. Mulier cui dæmon sæpius interminari solet, vt ne desperaret aduta: subuentum captiuis, & infirmis. Fœmina recens addita Catholicis cùm lenta tabe conficeretur, monitu coniugis hæretici, sacerdos noster fortè transiens aduocatur, auditque de tota vita confitentem

Digitized by Google

fitentem, quæ paucis post diebus decessit. Admiratione digna mors virginis cuiusdam nobilis, septuagenaria maior erat, exul, & pauper religionis causa, cùm solum mutasset, Halberstadium venit, vbi anno nonagesimo primo vni è Nostris, qui in ea missione versabatur, hoc visum sibi oblatum retulit. Annum agenti decimum quartum ætatis morbo variolarum, eò se redactam dicebat, vt circumstantes amici conclamatum dicerent: hoc ipsa inaudiens rogat præsentes paulisper vt secedant, qui dum discessum simulant, & interim quid agat obseruant, puella velut remotis arbitris in preces se dat, & cum gemitu queritur, quòd cæcum mortis iter absque sacro viatico cogatur ingredi, interim Diuinæ clementiæ se commendat. Inter hæc videre sibi videtur candido amictu virginem inbentem bono animo esse: Non, inquit, iam morieris, sed alio in loco inter sacerdotes Catholicos, qui moribundæ adsint, & omnibus sacramentis migraturam ritè communiant: Sabbati die nobis dicato defungeris. Affirmauit dictis fidem euentus, breui conualuit, & grandior facta sæpius exilium mutans, ad extremum peruenit Heiligenstadium, vbi quotidie sacris mirè cum perseuerantia prima, postrema interfuit: domi verò conducto apud ciuem cubiculo, adeo pauperem vitam egit, vt nonnulli etiam sordidam iudicarent, etsi non deerat ex annuis redditibus vnde se honestè aleret, sed maluit animæ subsidia comparare, erogatis in pauperes, & religiosa loca pecuniis, quàm caduco corpori superfluum cultum præstare. Hoc viuendi tenore cùm sæpiùs inter morbi cruciatus candidam Virginem inclamasset, ad optatum denique Sabbathum peruenit. Eo die sacra communione confirmata, & ceteris sacramentis munita, sequenti nocte sub exortum Dominicæ feliciter migrauit.

Digitized by Google

MISSIO ERFORDIENSIS.

VERSANTVR in hac missione duo Sacerdotes è Nostris, quorum labor concionibus, confessionibus, & infirmorum visitatione potissimum stetit. Ecclesiæ ab hæresi restituti amplius decem. Virginum monasterium superioribus reformationem molientibus obstrepens, opera Nostrorum mitius, & obsequens effectum. Quidam magni nominis, & nobilitatis vir, omnia Lutheri opera accuratè impressa Sacerdoti nostro donauit. Alius Ecclesiasticus moriens aliquam suæ pecuniæ portionem Nostris testamento legauit. Publica supplicatio magna cura, & diligentia instituta, multos Catholicos in fide confirmauit, multis è plebe Lutherana non displicuit.

COLLEGIVM CONFLVENTINVM.

COLLEGIVM Confluentinum iam nunc octodecim censet capita, Sacerdotes vndecim, Professorem vnum: sex, qui rem domesticam curant. Exerciti cum fructu omnes spiritualium meditationum vsu, ad mensem pœnè integrum: exterorum plures solito. Exceptæ totius vitæ confessiones permultæ: nonnulli pertinaces abiecerunt inimicitias: aliqui lasciuis vinculis expediti: vna se reddidit monasterio, vnde profugerat: monitu nostro Ecclesiastici adolescentes, virginesque cilicia, flagellaque frequentarunt.

Digitized by Google

runt. Abolitæ consuetudines noxiæ. Catechismus in Parœcia, magna confluente multitudine, non minore cum fructu quot hebdomadis explicatus. Adiuti pauperes eleemosynis vndequaque corrogatis. Puerorum Sodalitas sub Angelorum præsidio collecta probis exemplis diffunditur: Nam pumiliones illi crucem formare rudes docuêre, temerè iurantes commonuerunt, in fide vacillantes ad templum deduxerunt, ad Confessionẽ ritè faciendam grandiores erudierunt. Disputatum non sine fructu cum Principum Germaniæ legatis sectarijs. Mirificè Catholicos pariter ac hæreticos mouit concio de Christi passione instituta: maximè verò, quæ de fidei controuersijs habebatur. Ciuium porrò Magistratus qua sit in nos beneuolentia, hac veluti nota voluit eminere: Adolescens iniurioſior in vnum aliquem è Nostris ad Magistratum defertur, qui continuò per apparitorem citat obnoxium ad compedes, prouolantem ex vrbe prosequitur, in publicas relata tabulas sententia nunquam carceribus, & vinculis emigraturum, ni Magistratui se profugus reddat, reddet verò nunquam, Deo vindice, morte nuper obita luit calumniator exul.

EVASIMVS feliciter è tributorum procellis, quæ Collegij fundis impendebant, immunitatibus, & gratuitis Societatis nostræ laboribus per libellum supplicem modestè expositis. Ad pagum quemdam syluis, & montibus horridum studio Nostrorum religio postliminio reuertit. Auctæ templi reliquiæ quinque Thebæorũ Martyrum capitibus, quibus ex Virgineo B. Vrsulæ Sodalitio quinque alia addita. Præter ossa præcipuorum Apostolorum, aliorumque Sanctorum, libraria suppellex auctior, & ornatior reddita operibus Alfonsi Tostati. Collegij verò census munifico auctario locupletauit R.D. Hermannus Stephanus, quod minimum duobus insequentes annos ab eius obitu sufficiet. Reuerendissimus

Digitized by Google

& Illustrissimus Princeps fundator noster paulò ante mortem mille aureorum largitione nobis æs alienum diminuit. Obijt ille non post multos dies, revocata inde à puero confessione Sacerdoti nostro cum magna doloris testificatione facta, cæteris item sacramentis vti par erat, maturè instructus, sex & septuaginta natus annos. Illa ipsa nocte qua decessit, ad nostram ædem exsecta deferuntur viscera, quatriduo pòst ipsum etiam cor vrnulæ inclusum, quod sex omnino diebus, quibus pro fundatore parentauimus, antè summam aram substitit. Defuncto Principi subiectus est Lotharius à Metternich, vir genere, & optimis notis commendatissimus: is altero ab electione die suam in nos beneuolentiam liberalibus sanè promissis testatam esse voluit.

COLLEGIVM MOLSHEIMIENSE.

ALIT hoc Collegium socios septem & viginti: Sacerdotes vndecim: scholarum Magistros tres: Studiosos Theologiæ practicæ quinque: cæteris res domestica curæ est. Statis Dominicis, festisq; diebus in nostro templo conciones frequens ciuium concursus celebriores fecit. Cómunicantium, confitentiumque messis huius anni solito copiosior fuit. Galli pauperes, & operarij plus minus trecenti sacramentis, & eleemosynis vndequaque collectis adiuti. Senideni Catholicam fidem post erroris detestationem complexi sunt. Duo ne ad fidei hostes deficerent impediti. Cuidam persuasum, vt quinquennalem concubinatum legitimo honestaret matrimonio. Scortum, quod Ecclesiastico turpiter adhærebat, ad honestas nuptias traductum. Ab alio Sacerdote impetratum, vt concubinæ illecebris expederetur. Octo spiritualibus exerci

exercitijs exculti. Moribundis, & supplicium capitis luituris opera nostra salubriter impensa: septem de veneficio damnatæ mulieres à Nostris ad rogum deductæ.

ROSSEMIVM Imperij oppidum est, quod hactenus nonnullam suspicionem præbuit erroris, opera Nostrorum feliciter in melius mutauit: Ad Paschales enim ferias exceptæ confessiones à Nostris quinquaginta supra quadringentas. Senatus porrò quam bene de nostræ Societatis officijs sentiat, manifestis beneuolentiæ signis ostendit: vnde non vulgares viri confirmant, rem Catholicam meliore loco nunquam ibi ab annis triginta fuisse. Obernhemiani quotannis seipsis meliores euadunt. Natalibus Christi, Magistratu præeunte, ciues plus minus quingenti communione refecti sunt. Ad Paschа numerus eorum qui Nostris confessi sunt duplo maior. Ex ijsdem ciuibus viginti circiter Societatem coierunt sub tutela Deiparæ Virginis, quibus ex lege solemne frequentius sacramenta Confessionis, & Communionis obire, quot mensibus ad nos Molshemium ventitare. Obernhemianos æmulantur Bensfeldiani, quibus ad omnem virtutem quasi facem præfert generosus dominus Gubernator. Eiusdem Christi natalitijs, quà concionibus, quà cæteris Societatis nostræ muneribus obeundis tantum Nostri profecerunt, vt supra ducentos numerati sint, qui sacras Dominici corporis epulas adierint. Mirum Gubernatoris, Præfecti vigiliarum, cæterorumque ciuium studium in nobis excipiendis, ac dimittendis, quo nec ab amantissimis expectari posset maius.

EXCVRSVM est sub Paschæ ferias in alia quatuor oppida non pœnitendo fructu, præsertim Antlaunam propter nobilissimum virginum quod ibidem visitur Collegium. Natali Domini Mutzingenses hactenus à Nostris abhorrentes quatuor & quinquaginta Nostris confessi sunt. Octo persuasum quod in hoc oppido plus

Digitized by Google

quàm nouum & insolens, vt palàm cætero populo spectante sacram synaxim perciperent. Correctus alibi mos & abusus, quo plures simul ad Sacerdotem confessionis causa adire solent. Catecheses quà domi, quà foris magnum peperêre fructum beneuolis animis exceptæ. Quidam cùm fortè cognouissent Catechistam nostrum aliò amandandum, eum cum lachrymis prosequentes, id vnũ summis precibus contenderunt, ne saltem à Nostris desererentur. Numerus eorum, qui foris Nostris confessi sunt, tria millia complectitur. Mulieres duæ ab ægritudine, altera grauissima, altera longissima voto ad Sacellum nostrum Albroniarium nuncupato, post confessionis, & Eucharistiæ sacramenta percepta conualuêre.

SCHOLAE & numero, & opinione in dies magis ac magis efflorescunt, adeò vt de ijs amplificandis necessariò cogitandum sit. Eminent in his Sodales B. Virginis. Non nemo sub Natales ferias octo: alius sub finem ieiunij maximi septem ad pœnitentiæ, & communionis sacramenta suauiter induxit. Sacra templi suppellex aucta antipendijs (quæ vocant) sericis, & casula ex panno serico argenteo subtegmine intexto, cruce ex auro textili ornata, multisque alijs munusculis, quæ breuitatis causa tacentur. Datum in scena Drama B. Catharinæ, tribus supra millibus auditorum spectantibus. In his lectissima magnæ nobilitatis iuuentus, quam Argentinensis Academia è Polonia, Styria, Bohemia, alijsque Imperij partibus collectam pridie effuderat.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM PADERBORNENSE.

VI de Noſtris Paderbornæ viuunt omninò tredecim numerantur : Sacerdotes ſeptem: Profeſſor vnus : quinque rem domeſticam curant. Concionibus quà domi , quà foris operæ fructus non pœnitendus collectus : confeſſionibus item complures adiuti. Tres fuêre Religioſi, quorum duo ſpiritualibus exercitijs in inſtituto vitæ genere confirmati, tertius impoſturis è fide deficiens opera Noſtrorum reuocatus eſt. Virgo Deo dicata multis paſſuum millibus ad nos confeſſionis faciendæ cauſa venit. Multi Noſtris adnitentibus Eccleſiæ reconciliati ſunt. Diſcipulorum pietas in eo maximè promouit, quòd hoſpites ſuos de Chriſtianæ fidei myſterijs docuerint: quòd Verbi Miniſtros diſputando confuderint: quòd quàm potuerunt, obſtiterint , ne feria ſexta domeſtici carnes comederint : quòd nullis minis , aut modis à parentibus impelli potuerint , vt in ſacramentorum participatione cum Verbi Miniſtris communicarent. Probata Noſtrorum virtus, & conſtantia, quando miles Germanus intra mœnia receptus ciuibus animum fecit ædes noſtras diripiendi, Noſtros , vti non obſcuris indicijs cognitum, trucidandi: qua de cauſa trecenti plus minus aliquando in forum conuenerunt, vt impetum in Collegium facerent. Taceo quibus, in templis, ac ſcholis, moleſtijs, & iniurijs affecti ſimus: quibus omnibus ope diuina, ſtupentibus amicis, & inimicis, ſuperiores euaſimus , Deo nos protegente : quaſi ſemen vberioris aliquando meſſis in hoc ſiticuloſo ſolo , cui Deus tanquam Coronæ Benigni

Digitized by Google

nignitatis suæ benedicat,& pinguescent speciosa deserti.

COLLEGIVM MONASTERIENSE.

HABET Monasterienſe Collegium Socios ſedecim: Sacerdotes octo: Magiſtros trés: quinque Coadiutores. Confitentium, communicantiumque fuit in noſtro templo bona copia. Generales exomologeſes fecêre permulti. Euchariſtiam participarunt ſexies mille, qui numerus in hiſce corruptelis ſanè magnus videri debet. Conciones per Aduentum de pœnitentia inſtitutæ bonum retulêre fructum. Ferijs Natalitijs Dominicum corpus ſumpſerunt quingenti: Kalendis Ianuarij ſolemnem Iobilæi Societatis gratiam, quod hactenus in alieno templo fieri non potuit, in ædeſ noſtra debitis cœrimonijs emulgauimus. Communicarunt ampliùs quingenti. Nobiles aliquot fœminæ hæreſim deſeruerunt: in his Matrona prædiues, cui principiũ cõuerſionis à duobus filiolis diſcipulis noſtris extitit, qui cùm matrem curioſiùs ad ſpeculũ mũditias exigentem offendiſſent, præfixerunt ad imum limbum Chriſti patientis imaginem, dixerunq;: Mater, cùm te ſuperiore ſpeculo exſatiaueris, etiam hoc attentiùs contemplare: quod verbum ita pupugit pectus, vt ex eo ſenſim miteſceret, ac deinde erroribus abdicatis, vna cum nobili marito palàm in templo noſtro Confeſſionis, & Euchariſtiæ ſacramenta ſuſciperet, ſimulque auratum ſcyphum ingentem è ſolido argento ad vſum communicantium offerret. Adducta ad continentiam, & frugem ſex, ſeptémve ſcorta. Alicubi inter amicos grauiſſima

Digitized by Google

sima lis composita, quæ nec Serenissimi Principis interuentu, nec Senatus vrbani auctoritate sedari poterat. Dissidium quoque inter Nobiles magnum consopitum. Altarium cultus, qui diu obsoleuerat, opera Nostrorum restitutus. Gymnasium quoad per aduentitias militum copias, & contagiosos morbos licuit, & numero & virtute præstitit. Quidam pusillus puer malurit tota Quadragesima panem aridum comedere, quàm vetitos cibos contingere. Separatim virtus Sodalium B. Virginis inclaruit, vt ad eos non solùm discipuli, sed viri quoque insignes sese adiunxerint. Ciliciorum, ieiuniorum, flagellationum recens, & hactenus inusitatus vsus esse coepit.

EXCVRSVM bis, semel ad arcem Principis Electoris, ad excipiendas Auliconum confessiones: iterum ad Principem quemdam, quo in itinere Sacerdos noster in grassatorum manus incidens, quasi diuinitus malum captiuitatis euasit. Cùm sub exordium Septembris vrbem pestis occupasset, pro concione ciuibus opera nostra cum multorum cómendatione & oblata, & præstita est. Peregrinis & palatis copijs, quas ciues vrbis aditu arcebant, Nostri quoad potuerunt auxilio, & solatio fuêre. Ea occasione nonnulli veræ fidei lucem respexêre: & valuit adeò exemplum publicæ charitatis in miseros aduenas, vt è ciuitate libenter necessaria submitterent. Grex inquilinorum ad finitimam arcem catechismo informatus. Res domestica durissimo licet anno, liberalibus eleemosynis aucta. Cathedrales donarunt taleros ducentos. Vir quidam Nobilis aureo torque diuendito confectam ex eo pecuniam centum quatuor talerorum dedit ad vsum aræ B. Virginis, necessitatemque domesticam leuandam. Mater cum filiabus effigiem Deiparæ gemmeam aureorum circiter triginta. Oblatus item sacrificalis ornatus aureus duplex: propetasma-

ta duo

ta duo, aureum vnum, alterum damascenum. Casula præterea holoserica: duplex vestis aurea pro statua Deiparæ. Scyphus alter argenteus ad vsum communionis.

COLLEGIVM HILDESHEIMENSE.

VERSANTVR in hoc Collegio Socij 10. Sacerdotes sex: Magister vnus: Coadiutores tres: Confessionis, & communionis sacramẽta frequentarunt mille circiter: ab hæresi ad Ecclesiam reducti tres supra triginta, è quibus quinque primariæ nobilitatis adolescentes. Scholarum nostrarum existimatio vicinas regiones peruadit: vnde fit vt ab aduersarijs ad nostrum Gymnasium plures conuolent. Tres è discipulis nostris in Religiosis familijs se Deo dicarunt. Duo necdum Catholici victum, quem domini Lutherani gratis suppeditant sub nostra disciplina mendicatò quærere, desertis dominis malunt. Ob hoc in ius à Prædicante vocati, sententia populi vel ad priores redire Dominos, vel excedere ciuitate iubentur. Ad aliud ergo Collegium Societatis hinc abire, quàm apud suæ fidei homines manere maluerunt. Frequens, & solemne disciplinis nostris cum Prædicantibus inire disputationem, cum certissima spe victoriæ, quam subinde publico Senatus, ac populi hæretici testimonio retulerunt. Quidam quando casus ita ferebat hæreditatis quàm Religionis iacturam facere maluit. Cùm fœda dyssenteriæ lues Hildesium cum finitimis oppidis partim funestaret, industria Nostrorum centenis aliquot hominibus sine

vllo

vllo religionis discrimine præsens remedium datum: vnde magnam etiam apud aduersarios gratiam, & existimationem collegerunt. In alio loco hæretico fœmina Catholica sub idem tempus aqua lustrali, & herbis ritu Catholico consecratis, multos curauit.

MISSIO HAMBVRGENSIS.

DVNTè Nostris in hac missione tres; Sacerdotes duo: Coadiutor vnus. Non defuêre nostris occasiones exercendæ patientiæ. Nomen Nostrum pro concione Prædicantes interdiu; foris verò Domus nostræ, ac tectum nocturni circumcelliones lacerarunt. Foro publico mercator Caluinianus nobis interdicens, è medio breui post tempore sublatus est. Hortus angustias nostras ampliauit. Tépli suppellex, ac bibliothecæ piorum donarijs aucta. Tres infantes à nobis salutaribus aquis tincti. Tres ad Ecclesiæ gremium reducti. Triginta supra centum plus minus cœlesti pane refecti. Longè plures à peccatorum sordibus emaculati. Vnus ab infestatione Dæmonis liberatus: complures ad meliorem vitæ frugem traducti.

MVLTI Principes ad nos cum rei diuinæ, tum cõ*cionis gratia* ventitarunt. Quædam magnis itineribus Sacramentorum percipiendorum causa, ad nos peruenit, quæ licet nobilissima sit, ob solam tamen fidem, à suis deserta, labore manuum se, & ancillâ ægrè sustentat. Adijt ad nos vxor Comitis Schawvenburgêsis, cui locus in quo degimus, vnà cum finitimis castris ac pagis parent omnia, facultate priùs à nobis impetrata curiosè perlustrãs, nonnullis benevolentiæ signis ostensis, in abitu donauit

eleemo

Digitized by Google

eleemosynam. Virgo longissima via se contulit Altenam, solitus exomologeseos, & concionis obeundæ causa. Senes item duo, sexagenarius vnus, alter septuagenarius longinquis itineribus ad nostra sacra properarat. Prior bonam Quadragesimæ partem, ne veteris vteretur cibis, pane & aqua transmisit. Posterior nullis vel minis, vel promissis sui Principis à fide Catholica dimoueri poterat: ambo Catholicè communicant, & redeunt.

MONASTERIVM Virginum medijs in flammis immune perstat hactenus, quod hoc anno consolationis causa nos inuisit. Nauales operæ studijs nostris adiutæ. Senex multis ac periculosis nauigationibus emensis, hactenus abhorrens à confessione, monitu nostro, tùm poenitentiæ, tùm communionis Sacramenta piè frequentat. Virgo maximo flagrans desiderio apud nos expiandæ conscientiæ, sed ab aula Lutherana modis omnibus obseruatur: graui demùm morbo correpta Prædicantes aduolant: illa palam fidem profiteri: paulò post conualescit, ad nos anathema mittit, de nulla re tristior, quàm quòd ei non liceat apud nos ritu Catholico communicare. Anno virginis vno cõgressu tantos Nostri scrupulos iniecerunt, vt nec interdiu, nec noctu conquiescere posset. Vir alius vxore grauiter in partu periclitante Ministrum Lutheranũ vocaturus incidit in Nostrũ, cui puerpera, post institutionem confessa, statim meliusculè sentit. Infantem recens natũ baptizamus. Energumena Lutherana de confessione, communione, fidei professione prius instructa sacramentis, & exorcismis à Nostris adhibitis à malo dæmone liberatur, quam verbi præcones vnus, & alter, euentu quidem frustrato, non tamen sine præsentissimo vitæ periculo liberare tentarunt: Dæmon enim Ministrum corripiens, adeò verberibus mulctauit, vt seminecem relinqueret: vnde pro

con

Digitized by Google

concione populo denunciant, potestatem dæmonem compellendi solis Apostolis concessam esse. Ex hac occasione altera mulierum, quæ Energumenam adduxerat, paucis post diebus ad Ecclesiæ gremium, à quo decem & octo annos aberrauerat, religiosè se recepit. Virgo nobilis olim sacrarum virginum monasterio dicata, per amicos hæreticos inde vi extracta, paulatimque fidem quasi dediscens, errorem imbibit. Post annos verò plures memoriam prioris institutionis repetens inardescit cupiditate cognoscendæ religionis Catholicæ; vix vllam finit elabi noctem, qua non è stratu suo surgens aliquot horas in oratione ponat: nec irritæ preces, à Sacerdote nostro pijs monitis imbuta restituitur Ecclesiæ.

COLLEGIVM EMBRICENSE.

SOCIOS vndecim Sedes Embricensis habet, septem Sacerdotes, duos Magistros, duos item Coadiutores. Extremo Decembri prioris anni mortuus est M. Arnoldus Bloemartz Grauensis, animo læto, vultu post mortem solito etiam amabiliore. Annos ferè sex in Societate egerat, puritati mentis ac maiorum obseruantiæ imprimis deditus. Cùm aliena in æde D. Martini sepulchri copia non esset, vidua pia hæreditarium in eadem suum benignè obtulit, eaque Cleri, & magna populi frequentia funus prosequente, non sine lachrymis illatus est. In summis rerum difficultatibus res tamen Collegij satis aucta. Sacerdos exul mille florenorum amplius summam donauit. Virgo singulari pietate, nec Embrice habitans, duûm mil-

Digitized by Google

sium nos scripsit hæredes. Vidua fuit, quæ octingentos florenos in annua discipulorum præmia, & catechisticæ munuscula attribuit. Aliæ insuper virgines minore facultate, pari laude morientes nobis benè fecerunt, vt omittam eleemosynas recepto iam more quotidie domum mitti solitas. Templi instrumentum inter alia eleganti palla damasceno opere texta, & argenteis aliquot phialis auctum. Litteræ temporum calamitate magnum hoc anno damnum fecerunt.

NVMERVS iuuentutis centesimum, quinquagesimum vix attigit. Sodalitas B. Virginis paucitate sua stetit, nihil tamen ab anni superioris vsitatis pœnitentijs remisit, provt in maiorum celebritatum perunigilijs apparuit. In communi pestilentia plures cum magna pietatis testificatione decessêre: plures cum præsenti vitæ periculo moribundos allocuti. Nonnulli religiosam vitam complexi fuissent, nisi laxior, disciplina aliud suadere coegisset. Fuêre, qui pro templorum foribus stantes amplam stipem pro saucijs, & infirmis militibus coëgerunt. Res ciuitatis Embricensis subinde grauissimè perturbatæ, receptis & emissis vltrò, citróque militum copijs: vnde Nostris apertus campus charitatis exercendæ, Ciuium quidem, quoad licuit, incolumitati consulendo, laborantes verò & ægros consolando. Conciones ad præsidarios institutæ, quibus effectum, vt sub Paschæ ferias aliqui confiterentur, aliqui etiam ad Catholicam fidem amplectendam incitarentur. Ex aduersarijs, qui propius à nostris hærebant Anglus ex vrbe glande traiectus in vrbem delatus, opera Gubernatoris, & nostri Sacerdotis Ecclesiæ restitutus est. Post octauam Paschæ Cardinalis Andreas ab Austria, comite Octauio, Nuncio Apostolico, & Francisco Mendoza Regiarum copiarum Imperatore Collegium inuisit, magna benevolentiæ testificatione. Miraculo non dissimi

simile. Chorus pensilis in æde D. Martini vnà cum organis magna iactura contusis, vnà secum traxit cum multis alijs B. Virginis statuam è ligno magnitudine mediocri, puerum Iesum gestantis: dum cætera eruuntur, effigies integra omnino cum puero reperta est. Itaque ob miraculi memoriam in aram nostram translata ibi nunc religiosè inuisitur. Nuncius Apostolicus diebus aliquot in vrbe subsistens innumeris omnis ætatis, & sexus, sacramentum Confirmationis impertijt, quod ab hominum memoria non fuerat collatum. Idem in causa quadam magni momenti, re, & consilio nos iuuit, relicto etiam liberalitatis suæ apud nos monimento, Dominus Admiralius abiens insigne nobis eleemosynam reliquit. Cæsarea Maiestas suam in nos beneuolentiam litteris ad Illustrissimum Ducem Cliuiæ datis, quibus hoc nostrum Collegium ei commendabat, testata est. Deinde Illustrissimi Principes non exiguis signis, in causa nostra Consiliarijs commendanda, eandem ostenderunt.

EXTERNORVM Sacramenta frequentantium numerus fit in dies maior, & à multis locis etiam hæreticis, ad nos concurritur. Ab hæresi aliquot absoluti: duo ex hæreticorum castris capitalem pœnam subituri à Nostris ad confessionem adducti, confirmatique sunt. Ad ægrotorum salutem curandam vulgò iam tota vrbe vocamur. Eques, noster olim Moguntiæ discipulus, *in hostes lapsus*, ab eisque rebus omnibus exutus, & plagis *contusus*, industria Nostrorum mentis, & corporis ægritudine liberatus est. Mulieri tormenti ictu venter cum parte pedis aunlsus fuit, quæ confessa, & corpore Domini refecta, pòst factum Deiparæ votum celeriter ventrem, postea etiam ingrediendi facultatem recuperauit. Domus à maleficis vexata lustrata à nobis leuationem mali accepit, subuentum ijs, qui veneficijs affli-

Digitized by Google

cti, & ad manus sibi inferendas sollicitati, cœlestis Agni plagunculis, aliisque Ecclesiæ vsitatis remedijs. Rusticus quidam, cùm nullam quietem posset capere, aqua benedicta hausta postridie lætus redijt, bellè sibi noctem abijsse nuncians. Puella item nobilis tantis doloribus torquebatur, vt miserrimos clamores ederet, vocati Nostri, vt sacras preces super ea recitarent, ijs lectis, alijsque amuletis vsurpatis, statim reualuit.

* *
*

Digitized by Google

PROVINCIA POLONIÆ.

IN OCTO Societatis domicilijs pro parte Poloniæ facta totius Prouinciæ subdiuisione, Socij 200. fuere recensiti. In domo S. Barbaræ Cracouiæ decem & septem: Sacerdotes decem: Coadiutores septem. In S. Stephani triginta quinque: Sacerdotes quatuor: Coadiutores veterani quinque, cæteri Nouitij. In Collegio Posnanensi quadraginta quatuor: Sacerdotes quindecim, inter quos sex Professores Theologiæ, vnus Philosophiæ, & alius Mathematicæ: præterea quinque Professores inferiorum Scholarum, octo Auditores Theologiæ, Philosophiæ sex, cæteri Coadiutores. In Calissensi triginta sex, Sacerdotes decem, inter quos Professores duo controuersiarum, & casuum, & totidem Philosophiæ, quatuor præterea humaniorum litterarum, Auditores Philosophiæ quatuordecim, cæteri Coadiutores. In Collegio Iaroslauiensi triginta tres, octo Sacerdotes, sex Professores inferiorum Scholarum: vndecim Scholastici Auditores Rhetoricæ, cæteri Coadiutores. In Tublinensi viginti duo, Sacerdotes nouem, quinque Professores humaniorum: cæteri Co-

Digitized by Google

adiutores. Toruni quinque, Sacerdotes quatuor, vnus Coadiutor. Leopoli in Residentia octo, Sacerdotes quinque, tres Coadiutores.

DOMVS PROFESSA CRACOVIÆ AD S. Barbaram.

ALVIT hoc annò Domus ista è Nostris ordinariè viginti; è quibus Sacerdotes, spiritualibus ministerijs Societatis dediti, fuerunt nouem, totidem fratres, qui in re domestica procuranda suam operam impenderunt. Duo denique Nouitij, qui pro more statis temporibus à S. Stephano huc mitti solent. Annus hic non omninò faustus nobis extitit. Nam imprimis vnus ex Socijs qui ad domesticas occupationes fuerat destinatus, maligna febri in nostra domo decessit. Mortem deinde fratris, breui communis contagio subsecuta est. Quæ quoniam, velut cœlum nebula inuoluens, vniuersam hanc vrbem occupauerat, curatioque ipsa ægrorum, & contactus vulgaret ægritudines; ideò non solùm ciues, & incolas vrbis, per varia pagorum loca dilabi, sed etiam Nostros aliò, atque aliò, non sine magno mœrore, secedere coëgit. Tres tamen Sacerdotes, cum totidem fratribus, vt possent esse pestè languentibus auxilio, domi relicti fuerunt, ijdemque incolumes seruati, Deo nimirum prouidente, vt eorum corporibus pestilentia parceret, qui multarum animarum saluti procurandæ inuigilarent. Inter tot mortes, & pericula quæ alios cœnobitas, & parochiales Sacerdotes ita terruerant, vt vix in aliquo vrbis templo aliquis confessionibus aures daret; ideò

tota

tota plebis multitudo ad noſtrum templum ſeſe conuerterat, vbi non ſolùm Verbo Dei pabulum ſingulis diebus feſtis habuêre; ſed ad quos conſcientiæ ſuæ maculas quotidie deponerent illis non defuêre. Proinde vnus ex illis Sacerdotibus, qui Eccleſiaſtici officio fungebatur, plus quàm duorum millium hominum confeſſiones excepit. Inde colligere licet quantum alij duo Sacerdotes Verbi diuini prædicatione non detenti in hoc genere fecerunt. Vniuerſæ vitæ inſignium ſexus vtriuſque perſonarum confeſſiones, etiam Sacerdotum, vltra centum auditæ. Aliqui ab arte magica ſunt abducti. Quatuor ſupra viginti, qui partim à fide defecerant, partim defectionem meditabantur, ad Catholicæ Eccleſiæ gremium redîêre. Multæ fœminæ in plurimis adulterijs, inceſtuque volutatæ, ad honeſtos mores reuocatæ. Quædam etiam matre obiurgante, cùm in publicis ſceleribus perſeueraret, frequentibus funeribus perterrita, ad Patrem noſtrum confugit, & pridie quàm ipſa peſte fuiſſet correpta, criminibus per pœnitentiam expunctis, breui poſtea vltimum vitæ ſuæ diem feliciter clauſit; pro qua re mater demortuæ, ingentes Patri gratias egit. Aliquot quæ meretricio quæſtu per quinque, aut decem, aut viginti, aut etiam plures annos vſæ ſunt, ad pœnitentiam ſunt adductæ. Reſtitutio etiam non exiguæ pecuniæ dominis ſuis facta eſt. Inopia magna ſub hoc tempus periculoſum laborantibus, perpios, & liberales homines à Noſtris excitatos prouiſum eſt, vt 300. & vltra hominibus inedia pereuntibus, victus, & alia neceſſaria quotidie ſubminiſtrarentur. Hæc domi.

IN pagis etiam noſtri Sacerdotes æquiſſimis omnium auribus vſi ſunt: horum concionibus effectum eſt, vt pagani confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta frequentius obirent, vt concionum fama nobiles exciti ex alijs cir-

Digitized by Google

cumiacentibus pagis ad templa libentiùs, & sæpius confluerent. Inter quos vnus Trinitarius, qui viginti, & vltra annos in hoc errore exegerat, audita cõcione, Collegium Patris expetierat, & post paucos dies Ecclesiæ Romanæ, minantibus & frendentibus alijs hæreticis, adhæsit. Alter Caluinista tribus milliaribus, vt de quibusdam fidei articulis, cum Patre conferret, venit: contulit, disputauit, & manus dedit, acceptoque tempore, vt ad peccatorum expiationem se præpararet, post dies aliquot redijt, & pœnitentiæ, atque Eucharistiæ sacramento munitus lætissimus atque contentissimus ad suos remeauit. Duo item alij Caluinistæ, coram eodem Sacerdote errores suos abiurarunt. Rudimenta Christianæ fidei sunt etiam simplicioribus explicata, & quoniam per incuriam Parochorum multi ex subditis signum S. Crucis exprimere nesciuerunt, proinde Sacerdos noster in magno concursu hominum videlicet in festo Patroni illius loci, postquam de mysterijs Crucis, & modo signandi populum admonuisset, illorumque inscitiam perstrinxisset, finita concione singulos deinde signum Crucis ritè in fronte exprimere docuit: eadem opera decimæ retentæ Parocho restitutæ: simultates dissidiaque aliquot inter conitiges & inter alios sublata. Fœminę denique nonnullæ rebus omnibus nuncio remisso Christo sese consecrarunt, vitamque seueriorem susceperunt. Vestes hoc anno sacræ, auro intextę non parui pretij pro templo nostro donatæ fuêre. Deniq; in structura noui templi antè hoc ferè triennium inchoati, magni hoc anno progressus facti, magnis sumptibus, quos Serenissimus Rex liberalissimè suppeditauit, & ipse in persona sua fabricam videre voluit.

DO

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS CRACOVIÆ AD S. Stephanum.

SINGVLARIS Dei nostri in hanc domum prouidentia, initio anni huius apparuit, cùm in pecoribus nostris in prædijs à peste graui circumquaque grassante, & permulta in vicinis pagis extinguéte conseruatis: tum verò in præsentibus necessitatibus Domus per piam bonorú virorú legationem subleuatis. Nam cum in contractis iam debitis quasflorenos mille excedebant, & nouis insuper contrahendis ob necessaria Domus cocmenda vrgeremur: partim ex testamento Domini Stanislai Lubarth, Canonici Gustadiensis florenos 800. & post obitú Domini Stanislai Krasniski Archidiaconi Cracouiensis florenos 100. ab amicis nostris executoribus, rem eam ex animo promouentibus, partim verò etiam ex applicatione Patris Prouincialis nostri, à Patre Petrò Skarga 100. totidem à Ioanne Turoirski fratre nostro Domus hæc accepit. Ex qua pecunia, & magna pars æris alieni nimirum floreni 800. creditoribus est reddita, & floreni 200. persoluti pro horto suburbano, super quo duorum millium, & centum florenorum summam inscriptam hæc Domus habet, ratione cuius summæ accepit iam Domus horti eiusdem vsum, donec vel prædictam summam à dominis vel fundi perpetuitatem obtineat. Cùm in hac vrbe authoritate Illustrissimi Domini Cardinalis Radzinili Episcopi Cracouiensis obiret visitando templa Reuerendissimus Dominus Christophorus Kazimiers nominatus tunc Episcopus Kionensis, resque templi S. Stephani de more in Sacristia, & ad maius altare, cuius Nostri curam habét

Digitized by Google

inſpiceret: multis viris honoratis præſentibus, frequentique populo aſtante (erat quippe dies Annunciatæ Virgini ſacer) conuerſus ad homines palam collaudauit bonum, ac decentem ordinem, quem Societas in eiuſdem templi ornatu, cæteriſque rebus retinet, addens inſuper, optare ſe in alijs quoque templis viſitandis ſimilē decentiam inuenire: quin etiam ad noſtrorum normā paramēta pleraque pro Diœceſis ſuæ templis poſtea fieri curauit.

PATRES veterani Domus huius licet pauci numero, non plures ſcilicet tribus, operam tamen non pœnitendam ciuitatis huius incolis, & ſuburbanis hominibus nauarunt, cùm in ægrotis adeundis, ac morituris ad pium ex hac vita diſceſſum præparandis, tum in grauiter inter ſe diſſidentibus reconciliandis, ac pleriſque à turpi, & mala vita ad frugem, ac honeſtatem reuocandis. Multorum confeſſiones generales auditæ. Milites ab improba vita aliquot ad pœnitentiam adducti. In fide plerique vacillantes confirmati. Hæretici non pauci ad gremium Eccleſiæ reuocati: inter alios nobilis quidam alicuius notæ: fœmina item triginta annis in errore obſtinata: puella etiam à teneris annis in hæreſi educata, ab hæreticis parentibus, ipſis inuitis, & grauiter obſiſtentibus, iam verò diſſimulantibus, quin etiam conniuentibus, Catholica perſeuerat. Rerum alienarum reſtitutiones notabiles factæ. Lites quorundam ſanguinem ſpectantes compoſitæ. Ciuis quidam ſatis in vrbe notus, abſque vlla cauſa noſtræ Societati ita grauiter infenſus, vt nec pulſum campanarum templi noſtri ferre poſſet, quæ illi Noſtrorum memoriam refricabant, deque nobis multa mala ſentire, ac loqui ſolitus, tandem ad ſe rediit, ſuum errorem agnouit, Noſtro eſt confeſſus, itaque conciliatus, vt ſæpius Noſtros prandio domi ſuæ excipiat, & Eccleſiam, domumque noſtram libenter inuiſat. Decima ſexta Iunij, diem ſuum in hac domo ſanctè obijt Pater Ioannes Lochocki, ſacramen

sacramentis omnibus prius magno affectu desideratis, pieque perceptis. Hic bonus Pater cùm in conuersione sua, singulare probi, ac deuoti religiosi, tum in fine vitæ magnæ resignationis nobis exemplum reliquit.

COLLEGIVM POSNANIENSE.

PRAETER conciones ordinarias in templo maximo habitæ sunt passim in alijs inuitatu Parochorum. Doctrina Christiana in quatuor Paroecijs die Dominico tradita. Visitata Xenodochia, & carceres. AEgri, qui ope humana destituti iacebant in publico, in Nosocomijs collocati. Datum est subsidium in extremo certamine animam agentibus, & qui extremo supplicio erant afficiendi. Ex his duo iuuenes familia nobili, cùm ob facinus tenti essent, primò irarum pleni, animo contumaci per se & suos atrocia Magistratui denunciare, & nobilitas passim eis impulsoribus fremere. Verùm paulò post congressu, & hortatu Sacerdotis nostri fontes illi peccata sua detestati sunt, & posita ferocia, cùm sæpè aliàs (diu enim tenebantur in custodia) tùm verò maximè cum iam producendi essent ad necem furentes propinquos & nobilitatem velut indignitate rei, cum lachrymis obtestaturi non destiterunt, ne quid illa animaduersio, cuiquam officeret. Alius cui manus erat imputanda, interuentu Nostrorum atroci illa pœna exceptus, leniori multo animaduersione satisfecit legibus, & Præfecto vrbis, cuius nobilem aulicum vulnerarat. Quæstum impudicum nonnullæ Nostris suadentibus reliquerunt. Hæresim abiurarunt ad septuaginta, ijque viri ferè nobiles, & nonnulli qui annos 40. in illa perfidia vixerant. Lasciuiam, & id genus enormia flagitia, detesta-

ti

Digitized by Google

ti sunt complures, & nonnulli ex illis, quorum vita in hominum oculos incurrens pessimi erat exempli. Facta est alieni æris restitutio notabilis. Odia, contentionésque graues posuerunt ad 60. viri ferè primarij. Ecclesiastici quidam malè inter se dissidentes ad pacem inducti. Ad eam pecuniam quæ pridem procurandis morbidis colligitur, adiecti vnius è Nostris opera floreni quingenti. Confitentes de tota vita auditi circiter sexcenti.

PESTIS malum quod passim hoc anno sæuiebat, quamuis non omnino Posnaniæ pepercit, schólas nihilominus retinuimus. Et paulò antè præter superioris anni religiosos, nouis etiam è D. Augustini, & D. Francisci familia Theologiæ, ac Philosophiæ Auditoribus aucti sumus. Exercitationibus pijs nonnulli Religiosi, & duorum cœnobiorum Virgines, tùm Canonicus nobilis imbutus est, non leui argumento futurus, quantum ad curandos animi morbos hoc salutare meditandi studium valeat, quippe vitam instituit omnino superiori dissimilem. Sodalitati Misericordiæ quæ nunc primùm in hac ciuitate instituta est, certatim Illustres viri, & Reuerendissimus Noster nomina dederunt, de eius progressibus, vt è primordijs augurari licet, speramus annis futuris non defore scribendi materiam. Liberalitatem variorum ordinum, si vnquam, hoc anno experti sumus maximam, quo indicta fuit congregatio Posnaniam. Tantum eo nomine vndique collatum est subsidij, quod abundè sufficit alendis omnibus. Ciues verò pro magno id beneficio duxerunt, quòd suas sedes totius Prouinciæ illustriores personæ cohonestassent. Itaque præter multa pro facultate manentibus, & abeuntibus donata, quaternos, & denos aliquando Patres amplè singuli domi suæ acceperunt.

AD suppellectilem templi accesserunt candelabra sex argentea formæ elegantis, casula cum antipendio eximij operis, auro & grandibus gemmis collucens, è vir-

Digitized by Google

virginis vnius munificentia, de Societate, ac re dimi na iam pridem optimè meritæ. Cuius & alia donaria præsertim sacrarum vestium si computentur, paulò minus florenorum ter mille summam efficient. Ad hæc ex aliorum pia largitione accessit, quod amplius 400. florenis æstimetur.

SEQVVNTVR fructus è Missionibus collecti. Oppida pleraque Germaniæ confinia sex à 40. annis hæresi fuerunt infecta ad eam pestem depellendam semel atque iterum nostris accersitis, acta res est prosperè, iuuante Deo. Resipuerunt, & eiuratis erroribus amplius quadringenti sanam doctrinã auidè complexi sunt. Ea res quod circa Paschatis ferias accidisset, placuit omnibus, vt veteri Catholico more, in signum lætitiæ è Christi triumpho conceptæ equites, & pedites oppido egressi, prælato crucis vexillo vicinas Parœcias, & suos agros obirent, hymnum victori Deo patria lingua concinentes. Hanc festam supplicationem excitè pagis coloni prosecuti sunt: senes verò, qui auitæ religionis mysteria memoria tenebant, magno sensu pietatis grãtias egerunt superis, quòd redierint tandem longo interuallo hæc religionis veræ symbola, tot annis intermissa. At vicinum oppidum factum hoc, alio simili instructo agmine, imitatum est. Et quanquàm non multò antè è tenebris errorum emergere cœpit, non diffidimus tamen etiam inibi propediem Catholicam rem propagatam iri. Possidetur enim à matrona insigni pietate hæresum funditùs extirpandarum cupidissima, quæ etiam in eum finem Nostris vltrò data pecunia compendium controuersiarum, de quibus potissimè disceptari, & ambigi solet, vulgari idiomate excudendum, & inter suos, aliosque quàm plurimos gratis distribuendum curauit. Apud Reuerendissimum Nostrum vnus Sacerdos in Quadragesima circiter mensem cõmoratus est, vbi & oppidanis, & Aulæ Antistitis, atque

atque ipsi Antistiti vtilem operam nauauit: præsertim in ijs quæ ex præscripto, canonum diuinorum Episcopis cognitu sunt necessaria. Alij verò in Monasterijs aliquoties fructuosè versati sunt, exercitationibus pijs tradendis, & familijs Religiosis, ipsisque earum Præfectis ad officium strenuè excitandis. Præterea conciones funebres ad quas passim vocati sumus, in eum potissimè finem instituebantur, vt è præsenti spectaculo, summi æquè ac infimi de rerum humanarum fluxa conditione admoniti finem suum spectarent, vitam corrigerent, & si qui erroribus perfidiæ tenerentur maturè sibi consulerent. Et respondebat operæ vtilitas præsertim cùm ista fierent in tanta primorum, ac nobilium frequentia, quanta hic solet ad iusta suprema gentis more inuitari. Conuenerant ordines maioris Poloniæ de Reip. consultaturi. Ibi aliquot hæretici factiosi, in omnem lædendi nostri occasionem intenti de nobis, & Ecclesiasticis aliqua inuidiosissimè subijcerent, moxque perulgatis, & obsoletis iam calumnijs onerant. Contra etsi integritas ipsa luce clarior omnibus tacentibus impudens illud conuicium refellere posset; opposuerunt se nihilominus præter alios, pro suo in nos studio duo maximè idonei veritatis patroni Antistes noster, & Maioris Poloniæ præfectus generalis. Vnde illi mali Dæmonis emissarij nihil aliud præterquam luculentum procacitatis suæ testimonium lucrati sunt tantum abest, vt nostræ opinioni aliquid officerent. Exarserat alioqui contentio plena periculi inter duas partes. Hæreticus erat vnius caput, cumque irrito conatu varia media tentasset, denique flexit animum ad nos, & Patrem qui non procul aberat supplex aduocat. Res Patris arbitrio acta, & composita breui etiam in aduersariorum animis maximam Societatis excitauit veneration[illegible]

COLLEGIVM CALISSIENSE.

HABENT scholæ iuuentutem non minus florentem, quàm numerosam: sexcenti enim circiter discipuli numerantur; futuri multo plures, ni eos qui prima Grammaticæ rudimenta discunt, ad externos præceptores amandaremus, qui tamen & ipsi, quia ex Collegij præscripto instituuntur, ac sæpius intra annum examinari soliti pro arbitratu, & iudicio Præfecti scholarum nostris Præceptoribus docendi committuntur, ad disciplinam Collegij pertinere videntur; suntque prope ducenti. Viget quidem in omnibus his virtuti, pietatis & Religionis studium. Præcipuam autem in huiusmodi studio laudẽ ferunt illi, qui Beatissimæ Virginis Sodalitati sese addixerunt. Centum, & triginta circiter in vniuersum numerãtur, omnemque scholarum florem complectuntur. Argumento sit, quòd ex ijs tres egregij iuuenes perfectioris vitæ desiderio incitati, in nostram Societatem adscribi obtinuerunt, octo alij aliarum Religionum instituturn sint complexi. Nec prætereundum est vnum ex tribus, quos dixi ad Societatem adscitos, non obscura diuinæ voluntatis significatione in eam mentem impulsum esse. Etenim repentino quodam, eoque grauissimo correptus morbo cùm ægrè non modò loqueretur, verùm etiam spiritum traheret, spem prorsus omnem de valetudine deposuerat. Circumspectanti porrò animæ suæ statum, præsertim qui prolixiore tempore sacram confessionem intermisisset (iam enim relictis studijs, aulicis obsequijs sese addixerat) de eaque vehementer sollicito, & anxio, venit in mentem

mentem Religiosæ vitæ hominum Societatis, tùm verò ad Beatissimæ Virginis, Beatique Patris Nostri Ignatij fidem, & misericordiam supplex confugere, vtriusque opem impensè implorare, inter ardentes preces votum etiam de ineunda Societate si præsenti periculo eriperetur, nuncupare. Non irrito conatu res facta; Mox enim insequenti luce exorta, valetudini, viribusque pristinis redditus, voti sponsione vt se exolueret, laborare cœpit, Deoque iuuante perfecit. Hæresi eiurata ad Ecclesiæ gremium redierunt septemdecim, quo in numero plerique Nobiles fuerunt. Hoc quidem beneficium eo maius fœminæ cuidam accidit, quòd in erroribus ab infantia educata, sexagenaria demùm, & iam in articulo mortis posita, in gratiam cum Deo & Ecclesia redierit, sacramentisque ritu Catholico perceptis diem obierit. Quidam vxori legitimæ superstiti alteram superinduxerat, cumque quadraginta prope annos in hoc cœno iacuisset Sacerdotis suasu, relicto impuro matrimonio cum priore vxore in gratiam redijt. Confessiones, de tota vita, vltra quam sexaginta auditæ, nec pauciores aliæ à compluribus annis repetitæ. Nonnullæ fœminæ à pellicatu ad vitam puriorem traductæ. Dissidia quoque non leuia inter quosdam composita, & sopita. Exercitijs spiritualibus nonnulli perpoliti. Eorum præcipuus fructus expectatur à duobus Religiosis è familia S. Benedicti. Atque hæc quidem domesticis laboribus perfecta sunt.

DOCTRINA Christiana partim in Xenodochijs suburbanis, singulis Dominicis & festis diebus, partim in pago quodam vicino doceri cœpta est. Alij etiam aliò missi, non pœnitendos fructus retulerùt: ex quibus vnus intra dies aliquot, triginta totius vitæ cõfessiones excepit. Statuit Illustriss. fũdator Collegij nostri ab altera tẽpli parte, qua latius patet area, omnes deintegro scholas exstruere

Digitized by Google

exstruere, quæ & numero, & capacitate priores superent. Cœpta sunt iaci fundamenta, materiæque pars aliqua parata, ac quo locus ædificij futuri spacioſior esset, de coëmendis nonnullis areis partim transactum, partim tractatum. Non caret negotium difficultate obstante siue inuidia, siue cupiditate nonnullorum. Spes tamen est fore vt æstate sequenti bonam huius ædificij partem constitutam videamus. Templum quoque nostrum eiusdem benignitate, egregia quatuor candelabra ænea nactum est. Quorum duo in altum supra hominis staturam, iusta crassitudine. Area præterea Collegij eiectis nonnullis impedimentis, nouoque muro in quadam parte erecto, & ad capacitatem, & ad ornatum pulcherrimè accommodata est.

COLLEGIVM IAROSLAVIENSE.

MVLTORVM licet è Nostris hoc anno salus, ac vita varijs morborum generibus fit tentata, omnes tamen vitæ periculum euaserunt: vnus tamen vi morbi iam ita prostratus est, vt (nisi singulari diuina gratia recreetur) planè non videatur amplius vnquam Societati fore vtilis. Dederunt in Ecclesiam nomina ex schismaticis septem, salutari peccatorum confessione purgati, ex hæreticis quatuor, quorum duo spem nunquam redeundi ad Ecclesiam Romanam nobilibus viris iuramenti religione fecerant. Ex turpi lucro, & moribus corruptis ad meliorem vitam traducti 16. Meretricium deseruerunt quatuor, in quo nobilis quædam fœmina octo annos delituerat. Quidam tribus propinaturus venenum reuocatus à proposito. Duo

Digitized by Google

aulici à superstitiosa dæmonum impostura absterr iti. Supra tria paria coniugum inter se dissidentium ad concordiam reuocata. A concubinatu abducti Parochi Podoliæ, & circumiacentium Prouinciarũ viginti lachrymis pœnitentiam testantes: controuersiæ ad conscientiam spectantes explicatæ. Doctrina Christiana tempore Quadragesimæ in septem classes, in templo nostro fuit distributa, ad quam etiam prouectioris ætatis homines confluebant, non sine magno suo spirituali fructu, ac consolatione. Itum etiam est frequenter ad Nosocomium pauperum, qui non solùm salutaribus cohortationibus, sed etiam sacramentorum vsu frequenti sunt recreati. Sodalitas Dei Matris viret, vigetque, quæ centum amplius egregios complectitur iuuenes. Sodalium maximè eluxit virtus, tùm in voluntaria corporis diuerberatione (vt de priuata taceam) ad Domini sepulturam sub noctem redempto orbi dicatam, in magno hominum concursu: tùm in epulo, quo eadem die quadraginta pauperes lautè exceperunt. Vbi nobilissimorum iuuenum pietas ad obsequia planè abiecta culinæ, & mensæ promptissima, & liberalitas in subleuanda egenorum inopia, cæteris fuit admirationi, & incitamento: maximè verò cum remotis mensis ad lotionem pedum pauperes rei vel nouitate, vel indignitate dilapsos clanculum magno animi feruore requirerent, & ad huius virtutis exercitium retraherent. Sat benè instructa quoad ornatum, & symphoniam processione: itum est ab ijs ad infirmos Sodales fructum ex lectionibus, & colloquijs spiritualibus collectum in alios transfundentes, ad saniorem mentem nonnullos pertraxêre. Hinc post longam spem, & desiderium duo Probationis domui (cum plures id flagitent) oblati. Scholasticorum externorum numerus in tam exiguo oppido sexcentorum ferè numerum attingit. Nec verò de templo tacendum est, ad cuius ornatum chorus Cantorum

&

Digitized by Google

& sedilia è quercu, ante duos incœpta annos, præsenti perfecta accesserunt, 300. ferè florenorum sumptu. Scholis etiam nouis totidem annis ædificari cœptis tectum est impositum.

COLLEGIVM LVBLINENSE.

PRINCIPES qui in Tribunali mirè, causis fauebant nostris, egerunt cum ciuitate de maiore scholarum spatio, & templi noui immunitate, de qua etiam ipsum Sereniſſimum Regem interpellarunt. Benefactores contulerunt bona subsidia in templi structuram, alius trecentos, alius quingentos, alius mille florenos. Magnum amorem, & beneuolentiam experimur præcipuorum in Rep. virorum: præcipuè Domini fundatores non desinunt nos augere beneficijs. Eorum alter quatuor millium debitum, eius sepulturæ Collegio donauit, & resignauit, data ea de re syngrapha, animumque suum addictissimum nobis testatus est, quem offensum ex aliqua causa suspicabamur. Scholæ & institutio earum multorum sermone celebratur. Fundum ante ab Illustrissimo olim Cardinali, & Capitulo Cracouiensi donatum, à Tribunali regni contra Emphyteutas adiudicatum est nobis. Templo suppellex plurima accessit, aureæ vestes aliquot. Nec minus ad animarũ lucra laboratum est. Reconciliatus Ecclesiæ vir nobilis. In altero supremæ vitæ tempore magna susceptæ religionis constantia apparuit: vexillifer is erat Lublinensis, qui cum vnum ex Nostris detestandæ hæresis, & expiandi animi causa aduocasset, aderat frater hæreticus animo, & lingua ferox, hic deterrere à proposito hominem, orare, & obtestari, ne eam fidem in qua eõsenuisset in portu facto

Digitized by Google

naufragio defereret, & actam constantissimè ætatem, ad præscriptum Euãgelij, puriq; Verbi Dei obseraret, superstitiosis Papistarum cõmentis, quæ hactenus etiam templorum, & altarium demolitione oppugnasset (euerterant autem nobilem in eo tractu Ecclesiam) quæ ille existimabat causæ præsidia, hęc magis ægri animum flectebant ad pœnitentiam, & præteritæ vitæ detestationem. Itaque cùm Patris potiùs monita sequi decreuisset, germano rubore perfusus conscientiam aggressus est confessione leuare. Quod non successit hac, alia nihilominus ratus via ille aggrediendum, vtpote quod sine duce commissum prælium amisisset, ministrum per filium ægri curat vocari, eumq; ad ægrum inducit. At pater eum tempore abutentem non esse ferendum ratus, quid placeat ægrum percunctatur: dantque ad extremum illi optionem, vt, quem vellet, deligeret. Respondit se eligere Iesuitam. Vos verò cum ministro nil moror, inquit. Ita re infecta discesserunt. Ne tamen communionis vsum impedirent, ei quoque rei prouisum est: sperabant enim, non susceptum illum vnam communionem: sed spe frustrati sunt, procuratusque piè sacramento Eucharistiæ, cùm etiam morbo, & ætate grauis, nullo modo sineret se in lecto detinere, adeoque procumbens in genua Dominum venientem excepit. Eo modo & confessionem peragere contenderat, sed à Patre obsistente in lecto collocatus est. Hac conuersione templum nobile in eo tractu instructum, suppellectili preciosa, ad gremium Ecclesiæ accessit, iamque ibi diuina celebrantur, & filius successor Nostrorum consilijs libenter acquiescit. Alius vir nobilis, & aliquantæ eruditionis, cùm cæteros Caluini errores non probaret, in vno, quo minus ad Ecclesiam Catholicam rediret, vtriusque scilicet speciei vsu, hæsitabat, veneratq; eo animo Lublinum, quod speraret se posse vterãque speciem obtinere, idque agebat occultè: sed cùm id

illi

Digitized by Google

illi præcisè negaretur, multa mala imprecatus sibi, si vnquam vna specie contentus communionem perciperet, indignabundus è Collegio discessit. Tertio pòst die multa in vtramque partem cùm disceptasset, flexus Catholicorum pio quodam sensu, & cœrimonijs Ecclesiæ Catholicæ manus dedit. Sub idem tempus alius iuuenis illustri familia oriundus in hæresi educatus, factus Catholicus. Præterea matrona nobilissima nata hæreticis parentibus, alijque nobiles viri quatuor, matronæ tres, virgines tres, & nonnulli alij: quædam item matrona nobilis, quæ primùm venientem Patrem non secus atque Cacodæmonem, auersata erat: sic enim postea fassa est, magna mutatione dexteræ Excelsi, multos etiam hæreticos ad confessionem hortata est. Ibi ab hæresi quatuor reuocati: à schismate quatuor.

ALIA item in missione quatuor Ecclesiæ reconciliatæ. Crasnistauij vnus abiurauit hæresim. Vchanij tres reuocati à schismate, vnus ab hæresi. Luceoriæ cum bis Pater pro concione sacramenti confessionis vsum commendasset, excitauit ad eam etiam de tota vita faciendam plurimos. Ibidem à schismate quindecim ab hæresi octo resipuerunt. Matrimonia illegitima partim dissoluta, partim ad legitimum vsum traducta. Disputatum cum ministro Anabaptista magna hæresis confusione, & Catholicorum solatio.

IN missione Leuartouiensi reliquerunt hæresim propè triginta, cùm eorum quidam fuissent annis viginti, quidam 30. 40. 50. & vltra. Mulieres prostitutæ pudicitiæ, ad vitæ honestatem reductæ, septem, octóve, quarum tres in matrimonio collocatæ.

SANCTI Lazari confraternitas magna accepit incrementa intra decé fermè dies 1500. floreni ex eleemosyna collecti. Domus empta octingentis florenis, magisque in dies rem æstimant, vbi animaduerterunt deporta-

Digitized by Google

tis ad Valetudinarium ægris plateas liberari egentium infirmorum obsidione. Congregatio misericordiæ multa impendit tum in dotem virginum paupertum, quarum castitas periclitatur, tùm in opifices inopes, aliasque infinitas egentium necessitates magno hominum profectu in pietate, ac solatio. Vnus è Scholasticis Rhetor admissus, duorum desideria dilata.

RESIDENTIA TORVNENSIS.

IN concionibus, & excipiendis sacris confessionibus præcipua laboris nostri pars domi, foriſq; insumitur: quandoquidem etiam in hac ciuitate hæretica huiusce modi occupationum nunquam ferè deest copia. Conciones nostras efficit celebriores non solùm auditorũ maximè Polonorũ frequens multitudo, verùm etiam complurium virorum, & matronarum nobilium concursus, quos siue valetudinis procurandæ studium, siue percipiendorũ sacramentorum desiderium, & dierum certorum solemnitates, è vicinis locis excitos, Torunium contendere suadent. Et verò eiusmodi hominum præsentia, religioni Catholicæ tuendæ, & promouendę non minimum affert momentum. Eo sdem porrò dum ægro sunt corpore identidem visitando, & si res ita tulerit, ad extremum cum morte strenuè ineundum certamen disponendo, nobis beneuolentiores reddere studemus.

EXCVRSIONES item ad loca vicina sæpius instituuntur. Non rarò quoq; vt funebri concione nobilium sepulturas exornemus, ab ijsdem inuitamur. Siquidem huius loci nobilitas, alijs religiosis nostros, nescio quo modo

Digitized by Google

modo sueuit anteferre. Qui ab hæresi reuocati ad Ecclesiæ Catholicæ gremium partim hic, partim alibi sunt reuersi 123. numerauimus. Grádenti namq; ab vno Nostrorum sub ipsum tempus Paschatis prope centum fuerunt numerati. In eo oppido edicto Regio nuper templum fuit Catholicis restitutum. Alij præterea complures dubij, & fluctuantes confirmati, & ad sacramentorum frequentationem diu intermissam reuocati, & ad totius vitæ confessionem adducti. Corporis Christi congregatio anno superiore inchoata incrementain dies sumit maiora. Die commemorandæ Christi Domini perpessioni sacro à S. Spiritus æde, ad templum nostrum supplicatione insigni instituta maximè multorum nobilium animos, quorum eo tempore frequens fuit concursus, in se conuertit. Rogationum dies, & Christi corpori sacri, simili ferè coerimonia fuere exornati. Dominicanæ familiæ Religiosos magnam erga nos beneuolentiæ significationem declarare expetimus: Siquidem etiam sui Patroni S. Hyacinthi festo die in suo templo à nostris concio vt haberetur expetierunt. Reuerendissimus noster vt hactenus in nos egregiæ suæ beneuolentiæ, & amoris multis documentis non obscuram dedit testificationem, ita hoc anno eandem magis claram & euidentem effecit, quingentos quippe florenos nostræ fundationi adiecit, eo ipso tempore, quo regijs obsequijs occupatus non minimo pecuniæ sumptu egebat.

SCHOLAS ne hoc anno aperiremus, tumultus, & clandestina conspiratio quarundam in Prussia hæreticarum ciuitatum fuit impedimento. Ipso etiam Episcopo, vt eius turbationis exitum præstolaremur vltrò suadente, he videlicet flammâ exsuscitatam fouere videremur, cùm paulò ante nobis proponentibus aperiendas censuisset. Bibliotheca domus nostræ hoc anno sat multis libris, & sacratium sacra suppellectile est auctum.

Digitized by Google

RESIDENTIA LEOPOLIENSIS.

ONCIONES in æde primaria habitæ à Nostris manè, & vesperi, omnibus pene diebus Dominicis, & festis (ô cionatori ordinario canonico iam sene, & infirmo eas nobis concedente. In alio quoque templo monialium conciones habitæ, & earum ac Abbatissæ confessiones aliquoties auditæ. Similiter in templo primario confessiones ordinariæ exceptæ plurimorum tam concionum, quàm hospitum, tum etiam militum, qui hîc se in Vngaria, & Moldauia militaturi, vel fines Polonios tutaturi expediebant. Nô pauci etiam Sacerdotes tam in ciuitate degentes, quàm ex vicinis oppidis, & pagis venientes Nostris confessi. Numerus autem qui generaliter sunt confessi sexcentorum quadraginta quatuor excedit. Hæretici hoc anno sunt Ecclesiæ reconciliati septem & viginti. Inter quos vir quidam quadragenarius in hæresi tota vita sua manens, ac tandem minister Zvinglianorum factus cùm à Lituanico Superintendente missus esset in Podoliam, & Volsiniam ad disseminandas hæreses, monitu quorundam Catholicorum ad nos directus, nobisq; commendatus per dies aliquot in Catholica religione institutus tandem resipuit, ac hæresi abiurata sacramentis expiatus, litteras etiam suæ missionis apud nos reliquit. Commendatus à nobis Duci Olicensi, & eius Paracho ad eos se contulit. Similiter alter quidam quinquagenarius hæresim abiurauit. Iuuenis quidam à puero hæreticus conuersus. Alius item iuuenis viginti annos natus, à Domino hæretico, parentibus Catholicis ablatus à

tus à puero, cùm hæretico illi famularetur tota ſua vita à ſacramentis abſtinuerat, in fide Catholica eruditus, & firmatus ſacramenta percepit. Nobilis quidam hæreticus ætate maturus, profeſſione miles, cùm diu Noſtris conuertere eum cupientibus reluctatus eſſet, tandem ipſe ſponte ad confeſſionem acceſſit, hæreſim abiurauit, ſacramque communionem accepit. Arrianus quidam nobilis baptizatus, Iudæus annos circiter triginta agens relicta vxore & liberis Baptiſmum petebat. Inſtitutus à noſtro Sacerdote, & baptizatus conſtans perſeuerat: ducta Catholica vxore, etiam ciuitate, & pellionum artificum contubernio donatus Noſtrorum commendatione. Circa Rutinos etiam & eorum Sacerdotes, vt vocant Popos eſt, laboratum.

IN miſſionibus tria oppida, & triginta pagi Rutinorum ad vnionem Catholicæ Religionis ſunt attracti. Popi autem quadraginta tres hæreſim anathematizauerunt: & deinde in noſtris templis ſacra, & conciones habuerunt ſuo ritu, & lingua: nos ſimiliter noſtro ritu, & lingua Latina, cum magna conſolatione, & ſpirituali gaudio, tum ciuium, tum etiam Dominorum in illorum templis ſacra habuimus. Conciones autem & Polonicas, & Ruthenicas fecimus. Acceſſerunt ad Romanum ritum Rutheni, relicto ſuo, viginti duo.

Digitized by Google

PROVINCIA LITVANIÆ.

IN NOVEM Societatis domicilijs pro parte Lituaniæ (facta totius Prouinciæ Poloniæ subdiuisione) seiunctis, quindecim supra ducentos Socij fuerunt recensiti. In Braunsbergensi vnus & triginta, Sacerdotes nouem, quorum Philosophiam vnus, & Mathematicam alter, tertius conscientiæ casus, profitentur: Præceptores alij quinque, Scholastici septem, Coadiutores decem. In Pultouiensi viginti sex, Sacerdotes octo; præter controuersias vni, & conscientiæ casus alteri Sacerdoti impositos, quinque Præceptores alia pertractant in totidem classibus literarum studia, Scholastici sex, totidem sunt Coadiutores. In Vilnensi Collegio duo & quinquaginta: Sacerdotes viginti quinque, è quibus Scholasticam, scripturas simul & controuersias; conscientiæ casus, Philosophiam, altioribus humaniorum litterarum schólis duabus singulis attributis, & totidem inferioribus classibus, duobus commissis, nouum docendi munus sustinent in vniuersum. His addendi Præceptores duo non Sacerdotes, Scholastici quindecim, 13. Coadiutores. Polociæ duo de viginti, septem Sacerdotes, Præceptores tres, Coadiutores octo.

Rigæ

Rigæ veterani nouemdecim: Nouitij nouem & viginti. Sacerdotes è veteranis 95. Præceptores tres, septem Coadiutores. In Probatione versantur Sacerdos vnus, Scholastici duo & viginti, Coadiutores sex. Derpatum tres & viginti numerauit, decem Sacerdotes: quorum vnus Rhetoricam pro domesticis nostris Scholasticis, numero quinque profitetur, Præceptores duo, septem qui circa domestica occupantur. Nieswisij sex supra decem, Sacerdotes sex, quorum vnus humanitatem docet: Præceptores aliarum classium duo, domesticis ministerijs applicati octo. Igolani in residentia Sacerdotes 4. VVarsauiæ tres Sacerdotes, Coadiutor vnus. Reliquum numerum compleuêre R.P. Viceprouincialis, eiusque socij, Sacerdos alter, alter Coadiutor. Extremum obierunt diem Sacerdos vnus, Coadiutores duo.

COLLEGIVM BRAVNSBERGENSE.

EXERCITIIS spiritualibus præter domesticos externi quoq; nonnulli exculti sunt. Præclarũ de illis, fructu degustato, tulit iudiciũ, nobilis quidã Polonus ætate grandæuus, ac olim Melanchtonis hæresiarchæ discipulus, nunc in alisi prorsus virũ cõmutatus: vt qui inter medios hæreticos, ne à periculo quidem fortunarum alienus ob propugnãdæ Catholicæ veritatis constantiam apud omnes est in admiratione, munificentia eorum per quos paupertati Collegij consultum est, ad 300. summam florenorum progressa est. Scholæ exeunte mense Iulio interturbatæ non leuiter subita dysenteriæ lue, quæ non paucos absumpsit

sumpsit. Itaque cæteris vt vitam seruarent aliò commigrandum fuit. Nostrorum interea charitati ampla oblata est occasio. Depulsa primùm animorum pericula, quod tali in tempore est perneceſſarium, curandis deinde affectorum corporibus cibi, & medicamenta quantumuis difficili tempore à Collegio submiſtrata, ac ne malum pernicaciter in quosuis ab ea tum infectione immunes serperet, suburbanæ in hortis, ac prædijs domus, præcariò conquisitæ. Huc ægri ne plures eadem contagione interirent deportati: omnes tali calamitate percommodis officijs, & auxilijs adiuti, ac leuati, seruari tamen, quin extinguerentur nequaquam complures potuerunt, plerorumque honorificè procurando funeri.

BEATISSIMAE Virginis Deiparæ Sodalitium operam suam magno pietatis impendit argumento. E quatuor iuuenibus in studio Philosophiæ aliquantum progressis, hacque extinctis lue, Pomeranus erat quidam, qui è cœno Lutheri non plus quàm ante mensem circiter emerserat, hic felicissimum seratus, quod Catholicis aggregatus supremum diem clauderet, fratrem qua potuit contentione orauit, hortatusque est graniter suam vt tuto loco hæresim detestatus constitueret salutem, cœpitque eum, quem volebat, cohortationis suæ fructum. Conuictorum domum, quod magnum fuit Dei beneficium, clades hæc perquàm leuiter attigit, summi verò Pontificis alumnos, vi maiore, ac sæpius veluti repetita irruptione quassauit, nulla tamen penitus cuiusquam vitæ iactura. Ac diuinæ id quidem ante omnia acceptum ferendum est erga vtramque domum gratiæ, ac muneri singulari: cum ea tamen concurrit egregia vnius è Patribus industria, & insignis charitas. Lætior etenim rerum oborta facies.

AVCTVM iam maturiore, & pristinum gymnasij redditur ornamentum, & ampliore insuper decore cumula

mulauit. Nam lectorum è prima nobilitate adolescentum numerum auxerunt tres Illustrissimi fundatoris nostri Ducis Niesuisiensis filij. Bonum scholarum nostrarum nomen ad exteros etiam, ac potissimùm in Daniam permanauit. Quo excitati primores Haffniæ (hoc illius regni caput est) nonnulli suos ad hoc Collegium direxerunt liberos, in id enixè incumbentes, vt in Pontificiorum referrentur alumnorum numerum. Eiusdem loci primarius quidam ciuis, partim vt filium, quem hîc habebat, viseret, partim vt alium adduceret, cunctaque præsens inspiceret, ad nos contendit (quod idem ante illum matrona quædam primæ in Pomerania nobilitatis paulo ante fecerat) omniaque nostra, cùm collaudasset, adiecit, se cuipiam Nostrorum illuc excurrere volenti ad faciendos pro gloria Dei fructus aliquos domum suã vel anno integro non denegaturum, idque neque arduum sibi, neque cum aliquo coniunctum periculo videri. Porrò in ipsa Prussia Ducali, quamuis vniuersi religione dissideant à nobis: fatentur tamen non inuiti (quod grauis quidam vir, & in Principis ministerijs non postremus confirmauit) probari sibi institutendæ iuuentutis rationes à Nostris initas, ac susceptas: seque ac cæteros nobiles quo minus in suis erudiendis Nostrorum vtantur opera, solis Ministrorum suorum deterreri clamoribus, ac Ducis ipsius seuerioribus edictis retardari.

CATECHISTICA doctrina circa domum quidem in vtraque ciuitate nunquam intermissa; in villis autem persæpe instituta multum profuit ad rudiorum auxilium. Eadé enim opera vitijs crebrioribus, vt ebrietati, ac ludis vetitis obuiatum est. Nequam spiritus infestam reddiderat vnius rusticani domum, suamq; iam volens efficere sua ibidem tali hospite, atque effectore digna patrabat: luce clara in occulta hinc inde impulsi lapides

lapides volitabant, comminutione vtensilium fragor exaudiebatur, variæ à fugientibus res ad initium terriculamentorum aliò deportatæ, priſtino reſtitutæ loco viſebantur. Sed ridiculus quoque veterator iſte videri volebat: dapes perquàm fœdo inſtructas apparatu ſpectantibus obiectans. In ijs tamé proponendis veritus eſt omnino menſam attingere, in qua ante ſex circiter annos cœleſtis epuli Sacramentum fuerat conſtitutum. Tandem à Noſtris illuc euocatis per Eccleſiæ adiurationes, & ſolemnem precandi ritum, iniqua poſſeſſione deturbatus, finem turbandæ habitatorum quietis vt faceret adactus eſt. Triginta ſparſi per hæreſes ad Catholicos collecti: vnusque ex ijs Miniſter Verbi, Dux ſeductorum, atque errantium Magiſter, matura iam ætate impiè vſurpatum, piè depoſuit munus, atque ex ordinarij auctoritate vinculis quibus ſe inſeruerat, palam exſolutus eſt. E miſſionibus vna fuit hoc anno primum ad locum peregrinationis celebrem inſtituta, nec ſine bono confitentium numero, obita eſt.

COLLEGIVM PVLTOVIENSE.

POST tentatam in hoc Collegio nonnullorum valetudinem nullum (quæ Deo Optimo gratia debetur) funus elatum eſt. Numerum nongentornm iuuentus quæ Noſtris inſtitutoribus formatur expleuit. Anteeunt Parthenici Sodales. Ex eo floré ſeptem decerpſit Societas. Ne plures tranſplantarentur tyrocinij domus obſtiterant anguſtię. Duo ex inſignioribus, eò dedêre ampliorem ſpem durationis, quò parentes (quos ante refractarios habebant) pia

Digitized by Google

pia non sine lacrymis comprecatione Deo tandem in Societate seruituros, sunt prosecuti. Submisit hoc Collegium in alios quoque religiosos Ordines aptos ad eorum incrementum adolescentes. Reuerendissimo (cuius in ciuitate hoc Collegium est) vtimur benuolo, & amplificandi eiusdem percupido. Exploratum enim iam habet rem eius multo quàm credi potuisset tenuioré. Atq; certa iam nostros spe esse iussit, de non dubia ad Collegij fundationem accessione. Seminarium Dœcesanum nuper erectum auctius in dies vt succrescat non intermittit. Illa verò ipsius in nos studiorum in luce sunt inditia, quòd vir alioqui grauissimus, & Senator dignissimus, substracto alijs grauioribus curis tempore, nostris illud aut disputationibus, aut audiendis nonunquam lectionibus impendit. Et quam ipse ex ea re iucunditatem capit, eandem vt referant, qui ipsum inuisunt viri huius Prouinciæ illustres auctor ipsis solet esse perlibenter. Quadragesima fuit hoc anno spirituali messe quã olim multo cumulatior. Quinque hæresis discussa nocte, lucem veritatis aspexerunt.

FVIT etiam foris sæpius à Nostris susceptus labor in dicendo, & vitæ mutatione suadenda permultis saluti. Tum autem maior, atque ad plures in excursionibus fructus manauit, cum vsitatæ in parentando conciones Nostrorum ad id accersitorum à plurima nobilitate audirentur. Commune autem est Nostros euocari quoties contigit quempiam à nobilioribus in vicinia è vita decedere. Hac occasione ad neglecta vitæ Christianæ officia nonnulli reuocati ac perducti; plerique, vt aliud quàm olim sentiebant, de Societatis instituto tenerent. Exercitia spiritualia præter Nostros obiuêre extranei sex. Prælatus vnus Polocensis Cathedræ, alter cuiusdam Præpositus Ecclesiæ, reliqui variorum locorum Curiones;

Digitized by Google

nes; Artium Baccalaureus vnus, qui hoc præ cæteris assecutus est, vt Societatem sibi deligeret.

COLLEGIVM VILNENSE.

DVO supremum obiêre diem, vterque rei administer domesticæ. Alter Felix *Bogdunoroich* ex maiori Polonia, vltra quadraginta progressus annos, è quibus decem & octo in Societate, tredecim in æditui officio exegit, non sine magna tum Nostrorum, tum externorum approbatione; laboris patiens, & assiduo orationis studio conspicuus. Alter Stanislaus Libera in minore Polonia natus, quinquagenarius penè, viginti quatuor annos Religioni ductos in Sutrina contriuit, & quamquam æuo fractior, in seipsum tamen seuerior, & corporis maceratione omnibus spectabilis. Eorum iacturam Dominus aliunde, ac præsertim è familia Mariana in ordinem nostrum submissis, cumulatè sarciuit. Ante octennium migrauit è vita Pater Antonius Arias natione Hispanus, vir præter singularem eruditionem sui despicientia excellens, alienæ salutis studiosissimus, denique virtuti per omnia deditissimus; hunc cum viuum omnes mirificè obseruarêt, ac sereniſſimus in primis Rex Polonus, Stephanus, *cui* & à concionibus fuit, nunc etiam mortuum *colunt*. Certè ipsius explorata sanctitas ita multis in animo hæret, vt Illustriss. Princeps Nicolaus Christophorus R. Aduc. Collegij Nieiuiensis fundator, à R. P. Generali contenderit, liceret sibi, ara loco peculiari D. Iacobo erecta sub eadem ossa illius recondere: quod tamen cum vel

Digitized by Google

vel ob insolentiam rei, vel molestiæ causa fuisset ei negatum, è communi sepulchro in Sacellum Parthenicum, cui etiam pius Pater sedulam olim operam locarat, transferri, & paulò honorificentiùs tumulari curauit.

IN proximorum accuranda salute Societatis munera præstita, laboratumque est in scholis, templo publico, foro, carcere, & aliquis in singulis, vniuscuiusque laborem fructus subsecutus. Verbum diuinum idiomate Polonico, Lituanico, Germanico prædicatum. Multis, vt vniuersę vitę maculas confessionis lauacro eluerent persuasum. Pellices nonnullis ereptæ. Veneficarum decem pactum cum dæmone rescissum. Coniuges solo consensu, matrimonijque lege ligati. Spectata est & in alijs religiosis actibus ciuium pietas. Exemplo superioris anni instituta fuit à Nostris ad Ecclesiam Deiparæ Trocensem (distat hac ab vrbe quinque circiter leucis) religiosa antiquitate augustam, & verè miraculis non obscuram, solemnis supplicatio, qua salubritas aëri Pastor Lituario gregi, toti regno pax, & tranquillitas à Deo orabatur. Eam plurimi nobilioris etiam complexionis Nostros imitati, suis pedibus multi etiam nudis, via alioqui montuosa simul & arenosa sunt secuti: exhortationes post singulos lapides exhibitæ, quas perpetuò sacrorũ hymnorũ & psalmorũ excipiebat melodia. Adiuncti cóplures ordines seipsos flagris cædentiũ. Eodé ritu in vrbẽ reditum. Quæ quidem res ita multorum cœpit animos, vt tum illorum, tum aliorum, qui se ab illa pompa abfuisse vehementer dolebant, hortatu, & precibus insequenti mense simili cœrimonia fuerit repetenda. Hæreses quatuor & quinquaginta eiurarunt. Schismatici viginti quinque sese Romano Pontifici subiecerunt. Vir & puella Hebræi Christo nomina sua dederunt.

PRAEBITVM & corporibus auxilium: tribus continuis Autumnis frumentum angustius obuenerat,

Digitized by Google

sed maximè postremo, quem præterea nonnullorum pertinacior auidior ad rem prouisio difficiliorem reddiderat: & iam fames vicinam obtinebat, quam exasperabat hyems fæuissima, qualem pauci in his oris meminerant. Multi in vijs, in compitis, & vicinis insolito algore examinati obriguerunt. Horum plurimis in vnum Ptochotrophium aliquot domicilijs dispertitum coactis, industria Nostrorum, & liberalitate incolarum ita prouisum, vt & frigus fomentis, & fames alimentis à corporibus depelleretur. Quanquam nongentis ferè, quòd extrema iam inedia confecti penitùs, eò confugissent, frustra remedia adhibita. Et quamuis frequentes morerentur, multò tamen frequentiores aduentabant, vt multo tempore aliquot centena numerarentur, qui omnes vnius Nostrorum studio & in conquirendis eleemosynis solertia, non solùm sustentati, sed etiam sæpiùs lautiùs habiti: statis quippe temporibus inuitati cibum epulum præbuêre, edoctique sunt non modò pauperum mensis ministrare, sed etiam eorum pedes demissè abluere. In quo officio dum Noster, qui præerat ad edomandam sensuum voluptatem fæculenta & putrida aqua manus, & faciem tingere, aut potiùs fœdare cœpisset, certatim alij exemplum eius secuti, nil fluitante sanie absterriti haurire, & quasi nardo faciem delinire. Et quanquam pastus inopum magnam vim pecuniæ absumeret, continuata nihilominus est fabrica in vsum pauperum anno elapso inchoata, septemq; florenorũ millia in eum vsum à pijs collata, quo factum est, vt iam ædes Diui Stephani debitum ad fastigium fit deducta, multaq; materia nouo Xenodochio erigendo præparata.

IAM verò neque vrbani infirmi suis auxilijs sunt destituti: multis per Nostros solatia oblata, consilia suppeditata, salus recuperata: quod vno, altero q; exemplo illustrius euadet. Graui morbo quemdam afflictum conuenerat

Digitized by Google

uenerat Pater, ac eũ in in detestationis sceleꝝ, pœnitentiæque necessitate solerter laborasset, neque tamen animum quo cupiebat impelli, videret abiturus sacras vasculo conditas reliquias sub ægri puluinum, ac caput tacitus inseruit, pro quo insuper dum Deo supplicat, paulò post ad eundem euocatur, vt audiat confitentem rogatur, hic mentem meliorem recepit, vt plures etiam valetudinem ex attactu sacri repositorij receperunt, cùm etiam sola Euãgelij recitatione, imò sola S. Casimiri, qui est huius soli diuus indiges, & tutelaris, inuocatio à Nostris suggesta, in pleriſque eundem euentum habuit. Et hæc certis locis & personis peculiaria, illud quasi omnibus commune, quod ideo ad calcem reijci libuit. Colerant Vilnam, qui ganeę Caluiniſticæ popinam cæteris inhalant, & erant tunc tribunalitia subsellia nobilitate non Lituanica modò, sed Polonica etiam, & Ruthenica frequentissima: hi à quodam illustri viro non ita pridem ad Christi ouile reducto, in conuiuio priuata primùm quasi velitatione lacessiti, deinde ad publicam concertationem cum Catholicis Doctoribus sunt euocati. Hærere illi primùm aliud se acturos venisse, contentiones sibi perosas esse: sed cùm hinc verbis eximij viri, inde pudore premerentur egregij veteratores, ne fugere omnino viderentur, patronos seu præsides viros suæ sectæ principes nominant, locum ab Academia seiunctum deligunt, argumentum proponunt, modum præscribunt, denique tempus feriarum Pentecostes definiunt: vt dum eas leges quas Nostros certò repudiaturos non dubitarent præfigunt, negotium quidem reipsa effugerent, existimationem tamen suam etiam cum Nostrorum detrimento integram conseruarent: modificatis tamen aliqua ex parte Illustrium virorum opera conditionibus vnus Noster oppositus est omnibus pseudomistis. Ventum est ad pugnam, & pro viribus de Romani Pontificis

Digitized by Google

principatu, qui aduersarios acriùs remordet, vtriusque in conflictu nobilissimorum hominum sex horis certatum; defensa est strenuè Monarchæ visibilis in Ecclesia maiestas, auctoritate præsertim sacrarum litterarum, & spermologi ita intricati, vt iudicio prudentum, viam sese expediendi non inuenirent. Inuitabantur postridie, vt sua dogmata, qui oppugnauerant nostra, vicissim propugnarent, sed nimirum gallina cecinerat, res domesticæ, iter, moles negotiorum obtendebantur, plaustra impedimentorum obijciebantur. Confixit hic euentus sectatorum oculos, tamen (vt sunt indolis probè medicati) cùm ruborem egregiè dissimularent, non erubuerunt mendaciorum impudentia veritatem obscurare. Verùm diuino planè consilio factum est, vt dum vnus ex illa colluuie, nobilitate, & officio non infimus, honorario prandio à Catholico viro nobili prolixè exceptus, declamatores suos in illo congressu Iesuitis superiores euasisse asseueraret: sed rationes (ijs qui aderant facilè refellentibus) frigerent, maiora probabilitatis momenta quærens, seipsum diris deuouere, sibi hausto poculi quod manu tenebat, lucis, & vitæ vsuram indignis modis interdicere, si res aliter se haberet, videns & viuens interiret: iussus præterea Eucharistiæ Sacramentum, Missæ Sacrificium, Deiparam, aliosque cœlites impiè sacrilega lingua incessere. Verùm diuina prouidentia, quæ rebus humanis non indormit, præstò ad defensionem veritatis adfuit. Dum ingeminat, crastina luce non fruar, si victoria penes Catholicos stetit, repentè irrauescere, simul expalleſcere, sensibus destitui, anhelitu præfocari, ac tandem collabi. Assessores attoniti erigere primùm labentem, frigidum inclamare, confricare, quid haberet rogitare; at vbi exanimem prorsus esse manibus tractando deprehendunt, horrore perfusi, informe cadauer quantocyus ex oculis auferri præcipiunt. Illud seriò animo

repo

Digitized by Google

reponentes, & grauiter acclamantes, Veritatem nunquam impunè illudi, multò minùs oppugnari.

COLLEGIVM POLOCENSE.

SCHOLAE minùs licet sint frequentes, quàm pro huius amplitudine Palatinatus; constant nihilominus è nobilium, eorumque hæreticorum, aut schismaticorum liberis ex parte non contemnenda. Repertus est vnus, qui maturiore ætate hæreticus ad nos cùm venisset Catholicis aggregari voluerit, publiceque iam frequentet sacramenta in Deiparæ aggregatus Sodalitatem, nihil potentem patruum veritus, cuius impensis hîc apud nos victitat, ab eiusque dependet fortunis. Aggregati ad Catholicos è schismate plures decem, duo itidem ab hæreticis ad Ecclesiam transierunt. Rarum, atque hucvsque haud vsitatum Catholicis spectaculum diues & copiosum, quod misericordiæ Deus hîc exhibuit. Anabaptistæ cuiusdam nobilis, & locupletis viri, at obstinati peruicaciter filia, virgo matura, Baptismi gratia ad nos confugit. Matrem habebat linguæ pariter, & aurium destitutam vsu, cum ea tamen nutibus, & signis adeò dextrè rem confecit, vt minimè redderet repugnantem. Egit rem occultis cuniculis pædagogus filiorum eiusdem Anabaptistæ, adolescens Catholicus, remque Catholicorum non oscitanter inter perfidos agens. Hic ne quid perperam in re tanti momenti moliretur, accurrit ad Nostros semel, ac tertiò Polociam, aliud quid prætexens, ne rem indicio aliquo inimicissimo Catholicorum virginis intactæ parenti, propalam daret. Edocent Nostri; instruuntque de ne-

Digitized by Google

cessarijs iuuenem. Denique opere feruentem, iamque matura ad messem fruge denunciat pædagogus fixum & ratum virginis animum, matrem non modò reclamantem, at hilarem, adeoque in gratias Deo agendas effusam futuram spectatricem. Pulchrum commentum agit per filiam apud virum mater; liceat illo non inuito cum filia visere Polociam, mundi muliebris comparandæ gratia. Ille nil quod metueret subesse ratus, quin ipse quoq; aliud abiturus in prædium permittit quàm *libera*-liter. Veniũt mater, & filia Polociam, nec mora, *filia* virgo solemni, eoque publico initiatur vsu, spectat mater perfusa lachrymis, & ipsa prouè potuit per pœnitentiam peccatis expiatur. Turbauit vehementer patrem postmodum vulgatum pientissimum filiæ factum. Crudeles ille primùm spirare minas, ipsumque adortus Acheronta commouere: eò deinceps rem perduxit, vt irritis nefandis conatibus, ipse sibi de tam magnifico opere silendum in posterum statuerit. Tertia Quadragesimæ hebdomada, professo licet die, publicè hæc transacta sunt. A Estate autem ipsa eadem virgo cum parente sacramentorum causa rursum Polociam repetijt, nec quicquam *hactenus* de constantia imminuit.

VIR nobilis, & quondam militaris, tetris Caluinianę perfidiæ pedicis totos triginta annos illaqueatus, magna benignissimi Dei clementia sese tandem ijs exsoluit. Nepotes duos demortui filij pupillos in scholis nostris habebat pueros planè necdum maturos profectui, qui tamen semel atque iterum è scholis reuersi, quæ de Religione audiendo perceperunt apud senem efferunt, quin preces quoque adiungunt molliores, auumque suam ne negligeret salutem obtestantur. Cœpit ille sensim visere Ecclesiam nostram, & latenter interesse concionibus: abiecta deinde, quæ illum in obscuros propellebat angulos verecundia, publicè se Catholicis adiungit, optatamque post

Digitized by Google

post diuturnas tenebras, fidei lucem lætus, & totus gratulabundus aspexit. Duo alij ad hunc imitandum, non vulgaribus indicijs produnt se accinctos; ac vnus præcipuè, qui Caluiniana relicta synagoga assiduus est fermè in Ecclesia nostra, tam festis, quàm alijs temporibus. Fecit Deus vt superent equidem ingentes, quæ hic ipsis obijciuntur impedimentorum moles.

TOTA hic (si statum attendas ciuitatis, & circumcirca regionis) penes hæreticos, & schismaticos est potentia: hac illi in Catholicos numero & viribus longè inferiores, perquàm petulanter abutuntur; eáque deterrent permultos ratione, quominus Catholicis volentes, & probè rem intelligentes communicent. Luerunt quidem hoc anno insignes temeritatis & petulantiæ suæ pœnas, non sanguine tamen, & capitibus (quæ Catholicorum clementia est) sed carceribus plerique, ac fermè omnes mulcta pecuniaria, ac fortunis, ob grauem, & periculorum plenam seditionem commotam in Pentecostes ferijs. Ansam arripuerant ex allato Regiæ Maiestatis decreto, ne mercatoriæ tabernæ in Catholicorum paterent festis, atque adeò ne publica, eáque seruilia eisdem diebus exercerè tur opera; correcti Calendarij hostes acerrimi perquàm iniquo id accepere animo; & primùm quidem tergiuersari, mox aperta vi repugnare. Primus qui Regis, & Palatini promulgabat Nostris decretum, quo ciues tenebantur: Catholicus zelosus, vitæq; nobilis Vicepræter in apertissimum deuenit discrimen; eidem cum ipso subiectus erat aleæ vnus Consulum Catholicus. At in nostro templo quodam veluti in asylo, vitam tutati sunt: sacrum tum fortè summum inchoabatur, eoque vterque causa furentis plebis concursu defectens, versus diuinam pergebat ædem: plebs nihilominus furens euntes ad templum insequitur; eadem quæ initio exarserat rabie. Ast vbi ad portam ventum est

cœmiterij, veluti diuina quadam vi repressi vltrà progredi non attentarunt. Vociferari deinde cœptum est contra Nostros, sufflant furenti plebi perditi nonnulli homunciones: completur forum clamoribus: saxis rursus instructi turmatim passim volitant, qui cohiberet inuentus est nemo, qui incensorum inflammarent animos reperiebantur plurimi. At ne capillus quidem capitis cuiusquam Catholicorum contrà diuinum nutum defluxit.

AD oppidum quoddam remotius, (Lukomlum dicitur) primarijs nonnullis viris enixè flagitantibus pro Paschæ ferijs à media fermè Quadragesima Sacerdos noster profectus, messem habuit copiosiorem, quàm vt vnus ei, solusque posset sufficere. Permulti rudes instituti doctrina Christiana, nonnulli iam decrepiti tùm primum ad diuina admissi mysteria. Catholici, quod pridem iam idoneo destituti essent parocho, nulli ducebant sibi religionis schismaticis adhærere. Hi de periculo in catechesi sæpius edocti, propriæ quærendæ salutis occasionem non neglexerunt. Præter alios communiores, tres integræ familiæ non paucorum sane capitum numero ab illis deuijs in rectum deducti sunt iter. Duo viri nobiles Ecclesiæ redditi, alter omnes peruagatus sectas, cùm ad extremum ex Anabaptistica non parum degustasset, atq; attonito similis iam tandem hæsisset, continuis impulsus conscientiæ tormentis ad aliquot cum nostro Sacerdote priuata descendit colloquia, seseque pestiferis pestilentium errorum laqueis exuit feliciter. Alter assidua cum hæreticis consuetudine labefactatus, iamque vt caderet impulsus, atque pœnè euersus, Christo benignam porrigente dexteram erectus est. Quatuor maioris momenti schismati renunciarunt. In his erat præcipuè Nobilis virgo, nata & enutrita in schismate: post matris autem obitum, viduæ cuidam pari nobilitate conspicuæ, hæresi tamen admodum depravatæ à superstite parente, & fratri-

bus

bus commendata. Captabat prudenter, & cautè occasionem Nostros audiendi cùm esset opportunum, plerisque deinceps accuratè perceptis rem cum paucis propinquis optimis Catholicis communicat, statuisse se omnino in numerum Catholicorum referri. Atque hoc ipsum (inuita licet, & fremente illa vidua) generoso perfecit animo, eiusque spectata deinceps fuit constantia. Mohileui quoq; admodum frequenti, tota tamen schismatica in ciuitate, leucis à Polocensibus quadraginta, alius è Nostris Sacerdos per idem Paschæ tempus moratus, adiuuit permultos. Matrona etiam quædam è præcipuis magno viri Catholici gaudio hæreseos detestata errores Catholicam complexa est religionem.

COLLEGIVM RIGENSE, ET DOMVS PROBATIONIS ibidem.

DOMICILIVM tenuiorum adolescentum seminarij instar Liuonici futurum hoc anno institutum est. Triginta iam fermè in eo viuunt. In sustentandos illos quadringenti penè floreni per eleemosynam à diuersis distributi. Ac post Reuerendissimum VVenctensem in tam pio, Deoq; grato opere Illust. D. Cãcell. excelluit, inter primos meritò censendus est, centum quot annis florenos, quo ad ipsi vitam Deus prorogarit, à se illum in vsum numerandos spopondit. Sodalitium præterea B. Dei Matris ipso eius in cælos Assumptæ die accepit optatum pari felicitate exordium. Cui nomina sua ijdem Regij Commissarij ante alios omnes dedêre. In ornamenta sacelli futuri ijdem per-

Digitized by Google

liberales extitêre. Nec contentus Illustrissimus Cancellarius primo illo in aditu rem necessarijs promouere subsidijs, certam præterea pecuniæ summam, quoad ipse viuet, in eosdē annuatim dicauit vsus. Protectoris onus Reuerendissimus VVenctensis nō detrectauit, dato antiquo aureo numismate, valore decem ducatorum, in quo perelegans Deiparæ expressa imago visebatur. Perdifficilis porrò huius ipsius Ciuitatis ratio, vel ex eo facilè intelligitur, quòd tota Lutherana lue infecta, atque hactenus à ministris dementata, & semper nobis maximè aduersa fuit. Quamuis hoc tempore paulatim hinc indē, exemplis varijs, & occasionibus mitescere videatur. Nihil non tentatur à Nostris, at non magno semper profectu. Nouam tamen quamdam spem ex ijs quæ sequuntur offert nobis Clementissimi Dei Bonitas.

REPERTVS in primis vnus est è ciuibus, Nostri vt iam præsefert studiosior, quàm hactenus forte in hac Ciuitate quisquam potuerit inueniri. Ac nouus ille quidem est, ante annum quippe è Germania huc à Senatu accersitus, auctoritatem nihilominus ille conciliat apud omnes tùm eruditionis fama, ipsiusque Iuris vtriusque doctoratus prærogatiua, & verò etiam professor olim fuit VVitembergensis, tùm Sindici munus in ciuitatibus Germanicis haud ignobile diu sustinuit, quem ille Magistratum breui hic est assecuturus. Affirmauit se optare nobiscum esse quotidie. At cùm id ob Senatus, & ciuium metum publicè dissimulet, sub nocte nos aliquoties adijt, ad cœnā in refectorio adhibitus ordinem, ac modestiam fratrum admirās, hæc aiebat: Est verè vita Philosophica: libros Catholicos auidè iam, ac diligenter peruolutat, capitur maximè controuersijs Bellarmini, nec minus delectant illum annales Baronij. Perlucundam sibi cum Patribus ait esse conuersionem, atque ad multa discenda perutilem, nilque se tale ex suorum conuictu, vsuque ministrorum

Digitized by Google

nistrorum familiari percipere. Sperat vbi in eam incubuerit partem, quòd benigniore simus vsuri Ciuitate, & primarijs quibusque, ac senatu ipso. Efficiam enim, inquit, vt Numine propitio vos, vestramque cognoscant doctrinâ. Agit interea benignissimus Deus in nõ paucorum animis partes suas, offertque salutis viam admodum expeditam. Quo in genere fuit hæretica quędam mulier morbo graui implicita, quæ vt vouit se fore Catholicam cum valetudine recepit simul fidei lumen. Adolescens præterea quidam annos, vt putatur, natus septemdecim vnâ cum lingua Polonica, cuius perdiscendæ causa missus à suis illuc fuerat, Catholicam tenaciter imbibit Religionem, indignumque arbitratus eam dissimulatione tegere, in lucem protulit apud suos. Deflagrarunt odio parentes, & propinqui, ac defatigati in admouendis quibusuis ad expugnandum adolescentis animum machinis, vnâ cum fraudium architectis buccinatoribus, eum tandem sibi ipsi relinquendum decreuerunt, expertique propugnatoris insuperabilis cum constantia vires, ne velitando quidem iam lacessere audent: quin conuersis in amorem odijs magnitudinem admirantur animi, ac prædicant. Alius quoque isto iuuenis maturior, primaria & ipse quoque huius ex ciuitatis familia, hæreticus esse desijt, estque hinc, vt confiteretur securiùs, Derpatum directus.

QVAE de crebris, & plurimi fructus ad Lotauorum pagos missionibus iam adnotanda essent, quia longiorem postulant narrationem, peculiari descriptione erunt exponęda. Libet nunc alias Nostrorum in varia loca non infructuosas persequi excursiones. Perampla sanè in ijs fuisse collectã messem argumẽto sunt confessiones quas generales vocant, maximè circa sacratissimum Paschę tẽpus septingentorũ septuaginta sex: cõsuetarum enim iniri certus non potuit numerus. Hęretici, & schismatici ad tres, & quadraginta resipuêre. Admissi ad sacrum baptisma Turea,

ca, & Iudæus post sufficientem in rebus fidei institutionem, & constantiam vtriusque diuturnis experimentis probatam. Iam enim alibi à Nostris exerceri cœpti certis ex causis, cũ in Comitatu illustris & Magnifici Domini Cancellarij versarentur, hîc demùm in Liuonia voti facti sunt cõpotes. Baptizati sunt & alij cõplures, & matrimonio iuncti varijs in locis, in quibus nulli penitus reperiebantur Sacerdotes. Porrò Vendensis Nostrorum commoratio, & diuturnior, & primaria hoc anno fuit. *Is enim* locus ad constituendam in certo statu Liuoniæ Prouinciam à Regijs ante nominatis Commissarijs delectus, tres, & amplius menses confluentis frequentia Nobilitatis, ipsoq; Commissariorum copioso comitatu fuit percelebris. Nouum hîc quiddam, atque antea nunquam haud dubiè visum permulti è Catholica nobilitate sacrosancto Parasceues die ediderunt, cùm flagris in seipsos publicè in sacra æde desæuissẽt, lineis in eum vsum saccis liberalitate aliquorum coëmptis, qui deinde Collegio cesserunt. Duces, atq; antesignani fuêre iam dicti Senatores, valuitque hæc res ad exemplum permultum. Verùm à Vendensibus Mitauiam (quæ Metropolis Curlandiæ) vocant nos aliqua omninò non prætereunda. Nostris, vt illuc penetrarent (inaccessam enim ad illum penè diem habebant Curlandiam totam peste Lutherana penitus corruptam) viam Illustrissima Ducis Curlandiæ filia, olim Alberti Radiuilli, principis Lituaniæ Marsalci relicta vidua, & ipsa ad Catholicos Nostrorum opera ante plures annos adiuncta, nata alioquin, & educata in hæresi. Vidua igitur apud viduam parentem in Curlandia agẽs, Catholicę primum Religionis exercitia Sacellano secum adducto, pro se, suoque gynæcæo, ac reliqua famulorum turba, vt permitteretur, obtinuit. Nostros deinde eadem euocauit nõ rarò, vt hac opportunitate vsi cum fratribus

eius

Digitized by Google

eius Ducibus, quos habet duos, agere de religione posset: Neque omninò irriti, tali via suscepti conatus mansere. Minor enim natu frater præclaris iuuenis dotibus, multa Nostris amoris, ac beneuolentiæ signa exhibuit. Catholicum quemdam librum grato ac lubenti accepit animo, oblatum à Sacerdote nostro. Nostrorum denique ad vsum preces iam efflagitat, alijs præterea nonnullis indicijs sperare nos facit futurum aliquando, vt sit Catholicus.

PRO ferijs publicè Sanctissimæ Eucharistiæ veneration instituris, placuit iuniori Ducissæ Rigam visere, vt solemnem, tùm circa templum nostrum ex more Catholicorum haberi consuetam processionem, sua ipsa quoque exornaret præsentia. Mouit rei nouitas vniuersæ ad spectandum effusæ ciuitati admirationem. Ministris tanti facinoris indignitas, & certum plebeculæ ab ipsis dementatæ (vt ipsi quidem interpretabantur) offendiculum, atram conciuit bilem. Discebant enim à suis bis in die, ab illa debitam Christo venerationem in diuino illo epulo præsenti, feruenti prece, humilique habere inclinatione. Matrem igitur furibundi interpellant, reuocarent quamprimùm filiam, permoueri eius exemplo populum, ac ipsa dignitate personæ valere illum tali exemplo ad suadendum non mediocriter. Fecit parens quod volebant: quin iisdem haud dubiè, & alijs auctoribus periculum in euertenda filiæ constantia facere non addubitauit. Mobilem igitur, ac vulgatæ apud suos gloriæ Archiministrum lingua promptum, à soliditate doctrinæ alienissimum, suasu suorum statuit committere cum quopiam è Nostris Riga euocato. Paret noster euocanti. Venit Mitauiam pridiè ante conictum certamini diem, terque quaque cum Archiministro conflictu victor euadit. Nihil non pollicebatur sibi de se Trasonicus ille Lutheri miles, aliquot sui similibus stipatus Prædicantibus, vniuersa-

que

Digitized by Google

que circumfusus multitudine in perampla ei congressioni destinata cœnatione. Manu primùm Græca, Latina, Germanicáque biblia pulsitans, hæc, aiebat, iudices litem inter nos dirimunt. Atque ea cum primis re suam per se deterrimam magis ipse vertit causam, cùm ipsi us diffisus æquitatis, conuitijs primam instruxit aciem. Ego, inquit, palam omnibus sum facturus Iesuitas hæresiarchas esse, falsos prophetas, Verbi Dei corruptores, seductores populi, doctrina & vitæ ratione corruptissimos esse. Huic syllogismo non aliud primò responsum est, quàm quod in simili causa, mitis, & humilis IESVS, Iudæis respondit: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem. Verùm vt auditoribus satisfieret, quod ad Hæresiarchas attinebat, vbi id à se, suisque sufficienter Pater remouit: duodecim deinceps Lutheranicis recensitis articulis clarè docuit Lutherum, eiúsque sectatores nulla cuiusquam illorũ iniuria, nulloque conuitio, & contumelia aptissimè Nouatores, & hæreseon dici fabricatores. Difficile erat nó agnoscere Lutherica, multo difficilius ea, vel à nouitate, vel à corruptela vindicare. Excussis primò in conflictu armis, Archiministri sex horarum spatio, sæpius vt canes assolent cùm morsu nocere nequeunt, in latratus importunos effusus, obstupefacto similis, iam hæc, iam illa è trivijs conquisita in Iesuitas effundebat: neque verò septem sequentis diei horis, & continuis octo tertij, aliud operæ precium fuit. Ad extremum cùm nil ex Arnoldi Philippica in nostrũ institutum furibundus non cõcieciſſet, finem denique imponi concertationi enixè à Ducissa seniore flagitauit. Enimverò malè habebat Veteratorem callidissimum rem adeò benè, atque euidenter in propugnando Catholico dogmate à nostro, ad auditorum captum sæpius in luce constitutam. Metuebat omnino ne quæ animorum consequeretur mutatio. Quod & Ducissa hæretica cùm non minus timendum iam aduerteret, haud grauatè

Digitized by Google

uatè annuit pugnam detrectanti, iamque tot lapsibus ad erigendum difficillimis, planéque desperatis, publicè dejecto, ac prostrato. Non prætermisit filia Catholica apud matrem obstinatam in eâ curam insistere, fineret vel vnicam congressionem adhuc suscipi circa translationem bibliorum, qua de re peculiariter se vtrumq; auditurâ promiserat: & promissum hoc vel mille talerorũ iactura se redempturam potiùs respondit illa, quàm passuram, vt fides sua, quam non nisi debilitatam agebat per disputatores in apertius discrimen adduceretur. Sensit hoc idem absens licet, Rigensis Proconsul, testatusque est se nihil non moturum fuisse ad eam impediendam disputationem; quod ministrum quidem virum doctum, at non tamen egregium nouisset disputatorem. Vtinam, aiebat, altervtrius exaruissent pedes, quum descensum esset in arenam. Stomachati sunt è Mitauiensibus ciuibus permulti, Ministrum nil egisse publicè fatebantur, non defuturos vel è plebe, qui respondissent acutiùs. Ducissa tam secundo læta successu constanter, palamque affirmauit se hæretica si in eum diem manssisset, Catholicam post eiusmodi concertationem auditam certò fuisse futuram. Omnem itaque spem parenti præcidit; alió à semel agnita veritate deuiandi. Pater vbi Rigam redijt summa totius gestæ rei capita, & argumenta in aduersarium contorta scripto accuratiore comprehensa ita plerisque communicauit, vt intra paucos dies iam ab his, iam ab illis è ciuibus, & Nobilitate auidè exscriberentur: sicque impudentiora temerarijs ora obstruerent, & leues vulgi siniſtros sparsos rumores dispellerẽt in auras.

ITVM deinceps est ad arcem Liuoniæ Nitauiam dictam, eius Præfecto quamuis Lutherano, suasu, & hortatu viri Catholici Sacerdotem quempiam è Nostris poscente ad filiam impuri possessione spiritus emancipandam. Conatus id fuerat ante per Lutheranicos impostores

Digitized by Google

res efficere: at cùm frustra ij, suamque in confusionem Catholicas adiurationes demurmurassent, acriorem insuper nefando dæmoni rabiem conciuerunt: qui dignam planè omni miseratione virginem non solùm agitatione corporis in saltibus, risibus, horrendis edendis vocibus propè enecabat, at cibi etiam, potionisque omni prorsus vsu, nonnunquam decem, aliquando totos quatuordecim dies ei violenter adempto maceratam; alijs præterea modis ad conscisendam sibi mortem impellebat. Porrò sensit illicò inita de Nostris accersendis consilia, tametsi ne verbum quidem vllum ea de re à quoquam virgo audisset: imo illi ipso tempore, quo Rigæ in Collegio R. P. Viceprouincialis tum forte præsens in deliberatione versabatur cum Patribus; quinam & quot essent mittendi, cumque destinati ad eam rem fuissent Patres duo, & vnus è fratribus, ipse, perinde ac præsens cerneret omnia, efferebat propalam Patres conferendis occupatos sententijs tres mittendos decreuisse. Venit, ait, inter hos ipse Rector, addebat, se illos nolle quod abraso essent vertice, & resecto mystace: Lutheranos potius quos & per nomina singulos recensuit, Prædicantes fuisse accersendos contendebat. Cumque duobus ab arce milliaribus noctis ingruentis tenebræ Nostros retinuissent, ne hoc quidem nequam illum fugiebat, quin imò quam propè essent expresso loci nomine euulgabat. Tandem secunda hora, à nocte media, cum ad obsessam peruenissent, omnes adhuc circa eam vigilantes reperierunt. Triduano statim præmisso ieiunio negotiũ Deo prosperante, ex voto demùm perfecerunt. Datis ad quemuis horrore concutiendum clamoribus in corpore quatuordecim dierũ exhausto inedia (in quo nihilominus vi magna continendo tres lassescebant viri) desæuiebat latrator ferocissimus, ijs potissimùm temporibus, quibus triduo dicto diuinum peragebatur mysterium; at multò magis

magis dum sacris perurgeretur comprecationibus, quæ horam circiter vnam durarunt. Edicere nomen iussus, Melana, inquit, vultu ad arrogantiam efformato, sum: tum latinè subiunxit, Vana gloria. Non minus religione, quàm horrore spectatores completi Lutherani omnes (vnico virginis dempto patruo qui Catholicus est) non solùm reuerenter, quos vocant exorcismos, audiuêre, sed etiam quas cachinnis præ more suo vbique assolent excipere cœrimonias ipsas, tùm religiosiùs obseruarunt, tùm dæmone obsessam importuniùs versante adiuuerunt, vt in stola ad energumenæ collum applicanda, ita in signo crucis ad pectus eiusdem efformando, aqua lustrali subministranda, neque vnquam genibus nixum conspexerunt Sacerdotem, quin idem sibi faciendum putarent, languido deinde ac fluenti capite, ac toto penè corpore sub adiurationum exitum in tenentium brachia demisso tremendum, ac salutare IESV nomen vltrò ingeminans. O quanto, inquit, nunc leuata sum pondere: & ad Sacerdotem conuersa, Tibi, inquit, quòd huc non grauatè iter susceperis ago gratias. Admonita, vt signum Crucis viuificæ corpori imprimeret, annuit perlibenter, sicque exosam olim quamuis corporis refectionem, sensim admittere, & viribus, atque incolumitati cœpta est restitui. Placatus nobis est hoc anno acerbus ex antiquo Nostrorum hostis duabus proximis præfectus arcibus. Atque Caluinus licet illi num perplaceat, Nostros tamen maiori quàm antea significatione amoris excipit, filiosque aliunde retractos nobis commisit informandos.

COLLEGIVM DERPATENSE.

MEDITATIONES Societatis curandis animorum affectionibus admodum salutares popoſcêre à Noſtris vnus Parœcię cuidā prę-fectus: alter eidem muneri dedit ſe volens ſa-cris initiandus: adhæc Illuſt. cuiuſdam viri medicus. Vni-uerſæ vitæ, aut permultorum certè annorum noxas qua-dringenti vt minimum debita exomologeſi diluerūt. Qui Lutherum ſecuti exciderant à fide in caſtra Eccleſiæ re-tulêre ſeſe octo & viginti. Schiſma vnione cum Eccleſia Moſchi decem circiter commutauêre. In matrimonijs aut vagi, aut dubij, certis conſtricti legibus totidem paria compleuerunt. Diuinis in ſacra Collegij ædę refecti e-pulis ad quatuor millia ducenti ſexaginta ſeptem. Foris ad eandem adhibiti cæleſtem mēſam nongenti octogin-ta ſex. Trecenti ſpirituali renati lauacro. Octo, & vigin-ti, ea quæ ad ſolemnem eiuſdem myſterij ritum ſpectant apud Noſtros obtinuerunt. Ciuium erga nos ſtudia plura, & patentiora extitêre, quàm vel potuiſſemus ab ipſis Lu-theri ſpiritu antiquitùs imbutis ſperare, Pſeudomyſtis præſertim nunquam non ſufflātibus ad odium, inuidiam-que nobis conflandam. Quamobrem mutationem Colle-gij Præſidum anno ineunte Senatus, vt accepit futuram, honoratiores ad Collegium legauit è ſuis, qui abeunti è Magiſtratu Rectori valefacerent, iuxta & ineunti gratu-larentur. Collegium inſtauratis ruinoſis ædificijs hoc de-mùm annō abſolutiorem, & ad elegantiam aſpectabilio-rem ſortitum eſt formam. Templo Deiparæ Virginis quod Noſtris hîc eſt peramplum attributum, ſonantior, maior

Digitized by Google

maiorque acceſſit campana, contributa fermè à pijs viris perliberaliter pecunia ſeptingentorum, & amplius florenorum. Perfectum etiam eſt Noſtrorum diligenti opera, vt Eccleſia D. Laurentij titulo, olim ferè ſemiruta, ad prædium Seminario adſcripta, priſtinam cum elegantia firmitatem habeat iam redditam. Pergratum eſt id omnibus illac vltrò, citroq; iter agẽtibus. Eſt enim ad publicã, & frequentem viam, ac inter cæteros hæreticorum etiam auditæ ſunt approbationes; poſtliminiò tandem eiuſmodi erigendis parietibus antiquam illam ſenſim reſtitui ſpeciem Liuoniæ, & probatiſſimam pietatem. Ad publicam ſolemnemque Diuiniſſimæ Euchariſtiæ pompam, per forum plateaſque vrbis fieri ex ſacra Collegij æde ſolitam ampliſſimus, ac digniſſimus Antiſtes permultum hoc anno contulit. Permoti namque ipſius auctoritate ciues, quamquam hæretici deeſſe ipſi quoq; in auguſtiore promouendo apparatu noluerunt. Propylæa primùm, foreſq; ipſas, & compita frondium virore (quod ne Archiminiſter quidem prætermiſit) paſſim conueſtire, longos præſidiariorum militum ſclopetis inſtructos ordines feſtiuiſſimè ducere, grandiorumque diſploſione machinarum procurare ſunt viſi. Talis autem, ac tantus fuit reliquus apparatus, eaque populi vndique ſe effundentis multitudo, vt à Catholica reducta religione nihil ſimile Derpatum conſpexerit.

Digitized by Google

COLLEGIVM NIESVVISIENSE.

EA parte anni, qua morbi quidam multo licet in hac ciuitate quàm alibi mitiores, affligebant plerosque (quod quidem vere ineunte illapsum in multam perdurauit æstatem) perpetuo laboratum est à Nostris circa ægros, afferendis primùm animorum subsidijs, siue ad æquanimiter ferendam calamitatem opportunis exhortationibus, siue ad emigrandum è mortalitate ad immortalem vitã animis in fiduciam post cætera remedia erigendis, tùm suppeditandis etiam vitæ necessarijs. Fame etenim etiam hic est laboratum, perinde ac circum Vilnam, & in alijs magni Ducatus Lituaniæ partibus. Et quoniam præ alijs liberalitas hæc huius Collegij colonis debebatur, cunctas penè hoc anno collectas ad prædia fruges in ipsos oportebat dispertiri. Quatuor hæretica infecti labe *curati*, quintus eiusdem farinæ, in fingenda religione certi emolumenti gratia, vt sibi videbatur, peracutus, conscientiam tãti fiagitij testem, ac permolestam accusatricem diutiùs sustinere cùm non valuisset, fidem suam, quam exteriori dumtaxat effinxerat colore: re ipsa omni remoto *fuco* constabiliuit apud nos.

ITVM est ad remotiora Russiæ loca, bis Nostris *eò* accersitis: in alia viciniora crebriùs, ibi bene à Nostris collocatam operã testata est in hominibus illis maior rerum diuinarum notitia. Restincta odia pernicioſa, quibus non contemnenda familia contra alteram potentem exarserat.

IVVENTVS quæ scholas nostras frequentat, vt in præ

præsens curæ nostræ respondet præclarè, ita in futurum optima quęque pollicetur: cùm nonnulli ad hæreticorum scholas abstrahendi, parentum arbitrium constatia recusandi vicissent, quod idem post scholas in aulis Catholicorum potiùs, quàm hæreticorum contra iudicium parétum amplectendis, imitati sunt. Excelluêre inter cæteros ij qui tutelæ B. V. se addixerunt. Id præter cætera aliàs facta, publicæ in exitu Quadragesimæ flagellationes (quas à se hîc inchoatas continua singulorum annorum vsurpatione sibi vendicarunt) patefecêre. Non pauci ab illorum exemplo pertracti ad imitádum fuêre. Vltra verò cætera in hoc genere facta, prouexit eos feruor anno præsẽti, in alijs duobus templis longo interuallo à nostro dissitis per modum supplicationis adeundis, toto hoc itinere in dorsa sua desęuientium, cantu ad id accómodato, agmina prosequente. Hisce omnibus illud coronidis loco apponi potest; nec ab externarum rerum accessione nos destitutos fuisse. Accessit enim templi nostri supellectili opus, & pretio, & arte spectandum; SS. Sacramento supplicationum sollennium tempore, continendo, ac publicè in altari exponendo seruiturum, quinquaginta marcarum pondere constans, hoc est, quingentis, & amplius florenis æstimatum.

RELIQVA præterea Collegio pars hoc anno in ædificijs addita, quæ hactenus desiderabatur è quatuor. Hæc amplas scholas infra continet, cum area in longum ante eas excurrente, supra tredecim pro Nostris cubicula exstructa.

Digitized by Google

RESIDENTIA VVARSAVIENSIS.

RERPAVCI quidé in hac vinea Domini anno ſuperiore coli à Noſtris cępta, *fuêre operarij*:copioſos tamen Deo ſit laus *fructus cõportarunt*. Tãto numero concurrũt ad nos de peccatis confitentes ex alijs etiam præter Ciuitatem locis, vt omnibus ſatisfieri nequaquam potuerit. Vnus noſter Sacerdos ter mille, & ducentos ſibi confeſſos numerauit. Non mediocri ex parte Clerus è vicinis etiam oppidis(is autem potiſſimùm qui ad Collegiatam Eccleſiam Deo deſeruit) perpolitus incumbente in eam rem Epiſcopi Vicario, qui eos Sacerdotes, quos minus officij animaduertit eſſe memores, ad nos dirigit, eoſque nobis committit informandos. Ex his quatuor ſupra decem totius vitæ peccatorum confeſſione perpurgati. Hæretici octo, ſchiſmatici duo Eccleſiæ reconciliati. Præter *hos* adoleſcens quidam natus parentibus anabaptiſtis poſt inſtructionem in ijs quæ ad fidem pertinent, ſacro fonte ablutus. Duæ fœminæ pudicitiæ proſtitutæ ad ſaniorem mentem reductæ.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA TOLETANA.

SVNT in hac Prouincia per domicilia quindecim, eorũq; villas quingenti quinquaginta. In professa domo Toletana quadraginta sex, media pars Sacerdotum, qui domesticis occupantur totidem. In Complutensi nonaginta vnus, Sacerdotes viginti septẽ, Scholasticæ Theologiæ doctores duo, Positiuæ (quam vocant) vnus, Moralis item vnus, Scholastici viginti tres, quindecim Theologiæ auditores, Philosophiæ octo, cæteri domesticis inseruiunt. In Conchensi 11. Sacerdotes 5. Coadiutores 6. ex his 2. rudimenta legendi scribendiq́ue tradunt. In Placentino viginti quatuor, decem Sacerdotes, Theologiæ moralis vnus Doctor: Grammaticæ tres: domestica tractant reliqui. In Musuano tres, & sexaginta, viginti sex Sacerdotes, duo Theologiã Scholasticam docent, vnus Moralem, vnus & alter Philosophiam, tres Latinas litterãs: Scholastici septẽdecim: reliqui Adiutores. In Occanensi decem & nouem, vndecim Sacerdotes, vnus conscientiæ casus docet, tres Grammaticam, cæteri autem domestica curant. In Belmontino duo & viginti, nouem Sacerdotes, quatuor iuuentutem

Digitized by Google

instituunt humanioribus litteris, domus curam gerunt reliqui. In Matritano octoginta, septem & triginta Sacerdotes, quinque humanitatis scholas moderãtur: domesticis nauant cæteri. Larauacæ septemdecim, vnus Grammatica instituit iuuentutem, Coadiutores sunt reliqui. In Securitano quatuordecim, septem Sacerdotes, vnus Latinitatem docet, reliqui seruiunt domesticis, vnus legendi, scribendique artem docet. In Talabrucensi decem, quinque Sacerdotes, duo Grammaticæ rudimẽta docent, cæteri curant domestica. In Oropesano triginta octo, Sacerdotes tredecim, artium liberalium Doctores tres, Moralis Theologiæ vnus, Grammaticæ Latinæ, & Græcæ quatuor, Philosophiæ auditores viginti quinque, cæteri Coadiutores. In Optensi viginti octo, nouem Sacerdotes, humaniores litteras docẽt tres, vnus Seminarium moderatur, cuius auditores fratres octo, reliqui administri. In Toletano quinque, tres Sacerdotes, duo præceptores Grammaticæ. In domo Probationis octoginta, Sacerdotes septem: secundæ, & tertiæ Probationis quinquaginta duo: in domesticis iuuant alij. E vita migrarunt viginti tres, nouẽ Sacerdotes, Scholastici quatuor, Coadiutores decem. Admissi sunt in Societatem quadraginta duo: Scholastici viginti quinque, Coadiutores decem.

DOMVS PROFESSA TOLETANA.

OMNES in hac vrbe Nostrorum conciones satis gratæ toti ciuitati fuerunt: gratissimæ verò (si vllæ multis ante annis) quæ ab vno habitę sunt, quem frequentissimè, cùm populares, cum nobiles, vt superiore anno scripsimus, & pari, nisi

nisi maiore voluptate, audiunt. Expetũtur Nostri à multis disciplinæ, consilij, solatij, & spiritualis auxilij causa; quorum omnium voluntati sit satis. Ad vinctos quorum hic magnus est numerus, itum frequentissimè, nec rariùs, nec minore fructu ad Nosodochia, ad quæ pro vrbis magnitudine ægrotorum propè infinita confluit multitudo, omni morborum genere laborans. Inter nonnullos dissuta gratia reconciliata est, duorum maximè quorum alter alteri colaphum impegerat. Illud quasi Sodalitium bonorum quos in pauperibus via publica intempesta nocte iacentibus, fœminisque eo tempore turpiter per vrbem grassantibus colligendis, corrigendisque occupari aliàs scripsimus, quod Nostrorum hortatu cœpit, in eodem studio ardentiùs etiam versatum est. Perinde ac illud, quod pro subleuandis victu, vestituque vinctis Patris Thomæ Ferdinandez olim hic concionatoris satis boni concionibus, & Patris Francisci Leonis suasionibus institutum est, hodieque nostræ Societatis exhortationibus perseuerat. Eum tractum (quos montes Toletanos appellant) duo è Nostris pedites, rogataque stipe viuentes, multa ruditate, & ignorantia liberarunt, & audiendis confessionibus plurimùm adiuuerunt.

COMPLVTENSE COLLEGIVM.

NT à materiali exædificatione ordiar: pius, & Societati plurimùm affectus Sacerdos Bartholomæus Suilia veteri suæ fabricæ in IESV-montana villa nouam addere instituit, in vetustissima, & penè collapsa priori Domus parte: circũ vetus

vetus impluuium diruta. Quod vt res cœpta erat, atria vndique ambiunt fornicibus elaborato lapide constructis: quæ ex eadem materia, & artificio columnis nituntur firmissimis: à tergo stant cubicula satis ad Nostrorum habitationem accommodata. Ad vestibulum domus processum aliud altiore fornice, crassioribusque columnis eodem opere exædificatur, cui sese aperit ingens, & aspectu gratissimus campus.

FELICIBVS auspicijs annus est inchoatus, fortunato Illustrissimi Domini Garsiæ Ioassæ Toletani Archiepiscopi die Circumcisionis Domini ad nos aduentu, & quoniam creatus Archiepiscopus tum primùm nos visit, non vulgari apparatu exceptus est domo, ac templo emblematis, & carminibus satis arridentibus ornato, vbi sacrum solemne, cui accessit concio, confecit, puluinaria dominæ Catherinæ Mendozæ fundatricis adijt, eidemque magnificis verbis gratias egit, quòd prosuis partibus ad tanti Collegij cõstructionem animum adiecisset, & ad perficiendum magna de Societate existimatione sua explicata inflammauit. Prandium deinde sequutum est, positiuę Theologię lectione suauissimè conditum, vt multis, & grauissimis verbis significauit, tamque se Nostrorum doctrinæ cupidum ostendit, vt primis assertionibus Theologicis voluerit interesse: in quibus etiam perhumanè disputauit, multa cum respondentis laude. Cœpit deinde Nostrorum vti opera ad omne genus instituti nostri, in colligendis præsertim egentibus (erant autem permulti) quibus satis liberaliter subueniebat. Placuit tamen Diuinæ Maiestati multam tum Nostrorũ, tum totius diœcesis spem tanti Antistitis præmatura morte intercidere. Vita decessit in Nostrorum manibus, quorum consilio omnia sua pè admodum constituit. Tenebatur quidam ob homicidium in vinculis Prætoris vrbani, quem Scholastici magna vi, armisq;

con

Digitized by Google

confractis funibus,& catenis liberarunt. Rei auctoribus elapsis, innocentibus multis ob facinus comprehensis, magnoNostrorum labore, opportunis auxilijs, tum victu,tum libertate impetrata subuentum est.

FAMA liberalitatis Archiepiscopi diœcesim totam peruaserat,quæ magnam,vt fit, pauperum turbam euocauit,quorum vel pædore, vel contagijs ineunte anno malè se populus, tubere varijs corporis partibus enascente,habere cœpit:obscuris initijs in apertam pestem incidimus, ex qua quatuor ferè hominum millia sublata. Non potuit Societas iam ostentatæ occasioni non sese offerre: præsertim cùm soli Parochi tantæ multitudini ægrotorum subueniendo non essent. Principiò vocati accurrimus, deinde re augescente necesse fuit, vt vltrò succurreremus. Sex partitis vicis, & vicibus per domus singulas ægrotos perquirebamus: & quòd soli,& quòd tam diligenter in hoc negotio versaremur, mirificè oppidani factum commendabant: Erat enim miserrimus vrbis status: nam à viris coniuges, fratres à fratribus,à parentibus filij pestis metu destituebantur. Morbo in dies magis ingraue scente, æstu etiam ardente, cane omnes vexante, necesse fuit, quo melius subueniretur à Nostris, partim asino,partim equo vehi, erant namque sæpè ægri reuisendi, eundum ac redeundum, quòd interdum qui ratione carebant vespere,ad se manè redibant,ita vt possent confiteri. Quo factum est vt omnes sacramentis communiti discesserint.

FVIT illud Diuinæ prouidentiæ beneficium singulare, quòd cùm paulò antequam schoiæ intermissionis causa dimitterentur, malum ingraue sceret, nostriq́ue Magistri cum auditoribus nondum in villam IESV-montanam commigrassent: nihil tamen mali in eos irrepsit, quoad ipsis eò deductis flamma vehementissimè exardescens è Nostris vndecim corripuit: ex quibus

tres

Digitized by Google

tres tantùm conualuerunt: octo de medio sublati sunt, Sacerdotes duo, Coadiutores sex. In Sacerdotibus prior fuit Pater Alphonsus Gomez, qui dum Toleti degeret vicino oppido, eo genere morbi extincto Parocho, eius munus, si per obedientiam non stetisset, obiturum se præstitit. Patri verò Prouinciali consultius visum est, si quantum ab illo in alienis opere ponendum erat, hoc in Nostris adiuuandis poneretur: vbi ille tam se gessit strenuè, & ardenter, vt post multam impensam operam, diceret sibi magnam religionem fore, nec se Societatis pane vesci ausurum, nisi quantum posset in ea re contenderet. Quam contentionem spes est iam cœlesti munere compensatam. Post hunc secutus est Pater Iulianus Arce, charitatis feruore, & studio pietatis non inferior, qui cùm vixdum è quartana conualuisset, tanto ardore occasionem arripuit, vt primus se Superiori offerret. Dumque ipse vnum, aut alterum audiret, Socium quærendorum ægrotorum causá in viciniam dimittebat, quò omnibus subueniretur opportuniùs: tandem multo absoluto penso, domum rediens, veritus ne sibi labor adimeretur, Socio mandabat, ne quantum esset desudatum Superiori renunciaret. Tam hi, quàm fratres sex reliqui miserandam morbi pestilentis vim, & difficillimas curationes incredibili patientia vsque ad pijssimam mortem pertulerunt. In quibus curandis fratrum animus, diligentia, charitas enituit non obscuriùs. Nam cùm in tam pestifera contagione ægroti mente, & lecto sæpè decíderent, sæpè erant complexu restituendi; quod vt non sine magno periculo, ita non sine magno animo, diligentia, & charitate fieri poterat. Quamuis in hoc genere auxilij Societatis studium, quemadmodum diximus, excelluit: fuit nihilominus par in pauperum egestate subleuanda diligentia, partim Collegij bonis (quoad potuit) partim pecunia erogata, quæ pro ciuium pietate

Digitized by Google

tate non difficile colligebatur. Imò verò ita misereri hoc studio omnes didicerunt, vt à dominis Abbate Academiæ, Archiepiscopi Vicario, vrbisque Prætore, quibusdam etiam è Nostris accitis, & hortantibus singulis mensibus vicatim stipe collecta, quasi ærarium ad egenos subleuandos constructum sit. Ex quibus omnibus non obscurè intelligi potest, qualis sit Nostrorum status, si operarios spectes, quos reliqua pars Collegij suo est in genere satis imitata. Nam & litterarum, & spiritus studia desiderio responderunt : conciones perquàm gratæ, atque vtiles, è quibus fructus non vulgares collecti.

MATRITANVM COLLEGIVM.

VIGET in hac Regia curia, vt par est, Societatis institutum. Laboratur à Nostris omni in genere satis laudabiliter, in concionibus solitis in templis magno cum fructu, audiendis confessionibus hoc anno longè maiori frequentia, propter grassantem pestem : vbi Nostri mirificè suam operam impenderunt. Peccandi occasiones multæ sublatæ: aliena nonnulla, nec parui momenti dominis reddita. Vincti omni auxilio recreati : morte plectendi adiuti, aditæ puerorum scholæ. Philippus Rex Regni, ac paternæ pietatis hæres cum solito comitatu Circumcisionis Dominicæ festum in nostro templo celebrius reddidit, & cũ voluntatis erga nos eximia significatione. Subsidij & auxilij spiritualis causa ad nos sæpè venitur. Quidam eodem turpitudinis, quo erat incensus igne, fœminam pertraxit, quæ media nocte, & libidine miserè vita defuncta

Digitized by Google

functa est: hîc homo perturbari, pauere, contremiscere, quoquo modo egressum ad amicum contendit: cui in arctæ cuiusdam viæ aditu quidam sibi minimè notus occurrit, tanto tamque sulphureo ac tetro fœtore hominem afflixit, vt sese in medijs inferis cruciari putaret. Mentis impos ad amicum peruenit satis mirantem, re tamen tecta accubuit, quod reliquum fuit noctis huc atque illuc volutatur: sudat frigidus: surgit albente cœlo: Nostros adit, confitetur, castitatis votum emittit: eo emisso sibi est tandem restitutus.

ALTER vir nobilis Religionis voto se obstrinxerat iam tertio ab hinc anno, nec tamen soluebat. Egresso autem è ludo, vbi non exiguam pecuniam reliquerat, occurrit iuuenis amico nobili huic domo paterna sexaginta leucarum spatio disiuncto quàm simillimus, se vltrò, citroque salutant, simulque vsque ad B. Mariæ Dominicanorum cœnobium extra vrbem longo sermone gradiuntur: cumque deambulando defatigati tantisper sedissent, amicus inquit: Heus tu, quámnam aduersæ tuæ fortunæ præter violatam Deo fidem causam autumas? excidítne memoria nuncupatum Religionis votum, nec Deo solutum? quæ hæc malum mora est? vnius mulierculæ te dona irretitum tenebunt? nónne isthæc vana? nónne incertum vitæ tempus? si te omni vis molestia liberari, Confessarium pete, animum expia, in melius mores commutato: votum soluito: tunc omnia tibi secura & salua putato. Hic ille tota mente, atque artubus contremiscere, quòd illa sibi, ac Deo tantùm nota putaret, nec præterea cuipiam. Tandem domum reditur: amicus valedicto discessit, ea cõditione, vt post cœnam redeat. Cœnatus redijt: euocari amicum iubet, nusquam apparet: amici & parentes domi ex multis diebus fuisse negant: quinimò pridie litteras allatas, quibus scripserat se ex ea vrbe, vbi diutiùs fuerat, pestis metu, aliò migrasse. Hæ

se. Hærebat ille, tandem intelligit boni genij illa esse monita: octo deinde integros dies atra bili affectus insomnis ac pene ieiunus transegit: vsque dum re cum vno è Nostris communicata, expurgato animo, promissa soluturus discessit.

MVRCIANVM COLLEGIVM.

SPIRITVALIS Nostrorum fructus non minor solito: conciones crebriores, & gratiores quotidie in Cathedrali præsertim. Humaniores scholæ in Circumcisionis Dominicæ die gratum admodum; & ad festum accommodatum Dialogum exhibuerunt. Præcesserat pro studiorum restauratione Tragœdia, cui Catharina Martyr nomen, tam grata ac iucunda, vt pro multorum, quibus negari non potuit, votis bis acta sit. Dissidia sedata. Duplex Parthenium Annunciatæ Virginis Sodalium, Scholasticorum, & ciuium crescit mirum in modum, magno totius ciuitatis exemplo: nam præter cætera vinctis victu subueniunt. Eorum negotia citiùs absoluunt, lites componunt facilè. Nosodochia inuisunt, quæ omnia cæteros ad virtutem hortantur. Missiones breuiores nonnullæ susceptæ, in quibus Nostri more solito laborarunt. Quidam Societatis cupidus centum aureos nummos testamento nobis reliquit: Bibliothecam alter sexcentorum aureorum Collegio necessariam.

PLA

PLACENTINVM COLLEGIVM.

DVO è Noſtris miſſi ſunt in Corianæ Dioeceſis tractum Quadrageſimali tempore, alij item in oppida huic vrbi vicina: omnes magno cum fructu, & Societatis exiſtimatione non vulgari redierunt. In ſumma annonæ caritate, nec minore totius vrbis periculo, imminentisque peſtilentiæ metu tribus ferè millibus aureorum ex Illuſtriſſimi Epiſcopi, & Capituli ciuitatis liberalitate pauperibus ſubuentum, idque percommodè: à Noſtris enim diſtributio, iſtius Vrbis multo rogatu ſuſcepta, ea ratio eſt inita, vt pane cocto ante Collegij veſtibulum meridie prandium duobus ferè millibus quotidie breui ſupplicatione præmiſſa tribueretur. Concurrebat hoc tempore tota ciuitas, tùm multitudinis videndæ, tùm partiendi ordinis gratia. Sequebatur ex hoc officio magna Societatis tota Vrbe commendatio.

OROPESSANVM COLLEGIVM.

SCHOLASTICI Noſtri dominicis diebus vicina oppida Chriſtianæ doctrinæ Catechiſmo, alia non hinc longè diſſita duo ex Noſtris adierunt, vbi ſe tam vtiliter geſſerunt, vt magno cum illorum dolore diſceſſerint. In loca quæ

Digitized by Google

quædam hinc longiùs aliquanto pestis irrepserat, quo qui auxilijs, remedij & solatij causa adirét ex multis cupientibus duo tantummodò electi sunt, ijque plurimum tutò (Deo gratiæ) laborarunt, magnumque desiderium Societatis reliquerunt.

TALABVCENSE COLLEGIVM.

SERPENTE pestifera lue, cuiesque non mediocriter vexante, initio malo penè incognito, multi tùm religiosi, tùm seculares Sacerdotes sacramenta ægrotis ministrabant, tamen vbi pestis nota est, totum ferè onus in nos, & parochos non multos reiectum est. Nostrorú numerus, qui quaternarius fuit vno est, imminutus, ineunte peste sublato successit alter tanti animi Sacerdos, vt cum Oropessæ moraretur à Patre Rectore illius Collegij piè, enixeque contenderit, vt Nostri iuuandi gratia huc mitteretur. Nec solum Nostri vicatim ægrotos quærentes eorum animis medicabantur, sed ad victum, cultumque necessaria tribuebant ex largitione multorum, qui id per Nostros fieri ita enixè contendebant, vt negari non posset; ex quo tota ciuitas arctissimè est Societati copulata. Quod etiam significauit; nam cum domini Garsiæ Loaisæ obitu redditus ducentorum aureorum quos ille nobis assignarat, intercidissent, eandem pecuniam Senatus decreto nobis designauit, quoad alia via illa pecunia nobis accederet.

Digitized by Google

TOLETANVM, OCANIENSE, OPTENSE, ET CONCHENSE COLLEGIVM.

IN TOLETANO mille *aureorum capitale* annui census redemptum. Ocanienſi acceſſerunt ex piorum quorundam teſtamento, ac donatione nummi argentei ſeptingenti. Area exædificationi futuræ ſatis vtilis, in ſumma noſtra paupertate metu caritatis, ſi occaſio amitteretur, multò minoris empta. Item agellus, in quo ex vicinis fontibus mola frumentaria conſtructa, quæ ſumptus longè vberiore fructu compenſabit. Vt nihil ferè in hac diœceſi peſtis intactum reliquit, ita nobis obtigit laboris pars, in quo licet omnes Noſtri pro virili laborarint: tamen Pater Gomeſius Canillo ferè ſeptuagenarius, qui pro eximio charitatis ardore plurimos adiuuit, brevi *eodem* morbo ſublatus, tanti laboris mercedem eſt aſſecutus.

EX OPTENSI miſſi per vicina loca ſuam operam mirificè commendarunt. Reus quidam ad palum damnatus obdurherat ne confiteretur, accerſitur eò Noſter multas in horas ſudat, ad meliorem mentem reſtituit, reſtitutus magna cum populi admiratione *è vita* ſublatus. Reliquiæ Sanctorum nobis conceſſæ *totius* vrbis celebri pompa, quanta maxima fieri poteſt, in die hic feſtiuiſſimo, ex inſigni vrbis templo in noſtro collocandę, via publica deductæ ſunt, & commodo in loco ſitæ. Hanc pompam multa Noſtrorum poeſis exornauit.

VIL

Digitized by Google

VILLAREGIENSE, ET BELMONTANVM COLLEGIVM.

NIHIL noui præter iacta fundamenta postremæ partis quadratæ domus, qua absoluta nihil deerit perfectæ fabricæ.

SECVRITANVM COLLEGIVM.

OCCASIONES peccandi multis ademptæ: duo in proxima loca missi; admotis Sanctorum Reliquijs, cum Euangelij annunciatione, & recitatione nonnullos febri repentè liberarunt: composita dissidia inter proceres, ex quibus non leue periculum nascituru videbatur.

CARAVACENSE COLLEGIVM.

VIRGATAE pudicitiæ fœminæ nonnullæ Nostrorum concionibus ad honestæ vitæ rationem reuocatæ sunt. Perditæ vitæ iuuenis concionatorem domum vsque ad cubiculum comitatus, ab eo vehementer contendit suorum peccatorum confessionem ne grauaretur statim audire, quod

Digitized by Google

ille perhumanè fecit, cũ ingẽti dolore, magna lachrymarũ cõfitentis vi, eamq; cõsuetudine octauo quoq; die retinet, cũ corporis castigatione frequẽti, totãq; suã ponit operam in amicis ad idem studiũ perducendis. Fœmina existimatione, quę de cõcionatore nostro circumferebatur, audita, statuerat concionem adire: Interim templum quoddam intranti subitò sepulchrum aperiri visum est: ac iuxta alterum perquàm profundum igne plenum, circumque dæmones minitantes: auditaque vox, age age, perge perge ad Dei Ministrum, ad Dei Ministrum. Arripuit consilium mulier, domum venit: vocato concionatore rem quemadmodum gesta est narrat. Testabantur confitentis conscientia, lacrymæ, singultus, dolor, vera mulierem enarrasse. Quidam accepto vulnere semimortuus corruerat, quanta potuit celeritate noster Confessarius vocatus accurrit: tamen percussus sensum amiserat, nec pulsare arteriam medici capiunt; tempus erat, quo domi vltimum fiebat sacrum: mittitur qui celebranti quo statu esset homo renunciet, vt animæ salutem exoret, instat ille, quã velit Dominus, conditione proposita modò exorari se sinat. Mira res, ad se redit desperatus, conscientiam sæpè, ac sæpius purgat, sacramentis se communit, testamentum conficit, ad vigesimam quartam horam moritur. Medici miraculum clamant. Statuerat alius vxorem interimere subtus lectum gladium eo animo abdiderat, vnius è Nostris hortatu pernicioſum abiecit consilium. Quadragesimæ initio Nostrorum oratione effectum est, vt vinctis quotidiano cibo subueniretur.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA CASTELLANA.

ENVMERAT Prouincia noſtra quadringentos,& octoginta, ex quibus centum & octoginta ſunt Sacerdotes, reliqui fratres, partim litterarum ſtudioſi, partim Adiutores. Noſtri duodecim ad alias miſſi Prouincias: in Societatem admiſſi trig inta:mortui, quæ magna clades fuit, ſexaginta octo:mirabilibus operarijs exhauſta Prouincia, quæ non ſibi modò,ſed alijs etiam locuples eſſe conſueuerat.

DOMVS PROFESSA VALLISOLETANA.

DVO illa grauiſſima mala fames,& peſtis,quibus immortalis, ſempiternusque Deus hanc vrbem affici permiſit, Noſtrorum charitate tolerabilia fuerunt. Nam ad alterius leuationem huius Profeſſæ domus Patres eleemoſynam collegerunt,& cum Regij iudicij Præſes,& ciuitas, quæ men-

dicos distribuendos curauisset, nostra domus viginti suscepit alendos, suamque in eo fidem egregiè declarauit. Pestis altera plaga quinque integros menses vrbem afflixit, quo tempore Societatis ministeria nostri Sacerdotes obiêre, non secus, ac in alijs morbis, qui cõtagiosi non sunt, factitari solet à Nostris: nemoque se noster abscõdit, domo, vel nõ vocati egressi, sui copiã cũctis faciebt. Quatuor ex Societate, duo Patres, totidemque Fratres peste decesserũt, quibus adhibita domi remedia illa eadẽ charitate, & diligẽtia, qua illos curari solemne est, qui in morbum non pestiferum inciderunt. *Illud in* hac vrbe mirabile, & exempli singularis, quod Senatus vrbis ad contagionis remedium Nosodochia instituit, & cùm pestilentium numerus mille quadringentos complexisset, nec Ministri tales inuenirentur, quales necessitas tanta poscebat, ad Religiosorum familias confugere statuit, qui suam Christianis operam minimè denegarent. Itaque Monachi Prædicatores, Franciscani, Augustiniani, Trinitatis, D. Basilij, Minimorum, & Carmelitani, illi qui antiquam regulam renouantes austerè viuunt, partim ad sacramenta, partim ad corporis medicamenta præstanda in Valetudinarijs habitare cœperunt, nostraque Societas quatuor fratres huic operi libenter addixit, nostrumque hoc donum Prætor vrbis magni æstimauit. Erant enim optimi rerum similium administri, qui cùm suam operam cunctis valde probassent, tresque pestem passi essent, vnus tandem excessit è vita, reliqui valetudine recepta, in cœpto opere tamdiu perstiterunt, dum relata sanitas Rempublicam tranquillauit. Senatus vestibus, quas induerant, detractis, ne quando latens pestis erumperet, nouas nostris tribus dedit, eandemque liberalitatem, prouidamque cautionem erga Monachos illos seruauit, qui suis relictis cœnobijs pestilentia contactos deserere noluissent. Hoc ipso pestis tempore pro-

Digitized by Google

fessæ domus Patres locupletum quorundam domos obierunt, ad illa quærenda, quibus oblectãtur ægroti, cuiusmodi sunt illius crustula panis, cui sacari sapor, & oua miscentur, fru ſtaque conditæ cucurbitæ, & citriorum, quæ morbosis ita demùm placent, vt etiam salubria sint. Ipsa namque ciuitas, quæ gratis necessaria præbebat, de infectorum delicijs sollicita esse non poterat, & maiorum rerum contenta subsidijs delectamẽta malè habentium illis hominibus relinquebat, quos cæteroquin diuites, charitas ipsa, Nostrorumque admonitio permouisset, qui per Nostros hæc, quæ sunt voluptatis, ad Nosocomiorum ęgrotos libenter missitabant. Itaque medicamina, & quotidiana panis, & carnis alimenta cõmuni sumptu ciuitas, alleuamenta verò priuatorũ quorundam misẽricordia Nostris, & procurantibus, & portantibus erogabat.

COLLEGIVM VALLISOLETANVM.

NVMERATI quadraginta, Patres quatuordecim, fratres tam studiosi, quàm operosi sex & viginti: obiêre quinque, rerum Collegij conuersione mirabili: siquidem proximis viginti annis vnum duntaxat Ambrosiana hæc domus humauerat. Ex mortuis duo erant Sacerdotes, alter Ioãnes ille Suarel, cuius religiosa prudentia peculiarem quamdam poscit historiam: alter Doctor Gabriel à Campis domus Professæ hospes, sed ad Collegium deportatus quòd in eius villa ægrotare cœpisset: huius viri conciones quales fuissent auditorum frequentia mirabilis testabatur: hominis pia mors vitæ index futuræ.

Digitized by Google

Fratres nostros duos vsitata febris extinxit, tertium pestis deuorauit in contagionis Valetudinario versantem, quò eum obedientia miserat, cùm se ipse libenter obtulisset. Est quidem huius Collegij proprium munus litteratæ professendæ virtutis, cum fratribus Theologis, & Philosophis, quos alit & instruit; tamen si necessitas exigit, Nostri suam operam externis denegare non solent. Ergo primos illos duos, quos pestis infecit Vallisoletanos ciues à nostris Sacerdotibus in confessione auditos, & ad piè moriendum esse constat adiutos: cæteriqúe Patres pestilentia grassante periclitantibus adfuerunt. Est quoque fami vehementer angenti prouisum, externiqúe duodecim scholastici ad Collegij ianuam aliti publica distributione. Quam ad rem commodiùs & benigniùs peragendam Collegij Rector aureos plus trecentos à misericordibus corrogauit, alijq; Collegij Patres ad cõtagiosos in Nosocomio publico iacẽtes recreãdos, eleemosynas vndique collegerunt, Mænianum, vnde cœli suspectus est liber, nostris litterarum studiosis valde opportunũ Pater Rector Antonius Padilla curauit exstruẽdum, cuius Illustrissima parens ad hos sumptus, scutata mille & septingenta donauit.

DOMVM illam, quę Collegio contigua diu & multum à Nostris fuerat expetita, tandem aliquãdo vacuam fecit inquilinus: hæc vbi primùm nostra esse cœpit, omnino duorum, quos pestis attigerat, hospitium fuit, diuinitùs præparato perfugio, ne pestis ad cęteros permanaret. Coemptæ præterea sunt quinque domunculæ Collegio vicinæ ad hortum conserendum. Sacra suppellex renouari cõmodè poterit cuiusdam viri nobilis liberalitate, qui moriens testamento legauit aureos millenos annuæ pensionis stabiliendæ, quæ res templi perpetuò sustentet. Idem, totidem alios mille reliquit, vt Collegij bibliotheca refici possit, & libris augeri. Mortuus est

Hiero

Digitized by Google

Hieronymus Hennena genere, religioneque nobilis, & Societatis magnus fautor quippe, qui Collegio Vallisoletano aureos trecentos, annuos donauit.

COLLEGIVM ANGLICVM VALLISOLETI.

ALVIT hoc anno ex Societate decem, ex conuictoribus Anglicanis quadraginta quinque non semel quinquaginta. Ex Societatis Patribus vnus est mortuus, cuius & virtus & scientia suæ gentis hominibus peropportuna fuit: Erat enim ortus in Anglia, linguaq; communio Britannos aduenas mirabiliter oblectabat. Quidam ex his hospitibus magnę expectationis adolescens in nostram est Societatem admissus: 8. alumni Sacerdotio studijs absolutis consecrati, in Angliam pro Catholica fide viriliter concertaturi redierunt, è quibus duo in hæreticorum Anglorum manus Rupellę in Gallia deuenerunt, qui vbi suâ fidē constanter sunt professi, constricti, & ligati in nauim coguntur ascendere, quæ ad Angliam properabat. Vnus Vinsoniæ morti addictus præclarum suæ fidei, & constantiæ documentum testimonio publico dedit. Tertius ex illis octo, quos diximus, in ipso Anglicanæ insulæ portu comprehensus, nec multò post capitali sententia damnatus, vtrùm vitam finierit ignoramus, sæpè enim iudicia supplicium longo consequitur interuallo. Sanitatem iuuentutis Anglicæ in tam pestifera mortuorum strage vno dumtaxat attacto, & breui sanato, in maximis Dei præpotentis donis numeramus. Hoc ipso anno vir quidam nobilis ex vltima Anglia, terræ, marisq; immensis periculis superatis in Castellam peruenit, eo tantum consilio, vt suum primum filium præclaræ indolis puerum in hoc Seminario constitueret, quem vt alter Abrahamus Deo immor-

Digitized by Google

tali parat offerre, & emenſo ſtudiorum curriculo fidei Catholicæ ſacrificium, & hoſtiam immolare.

COLLEGIVM MEDINENSE.

DECVNT quadraginta, & ex Societatis, quã elegerunt, præſcripto vitam & mores inſtituunt. Philoſophiæ diſcipuli perſtrenuè ſe gerunt: nonnulli diuturnis morbis impediti, tamen quantum poſſunt, tantum animo contendunt, vt ſanos aſſequantur. Diſcipulorum latinitatis numerus, vt in morboſo anno minimè contemnendus, ex his octo varijs ſe religionibus deuouerunt. Proxima æſtas inuſitato in valetudine huic infeſta Collegio tàm multos afflixit, vt interdum ex Noſtris viginti quinque cubare cogerentur, quibus valentium charitas præſtò fuit: nihil enim neć ab ægris deſideratũ eſt, nec à ſanis prætermiſſum. Pater Prudentius à Monremaure, qui Collegium pro Rectore abſente, Romamque magnis de negotijs miſſo gubernabat, menſe Aprili deceſſit, non ſine mœrore Noſtrorum, quibus ſe Prudentius charitate probauerat ſapientiæ coniuncta. Præfuerat alijs prætereà Collegijs, & Theologiam cum laude docuerat. Exeunte Auguſto mortuus eſt frater Ludouicus Soranus, vnus ex Logicæ auditoribus, quem non modò Magiſter, & condiſcipuli, ſed domus etiam tota deſleuit, ob morum candorem, & raram naturæ lenitatem. Ad Septembris finem è vita migrauit Pater Chriſtophorus Larus confeſſionum perennis auditor, & virtutum maximarum laude præcellens. Non multò poſt Pater Ioannes Torres Abulenſis, Collegij incola, noſtriſque diuturnus hoſpes, longiſſimo conſumptus eſt morbo, cum

eum patientiæ mirabilis clara nostris exempla monstrasset. Archidiaconus Olmerensis Collegij & amicus, & vicinus diem clausit extremum, & Nostros post quædam legata distributa bonorum, quæ supereſſent scripsit hæredes: at Nostri pro maximis diuitijs voluntatem habuerunt. Non enim ditare nos poterat, qui pauper erat, & Christianæ Philosophiæ sectator. Cum de Medinensi quodam ciue claris ortu natalibus, ob grauia quædam supplicia sumendum esset capitale supplicium, quemdam ex Nostris, & ad peccatorum expiationem, & ad mortis ignominiosæ certamen fortiter subeundum reus ipse poposcit, cuius ope, & auxilio ita se immoriendo gessit, vt vitæ infamiam magna ex parte redemerit.

COLLEGIVM SALMANTICENSE.

IVVNT in hoc Collegio quinquaginta tres, Sacerdotes viginti, scholastici Theologi vndeviginti, cæteri sunt rerum domesticarum perennes administri. Obiere septem, quatuor erant Patres, studiosi fratres duo, adiutor vnus, in quorum locum admissi quindecim, quorum tredecim litteris dediti, duo ad res Collegij tractandas admissi. Concionator noster ingenti exceptus applausu, frequentiæ respondit vtilitas, quippe Nouitijs cœnobia completa. Explorum narratio, quæ in hoc primum cœpta Collegio in reliquis Hispaniæ domicilijs imitatione quadam præclara consedit, hoc anno tam prospero cursu nauigauit, vt Academia, ciuitas, cœnobia, collegia, plebs, & nobilitas Nostro adesset salubres Sanctorum historias memoranti.

FRVCTVS non impar tanto numero: nam morum

secuta

secuta correctio est in plurimis,& generalis exercita vitæ confessio, multi qui se ad varia cœnobia contulerunt. Beatissimæ Virginis Sodalitas ex ipso Salmanticensis Academiæ flore collecta feliciter persteterat. Patris Rectoris, qui dux, & auctor fuit, adhortationes à Congregatis libenter audiuntur, quibus & ipsi domestici libenter interfunt. Litaniæ Dei Matris à Templi maximi choro cantantur. Habet Sodalitas Parthenia consiliarios, tàm virtute, quàm rerum gerendarum prudentia conspicuos. Præfectus hoc ipso anno Segouiensis Cathedralis Ecclesiæ Archidiaconus, cuius & nobilitas suasit, & sapientia persuicit, vt proximo anno Academiæ Rector crearetur. Idem Congregationi imaginem Dei Matris dedit ornatam peregregiè, aliorumque eleemosynis Sodalium, quæ sunt necessaria comparantur, ipsumque Sodalitatis sacellum quotidie magis enitescit. Annonæ caritas, quæ Castellam vniuersam vehementer afflixit, Vrbis huius nobilem Senatum coëgit, nouum quoddam Xenodochium statuere, quod mendicis illicò redundauit. Nostri hoc diuersorium singulis noctibus inuisebant, vt ægrotantium confessiones audirent, quos sine confessione mors rapuisset, si opportunum hoc,& salutare quotidianæ nostrorum præsentiæ remedium defuisset. Huic extremæ necessitati dum Pater Ioannes Ximenius occurrit, nec se vllo vnquam tempore denegat, vltimo tentatus morbo naturæ concessit, & vrbem orbam reliquit, cuius pater erat amabilis. Hoc ipso anno Pater Martinus Arnoz, & frater Franciscus Henera intenti charitatis operibus ad superos euolarunt. Nam cum publicum de facinorosis quibusdam supplicium sumeretur, & in carcerem sæpe veniendum esset, & graui pædore obsita visenda latibula, quodque ex tormentis brachia hominibus putrescerent, intolerandus fœtor nostros duos infecit, & breui consumpsit. Non multò post Pater Franciscus Zamora è vi-

tâ

ta exijt, operarius nobilis, & pauperum tutor insignis.

COLLEGIVM PALENTINVM.

ANNO LABE fuerunt hoc anno 21. Sacerdotes nouem, Philosophiæ auditores fratres numero sex, reliqui muneribus addicti domesticis. Qui liberales artes addiscebant suum cursum externi domestici peregerunt: & in re litteraria, & in Religionis augmento plurimum profecêre qui nostri erant, alieniq́ue non pauci virtutis, & scientiæ compotes euaserunt, ex quibus multi ad varias se Monachorum familias contulerunt. Conciones, & confessiones populus studiosè frequentat, vtrarumq́ue fructus extitit illorum emendatione, qui publicè grauissimis se sceleribus alligarant. Iurandi detestandiq́ue temeritas, illustrissimo patrocinantè Palentino Præsule per Nostros breui exterminanda esse speratur, ita sunt multa remedia, quæ aduersus inueteratum hoc malum comparantur. Nonnulli, tàm ex clero, quàm ex numero laïcorum apud Nostros cœlestia commentati, vitam, & mores mirabiliter renouarũt. In sedandis quorundam cõtrouersijs illud est assecuta Societas, vt & publica vitaretur offensio, & multorum in columitati prospiceret, quos pernicios a simultas tutos esse non sineret. Vsus noui templi iam liber est nostris, ædificatione prorsus absoluta, in id sanctissima Eucharistia celebri pompa translata, & maximo ciuitatis tripudio. Conuenerunt ex municipijs, oppidisq́ue permulti, nouaq́ue nostra basilica cunctis, tùm sua specie planè visenda, tùm additis magni pretij peristromatis voluptati fuit. Aderant ingeniosa poëmata, & dul-

cis

cis auditu symphonia, adhibita chorea, & periucunda saltatio, igniſque peruolantis artificioſa fulgetra, diem illum Palentinis lætum illuxiſſe monſtrabant. Ciuium ad templum concurſus in dies maior eſt: inter illa enim, quæ in cuncta Hiſpania Societas habet illuſtria, noſtrum Palentinum artificum iudicio ſapientum numerari poteſt.

COLLEGIVM ABVLENSE.

HABITARVNT viginti ſex, Patres ſedecim, fratres decem, etſi perfugio peſtis auctus eſt numerus, nam loci ſalubritas, & Prætoris Vrbis vrbanitas, inque Societatem amor fecit, vt ex Noſtris huc à Patre Prouinciali nonnulli extra neceſſarium Collegij numerum mitterentur, duo Fratres admiſſi, quorum alter obtinuit, vt à Prouincię Moderatore ad contagioſos Valliſoleti curandos amandatus abiret, quos audierat eſſe grauatos. Collegij ſanitas, cum iàm vicina contagio eſſet, multique ex febribus licet non peſtilentibus in vrbe laborarent, pro miraculo fuit, ſiquidem duo tantum ex noſtris ægrotarunt, valetudine poſt breue tempus reſtituta. Neque verò ciuitas peſtem effugit, quæ tamen Deo miſerante non alios niſi pauperrimos interemit, quibus Noſtri tàm diligentes adfuerũt, vt Illuſt. Epiſcopus Collegij Rectori hoc nomine gratias egerit, & Societatis charitatem perſtudioſè laudauerit, illis præſertim refugientibus quibus erant parochiæ demandatæ, & animarum cura commiſſa.

OBIIT Pater Ioannes Torres, cuius habet Medina ſepulchrum (erat illius hoſpes Collegij) ſed Abula monumentum, vbi per annos plus triginta perſtrenuè laborauit,

Digitized by Google

rauit. Fuerat & confessione salutaris, & consuetudine fructuosus. Redemerat captiuos ex Maurorum seruitute; & Regi Barbaro imprimis acceptus, suæ Christianæ prudentiæ vestigia reliquit impressa. Quemdam quoq; Hyerosolimitanæ Militiæ pernobilem virum, cui est albæ crucis insigne, qui à Piratis captus Algerij seruiebat, cum Valentiam perueniisset, neque fretum traiecisset ex numero captiuorum per litteras exemit. Valebat ipsa Ioannis auctoritas, neque eius requisita præsentia est, ad viri nostri ordinis amantissimi libertatem. P. Ign. meditationes ab omnibus reculæ domesticis cum fructu & Religionis incremento. Quidam Monachus ad vitæ perfectionem commodiùs assequendam hoc remedium assumpsit, duoque alij hoc idem moliuntur.

ANNVNCIATAE Virginis Sodalitas ex nobilibus, tàm sacris, quàm profanis suum cursum tenet, & Nostrorum cohortationibus quotidie reuirescit. Ergo congregati Sacramenta fructuosè iterant, & erga egentes liberales se præbent. Duo ex horum numero mortui, quorum alter nobilis laicus se quotannis in spirituali palestra diuina commentans, atque considerans exercebat, bis in hebdomada communicabat, vxore cõsentiente tori genialis vsum hoc vltimo vitæ quinquennio nesciuerat, iniurias acceptas vltrò remisit; erga inopes, & ægrotantes officiosus: quin & morosæ cuidam mulierculæ, valdeque ingratæ, quæ se pro debilitate pedum mouere non poterat cibũ quotidie de propria mẽsa suppeditabat, idẽ generosæ, numerosæq; illius inuẽtutis, quę illustris. Toletano Pręsuli, Garsiæ à Loaisa seruiebat, pædagogum se præbuit admirandũ. Alter Ludouicus Gusmanus Sacerdos, & generosus, & sanctus, & huic Collegio mirè beneficus, aureorum donatione bis mille & sexcentorum, qui in Nostro humatus est templo, de P. G. cõcessu in huius pernobilis viri animo altas egerat

inde

Digitized by Google

inde à prima ætate virtus radices: in altaris hostia immolanda horam ponebat, & cùm Philippo Hispaniarum Rege audiente, cuius eleemosynas quodam tempore distribuit, aliquando sacrum faceret, nihilo se celeriùs expediuit. Non priùs ad aram accedebat, quàm alterius Sacerdotis sacrum flexis genibus audiuisset, in gratijs post missam agendis perdurabat. Misericordiæ Sodalitium ad pauperes subleuandos, quod nostræ Societatis Pater Antonius Lares erexerat, quasi humeris Ludouicus à ruina sustentauit. Nam cum ex primarijs viros permultos aggregasset, author omnibus fuit, vt se domi Nostræ spiritualibus meditationibus expolirét, seq; ipse primus exercuit: ex quo factum est, vt in egentes misericordia maior esset: profecta quippe à purioribus animo Sodalibus, eis qui nostris presbyteris delicta confessi erant, sacram communionem ipse impertiebatur, & socios venerabundus ad fletum incitabat, ægrotorum lectos suis manibus sternebat, quin & sellas ad languidos in Valetudinaria publica deportandos introduxit, & ad maiorem sui victoriam vbi qui obierat pauper humatus esset, vacuum pheretrum per vias publicas pius vespillo reportabat, quippe qui baiulis vtendum esse negaret, quorum euitata merces pauperum alendorum thesaurum augeret, soluta minueret, ob quam causam frugalissimus erat, suaq; temperantia multorũ famem saturabat sibi parcus, & inops, egenis liberalis, & diues, castitatem licet Regis aulicus diligentissimè conseruauit, & in hospitijs contubernijsque quibusdam Veneris vicina vitauit incendia. Denique Garsia Loaysa dignissimus Toletanus Antistes, hunc sibi esse non modò eleemosynarium, sed etiam intimum consiliarium voluit, quod munus Ludouicus accepit, vt Garsiæ à Loaysio liberalitate, & Sodalitatem Misericordiæ, quam ferebat in oculis, & Nostræ Societatis Abulense Collegiũ bonis

posset

Digitized by Google

bonis posset augere, quæ consilia cita mors impediuit; tamen quæ habuit, partim Nostris, quos intimis amabat affectibus, partim Sodalitati legauit, etsi nobiscum feliciùs actum est, qui sancti hominis corpus possidemus.

PLEBEIORVM Sodalitiũ, de quo annis superioribus egimus, floret quotidie magis. Nam diebus Dominicis illius eiusdem Patris cohortationibus, qui operis inuentor fuit, noui Sodales interfunt, & Christianæ vitę officia cõdiscunt; quin & ex Mauris oriũdi, quorũ in hac vrbe magnus est numerus, ad has catechismi salubres explicationes ventitant, & quæ non nouerant mysteria docentur. Sanctissimi Christi corporis feriæ in nostra æde celebres plurimos interuentores quot annis inuitant: sed hic annus omnium videtur fuisse lętissimus, cùm fidelium ipsa frequentia, tùm rerum accretione multarum. Lucra Collegij quidam noster Mœcenas, & fautor adauxit antiquus, bis mille nũmis argenteis donatis. Vidua quædam clara virtutibus è vita migrauit, aureosq; ducentos Collegio reliquit, ad anniuersariam statuendam stabiliendamque pecuniam, qua cera sacris altaribus comparetur, quæ eius sententia disertis verbis testamento declarata fuit. Hoc ipso anno scutatorum mille & septingentorum ad Nostros est deuoluta possessio illius obitu, cui erat pecuniæ vsus donatoris permissu concessus in vita, Nostrisque eorundem ius dominans attributum.

COLLEGIVM BVRGENSE.

COLLEGAE censentur viginti duo: at in Nenemsi villa tres habitant, ijque morbis diuturnis ad hanc diem conflictati. Hyemalis renouatio votorum feruens omnium animo

Digitized by Google

ad mala ventura firmauit, omnes ferè domestici generali se confessione munierant, & quodam pestis augurio manere in Collegio statuerunt, vt proximis laborantibus auxilio essent, steteruntque promissis. Vt primum se pestis ostendit, rogante ciuitate clausum est humanitatis gymnasium, Latinitatisque Magistri, & cæteri omnes de ciuitatis remedio cogitare cęperunt: & cum Senatus Vrbis contagioni curandæ Nosocomium publicum statuisset, illius nos procuratione liberauit, ratus fore salubrius vt nostra domus in media Vrbe sita omnium ciuium esset commune perfugium. Itaque contagiosorum hospitij alijs Religiosis demandata cura, quod illi munus pręclarè gesserunt, eleemosynisque, quas & Archiepiscopus, & Senatus erogasset, per fideles quosdam ministros distributis, nostræ partes fuerunt ciuitatis non emporia solùm, sed colles etiam, & angiportus circuire. Neque verò Nostri dùm vocarentur expectabant, cumque languidorum confessiones Societatis Patres audissent, Parochi miro ordine succedebant, duo reliqua Sacramenta ministrantes. Deferebatur ad ægros Eucharistia sacrosancta, eo comitatu, sequentiumque concursu, qui esse solet cum salubria sunt tempora: quo in munere Curiones aliquot vitam gloriosè finierunt. Nostri, ne quisquam attactus sine confessione, communione, sacraque vnctione decederet diligentissimè curauerunt; Societatis operarios fructus ipse inuitabat, & animorum è corporibus excedentium sempiterna adeptę salutis argumenta perspicua mirificè solabantur. Suos principiò cuique Sacerdoti commiserat ex fratribus Socios P. Rector: sed vnius ex his mors, qui vtilissimus erat adiutor, admonuit, vt Patres sine socio egrederętur. Et quoniam Burgensis ciuitatis suburbana, & quæ in excelso sunt domicilia permulta, permolendique tritici officinæ non paucæ perlustrandæ erāt à Nostris, cuiusdam liberalitate Matronę iumętum Procurator

Digitized by Google

curator emit,ex illo equorum genere, qui itineribus sunt aptiores, quàm pompæ, cuius opportunitas maxima fuit ad celeriùs gradiendum, accurrendumque maturiùs. Cumque pestis rabies desæuiret, mirabilis visa fuit Nostrorum Sacerdotum sanitas,qui neque labori parcerent, neque pericula declinarent. Attamen remittente iam lue, Pater egregius Christophorus Ribera, qui proximè Prouincialis fuerat,seque & pijs exercitationibus, & generali confessione deterserat,glãde ictus pestifera, quinto quam ægrotauerat assumptus est die, pestem quidem si regredi valuisset,effugeret,sed adduci non potuit vt ex ea vrbe migraret, in qua Societatis se operarium præbere voluisset, posita iam Prouincialis persona;erat quippe ciuitati per gratus,in qua olim suæ industriæ neruos intenderat. Optabat sanctus senex vnâ cum reliquis nostris Sacerdotibus exire, & adesse pestiferis: sed Pater Rector vt domi se contineret,& rectè valentium confessiones exciperet imperauit. Triduo post extinctus est Frater Franciscus Mõtaltus templi AEdituus,qui septuagenarius non aliter laborabat, ac si iuuenis esset. Hunc secutus est domus Ianitor, quem Dominus vigilantem inuenit.

REDIIT tandem, procella quiescente, tranquillitas,Nostrique sua munera solito more repetiuerunt: pestis enim conciones interpollauerat,& quia lethalis multorum solet esse concursus, & quia communis necessitas sic Nostris instabat, vt diuini verbi cum otio prædicandi nullum daretur spatium, Diuitum quorundam misericordia Collegio non defuit,multi namque ex illis, qui timore pestis abierant, priusquam vasa colligerent Nostris dederunt,quæ dare solebant:alij ex illo vbi erant recessu, eleemosynas Nostris mittebant,cum amoris significatione non vulgaris.Ciuitas Nostrorum in hac communi clade dilaudat officium,seque gratam prębet,& memorem.

Digitized by Google

Priuata quorundam charitas testamento declarata est, nam legata septingentorum scutatorum summam efficiunt.

COLLEGIVM LVCRORIENSE.

COMMORATI viginti quinque; Sacerdotes quindecim; Decem Fratres adiutores. Fuit hic annus vrbi funestus grauissimæ cuiusdam pestis exitio, quæ trimestri spatio quinquies mille necauit. Nostri homines sui memores instituti, calamitatem pro viribus releuare conati, & confessiones audierunt, & ipso Collegij præside duce, collectas eleemosynas egenis diuiserunt. Fuitque peropportuna Nostrorum opera, quandoquidem ciuitas non alios habuit nisi Nostros, per quos misericordiam ex publico ærario depromptam pauperibus largiretur. Ergo Patrem Bartholomæum Sernanum Rectoris Vicarium hæc agentem, & ex Societatis dignitate curantem, alioſque nostros Presbyteros struma pestilens suffocauit. Sex Fratres quotidianis officijs deditos ipsa eadem pestis extinxit. Collegij vectigal excreuit, donante Matrona quadam aureos nummos quadringentos, lectissimæ alicuius fœminæ res vniuersa familiaris ad Collegium peruentura est donationis inter viuos firmitate.

COL

COLLEGIVM SEGOVIENSE.

VRBIS frequentia; pestisque sæuitia Nostris sui ostendendi copiosam dedêre materiam. Ergo ab ipso cladis initio nostri Sacerdotes infectorum confessiones illa eadem alacritate audire cœperunt, qua morbo non contagioso decumbentes adire, audireque solerent, neque eos pestis nomen exterruit; sed quamuis tabidis quibusque, tùm animi, tùm corporis subsidia nostri libenter afferrent, permanante tamen contagione, refertaque vrbe permagna languentibus commodior inita ratio est, parochijs distributis. Nam Segouiensis Præsul, vir & genere clarus, & prudentia mirabilis, sua cuique Religiosorum familiæ regione attributa, perfecit, vt omnibus vbique subueniretur. In hac partitione Nostris illa obtigit consultò parœcia, quæ cæteras omnes incolarum numero longè superabat, quippe quæ tecta bis mille contineret: hanc prouinciam luridorum animos, corporaque curandi nostri Patres libenter susceperunt, & erogatis hinc inde eleemosynis rem ex animi sententia gesserunt. Itaque quotidie Pater vnus, & Frater ægrotantium, qui egebant, domicilia inuisentes, cuique pro necessitate succurrebant. Expendebantur diebus singulis cocti panis fanecæ duæ, ariesque vnus, qui si quando Nostros deficeret, illius loco centum oua diuidebantur, binæque cistæ quotidie allatæ pomis refertæ salubribus, data quoque vel ex melle, vel sacaro confecta dulciaria, quibus fastidium malè affectorum commune releuatur. Altero hæc porrigente, alter omnes, qui fateri commissa vellent audiebat. Hæc hoc ipso

Digitized by Google

ordine per quatuor menſes continuos Noſtri fecerunt, ſpectante, laudanteque vniuerſa Segouia.

ITVM ſole ardente in ſuburbana remota nulla vrbis parte prætermiſſa, quamuis inacceſſa videretur. Occubuêre quatuor ex Noſtris, quos & labor defatigauit immenſus, & tracta peſtis interemit. Tres presbyteri erãt ſanctitatis eximiæ, vnus laicus virtute nõ inferior. Eſt inſuper fami in maxima annonæ caritate conſultum. Nam ſingulis diebus in Collegij noſtri veſtibulo ducenti pauperes alebantur, & quando fortuna Collegij tantam molem ſuſtinere non poterat neceſſitatis, & beneficentiæ clauibus, diuitum per Noſtros patefactæ ſunt arcæ, quorum pecunia miſericordiæ ignis, qui in noſtris foribus quotidie incendebatur materia fuit. Erat hæc eleemoſyna permixta ciuitati, & quia ſua ſe longinquitate peruulgauit, & quia qui beneficium acceperant, nullo non tempore prædicabant. Opificum Sodalitium, de quo aliàs, ſuam retinet viriditatem. Nam ſingulis Dominicis à quodam noſtro Sacerdote in ijs rebus inſtruuntur, quæ illi ſunt hominum ordini accommodatæ. Vnoquoque menſe Sacramenta percipiunt, ſemel in hebdomade ſe *flagellis* cædunt. Feſtis diebus publica hoſpitia, valetudinariaque perluſtrant, vt afflictis, affectiſque pro ſua quiſque facultate ſubueniãt. Latinitatis gymnaſium quale ſit diuerſas religiones ingreſſi ex diſcipulis multi teſtantur, & quatuor in Societatem noſtram admiſſi.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM NVMANTINVM.

VIXERE hoc anno viginti quatuor, ex quibus Sacerdotes duodecim. Vota post biennium à duobus Fratribus nuncupata, quorum alter scholasticus, alter rerũ adiutor externarum. Campum habet in hac vrbe Societas, vbi suorum excurrat industria. Vt enim alia deessent, publica custodia negotij satis exhiberet, ad quam totius Castellæ remiges pertrahuntur, vt hinc ad triremes remo impellendas deducantur. Florebant quidem humaniores litteræ, & Sodalitas Parthenia multum habebat dignitatis, sed in medio cursu stare coacta pestis aduentu, quæ ineunte Augusto se cœpit ostendere, cùm sesquimensem intrà mœnia latuisset, cumq; Valetudinarium publicum peste contactis ciuitas apparasset, nemoque externus loci curam suscipere auderet, nostra se Societas obtulit, & sacramenta tabidis ministrauit. Donec ex D. Francisci familia monachus quidam ouium illarum, quas dira lues miserè deformarat, pastor esse voluit. Nostri illa cura soluti liberiùs communibus aliorum miserijs occurrerunt. Sed monacho glandis ictu prostrato, Nostri ad idem Valetudinarium redierunt. Sed cum Dei beneficio religiosus ille Parochus breui conualuisset, iterum Nostri priuatorum ædes, vbi multa erat contagio, securiùs perlustrarunt. Enimuerò intelligentes infirmas esse omnium ferè vires sine consilio, quatuor ex Nostris sacerdotibus, totidemque fratres ad pestis bella miserunt, reliquis domi retentis, & vt ciues sanos audirent, & quatuor illis vel fessis, vel extinctis succederent. Igitur generali præuia confessione, & secretis contemplationis exercitijs de

Digitized by Google

Societatis more præmissis, ad pugnam prodierunt, Parochos incitarunt, ad intima vlceratorum cubicula penetrarunt, omnibusque horis vtrique necessitati subuenerunt, quatuor ipsos menses in hoc laborioso certamine perstiterunt, adhæsionem cum pestilentibus nemo noster auersatus, coniunctissimis ægrotorum lectis aure, quo esset secreta confessio, sine metu Sacerdos applicabat. Et cùm Pater Rector malè habentibus in tanta solitudine pecuniam, quæ daretur aut parum, aut nihil profuturam esse intelligeret, cœlesti prudentia ollam à fratre coquo domi quotidie parari iussit, quæ diebus singulis quadragenos, saturabat: erat enim & capax, & ipse coquus ad charitatis officia promptissimus, iuris scutella cuique præbita, & carnis frustum quadrantale, dimidiusque panis. Veniebat, qui poterat hæc accepturus, eratque Nostris omnium catalogus egenorum: ijs tamen, quos aut dolor, aut pudor detineret sportula per Nostros quotidie mittebatur. Ipseque Rector ollam publicè gestabat, charitatem, & humilitatem laudante populo Numantino. Est insuper multis prouisum eleemosyna grandiore, quam nostri Patres à locupletibus corrogabant. Illius extraordinariæ misericordiæ fama non in hac vrbe solùm, & eius municipijs, sed in ipsa etiam Regis curia se dilatauit, simulque aucta est Societatis opinio. Quibus erat cum contagio certamen, eos nullus omnino morbus affecit, Immortalisque Dei perspecta prouidentia est, qua Nostros seruauit intactos, qui cum pestiferis assiduè versabantur. Vnus Frater quem non timiditas, sed obedientia domi tenebat, Michaël Fernandes venenato tuberculo tactus interijt, cùm se generali confessione ad moriendum parauisset: Latinitatis Doctor erat aptissimus, & morum bonitate laudandus. Fuerat bono huic Fratri propter muneris necessitatem à Patre Prouinciali permissa profectio: ille tamen manere maluit

Digitized by Google

maluit,quàm fugæ ſuſpitione ſermonē ciuibus dare maleuolis:qui Frater,& huius Michaëlis,& duorū præterea, quos etſi peſtis infecit, curam gerebat: tanta charitate fuit,vt neque peſtis horrorem præ ſe tulerit,neque à fratrum, quibus medebatur, neceſſario amplexu abſtinuerit.

OBIIT vrbis Prætor, qui Monachorum amiciſſimus cum Noſtris non agebat:at vbi ille morbo ægrotare cœpit,qui lethalis ipſi fuit, ab illis derelictus, quibus ſe totum penitus tradiderat, ſeptem, quibus ſuperuixit dies,Noſtros habuit lecti perēnes aſſeſſores. Quid? quòd in funere pro Magiſtratus anima duo tantùm rem diuinam celebrarunt, alter ille fuit, qui in mortui exequijs Sacrum de more cantauit, Sacerdos externus,alter quidam Noſter,cuius charitatem populi plauſu proſecutus,vnà Societatis erga alienos clementiam commendauit,gratis enim benefica eſt,& auerſos, diuerſoſque condecorat. Quidam mercenarius,& pauper,ex ijs,quos virulenta peſtis oppreſſerat, ſeptem diebus nec corporis, nec animi medico accerſito iacebat planè conclamatus, diuino tamen conſilio factum eſt, vt quidam ex ſatis longinquo domicilio hunc inuiſeret, qui animaduerſo moribundi periculo noſtrum quemdam Sacerdotem diligenter accitum in miſeri hominis tectum introduxit: æger ad primam Noſtri admonitionem recepta non ſolùm voce, ſed etiam mente ſua, eſt peccata quietè confeſſus,cumque Sacerdos abſolutionis verba pronunciaſſet,& Pontificij diplomatis indulgentiam conceſſiſſet, IESV nomen ter appellauit ægrotus, & animam ſuo reddidit Creatori.

HIS ſimilia noſtris operarijs in hac vrbis ſtrage euenêre quamplurima,quæ laborem valdè minuebant.Mortui circiter mille recenſiti, qui numerus infrequentem vrbem,& incolis minimè abundantem non mediocriter

Digitized by Google

funeſtauit. Illud imprimis inſigne, litterisq; digniſſimum, quòd nemo Parochus, nemo Religioſus occiderit ex illis, qui non tecto, & vmbra gaudere, ſed in ſolem, pulueremque deſcendere, & cum contagionis orco rationem habere in animum induxerunt. Non tacebo cuiuſdam Curionis inane conſilium, qui cùm diues eſſet, ſibique à peſte metueret, Vicarium ſuffecit, vt ſe à peſte poſſet eximere, qui tamen haud multò pòſt peſte percuſſus, quinto demùm ſepultus eſt die. Similis eſt in laicis nihil præcauentibus, ſeque ad infectorum remedia ingerentibus, Dei præcipuo fauore, incolumitas obſeruata. Eſt profectò laudanda cura, charitasque paſtorum, qui ſuo munere probè fungentes, neminem, niſi qui ſua culpa tacuiſſet, ſine tribus Sacramentis morienti neceſſarijs è vita exire ſunt paſſi. Ciuitas Numantina Societati gratias agit verbis ampliſſimis, turbaque pauperum Noſtris omni loco, ac tempore benè precari non definit, & quæ à Noſtris accepit frequenter inculcat.

COLONIENSIS noſter in Germania Collegij Rector à quodam Hiſpano admonitus, qui matronis nobilibus, quę hoc noſtrum Collegium fundauêre, notus erat, diuino planè theſauro templum hoc noſtrum decorauit, miſſis ſanctarum Virginum, quæ Diuæ Vrſulæ ſociæ in martyrio fuerunt, binis capitibus. Habemus ab hoc eodem vnius ex Thebæis martyribus caput, & eorundem decem oſſa permagna: addita eſt obſigniata tabella, quæ veritatis fidem facit, & veras monſtrat eſſe reliquias. Templo adhibita perfectio eſt, & ſepulchrum ex conformato lapide perpolitum ad epiſtolæ latus, in eo perilluſtris Ioannæ à Mendoza noſtræ fundatricis oſſa recondita.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM VILLAGARSIENSE.

NVMERVS Nostrorum pro temporum ratione varius : Nam quia hæc Probationis est domus, decrescit numerus, simul atque Nouitij biennio expleto ad alias Prouinciæ domos amandantur. Ergo Collegæ hoc anno aliàs sexaginta quatuor, aliàs quinquaginta, ita vt nec illis plures, nec his vllo tempore pauciores numerentur. Sacerdotes 10. in ijs, vnus Latinitatis Præceptor, Fratres Grammaticæ Magistri tres, Adiutores quindecim, reliqui Nouitij. Tres Patres vitam cum morte commutarunt, duoque antiqui Fratres ex procuratione domestica, vnusque ex studiosorum grege Nouitius. Suæ virtutis specimen & tyrones, & veterani dedêre, quo die ad contagiosos in duobus Valetudinarijs Vallisoleti curandos, fouendos, consolandos sese omnes ferè obtulerunt. Duoque tandem Legionem missi, vt Nostris inseruirent, quos pestis infecerat, Sacerdotum Nostrorum charitas enituit, dum omnibus horis ad illorum excipiendas confessiones itabant, quos in hoc oppido pestis tetigisset: quæ tamen Dei Opt. Max. clementia nec diuturna fuit, nec admodum furiosa.

ANNI rara sterilitas mendicorum numerum ampliauit. Itaque pasti plus centum iure, pane, carne, & ollæ quotidianæ subsidio. Etenim ea rerum esculentarum portio dabatur, quæ vitam commodè sustentaret: igitur plures quinquaginta reperti, quibus octo mensium spatio misericordia Nostrorum satis fuit ad vitam propagandam. Quidam enim noster Sacerdos eximia vir charita

Digitized by Google

ritate, hoc sibi negotij dari popoſcit, cui duo Fratres Nouitij Adiutores additi ad rem commodiùs exequendam: cumque ex ijs mendicis multi sæpè decumberent, eos frequenter hic idem Pater inuisebat, etsi interdum tã Rector ipse, quàm reliqui Patres ad ęgrotãtes adibãt, & dona ferebant. Mittendi ad morbosos cibi hic erat ordo. Pomeridiano tempore ex Sodalitate Beatissimæ Virginis, Deique parentis aderant Scholastici propè viginti, singulis & testæ erant, & cistæ, has pane, illas iure & arietina carne repletas ad ægrotos deferebant. Neque solùm prandium & cœnam, sed hospitium etiam à Nostris habuerunt, ex his mortui penè ducenti, quorum multis de syndone à Nostris prouisum, quæ cadauer inuolueret. Eorum omnium vespillones, illi ijdem Beatissimæ Virginis Sodales fuerunt, vt misericordia omnibus esset numeris absoluta. Post horum confessionem in sacra Synaxi præbenda vehementer laboratum est, quippe cùm in varijs locis, disiunctisque iacerent, multaque essent palearia percurrenda, vt Sacramenta peropportunè possent ministrari, fructusque laboris constitit, ne vno quidem reperto, qui sine sacramentis decesserit.

MISSIO Zamorensis acta feliciter vno Nostro in templis, & plateis fortibus lateribus concionante, & affectus permouente: altero confessiones innumerabiles audiente. Plausus tantus oratori nostro datus, vt Parochi relictis suarum Ecclesiarum concionatoribus ad nostrum audiendum properauerint. Similis felicitas in excursione vrbis, quam fluuij ficci Medinam vulgus appellat, eam ciuitas prædicare non definit, Nostro verba faciente concionatores cæteros corona defecit.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM POMPEIOPOLITANVM.

MABITARVNT ſedecim, Patres decem, duo vita functi, alter Sacerdos morbo vulgari, alter Adiutor, quem peſtis ademit, cuius cauſa à ferijs Diui Lucæ Gymnaſium Latinitatis conticeſcit, quod antequam lues irrumperet, mirè florebat, cenſis auditoribus quadringentis. Conſtituta Beatiſſimę Virginis Sodalitas in ſacello ſcholarum, quod ciuitas fabricauit, cuius quoque liberalitate formanda effigies eſt ſanctiſſimæ Dei parentis, Angelo ſalutante. Proximis intra, extraque vrbem nauata diligens opera.

ITVM eſt in vrbem celebrem Nauarræ ditionis, in qua duo noſtri Patres, quæ Societatis ſunt propria, gnauiter exercuerunt, lociſque incolæ Noſtris ferè vniuerſi confeſſi, ex quibus multi errata totius vitæ vomuerunt. Ardebat hoc oppidum ciuili diſcordia, in partesque diuiſa ciuitas perniciosis litibus contendebat: ſed vnus tamen ex ordine Senatorum ad Proregem adijt, poſtulans vt quemdam ex Societate legaret controuerſijs componendis: Prorex libenter annuit, litterasque cuidam Noſtro dedit ad laicorum ordinem, Epiſcopus ad Clerum, Deique benignitate Rempubl. Noſter ille conſtituit, & à perturbationibus recreauit, firmata conditionibus pace tranquilla, incendioque reſtincto, quo animi, & corporis bona conflagrabant. Proregis receſſum peſte graſſante quidam Noſter comitatur, eiusque audit confeſſiones, & concionatur ad plebem. Inde excurrit ad proximum quoddam caſtellum, vbi regij Prætores ſunt, id quod petiuerat regalis iudicij Præſes. Confeſſiones in hoc

Digitized by Google

hoc paruo Collegio permultæ, tum optimatum, tum plebeiorum. Noster quidam Presbiter huius Regij tribunalis Præsidem, & cum eo Prætorem vnum secutus est, quos publica quædam dissensio ad pagos in conuallibus sitos proficisci coëgit. Erat incolarum inter ipsos lis quædam antiqua de terminis, & cùm ex competitoribus vnus fortunis potens ad concordiam reduci non posset, concione nostri Patris audita consensit, de pertinaciaque remisit. Aucta est hoc anno pecunia Collegij trecentorum aureorum annua pensione, scutataque recuperata mille. Ex salinis quoque Dupanensibus argentei nummi quinquies mille venerunt, quos in redditibus ponat œconomus: eleemosynæ sexcentis scutatis valuerunt.

COLLEGIVM OVETENSE.

SEDECIM hoc anno Collegæ numerati, quòd pestis elades imminentis senos dumtaxat Patres, denosque Fratres requirere videbatur, cæteris ad tutiora loca remissis. Igitur aptissimis ex vtroque ordine retentis, calamitas post hominum memoriam grauissima à remedio imparata non fuit. Mortuorum strages tanta, vt Asturum in vniuersa Prouincia pars tantùm sit tertia relicta, Parocho vix vno superstite. Sunt in hac vrbe, quæ totius est Asturiæ Metropolis, Religiosorum domicilia quatuor, quorum tria in hac communi plaga intra priuatos parietes se continuerunt, solaque nostra Societas per sex illos, quos dixi Presbyteros, valentibus, & affectis sacramenta ministrauit. Neque solùm ijs, qui intra muros sistebant, hoc animarum est remedio consultum: siquidem nouem paroe

Digitized by Google

rœcias vrbi finitimas ijdem Noſtri ſacramenta daturi circuibant, qua in re vſque eò ſe diligentes Noſtri præbuerunt, vt rari ſint, quibus in morte ſacra defuerint.

AD ruſticanos ſacroſancta Euchariſtia argentea capſula deferebatur, vrbanis peſte contactis: ſi modò pedibus ingredi poſſent, in quodam noſtro ſacello ſacra ſynaxis eſt præbita: ſanis in eodem noſtro Collegio cœleſtis vitæ panis diſpenſatus. Furente peſtilentia ex decem fratribus obiêre ſeptem, quos Prouincia vniuerſa deſiderat: erant enim Societatis accommodati muneribus, & religione præſtabant. Labor vt in tanto diſcrimine, ſummaque eos defatigatio continuit, & glorioſa morte decorauit. Peſtis incendio remittente tres Patres ad vitam meliorem tranſiêre, primus etſi claudus, & ætate prouectus, tamen ita ſe velociter incitabat, vt nemo pedes, iuuentamque requireret, cùm diem totum laboraſſet, & ſe domum vicina nocte recipere conſueſſet, laſſitudinem nullam ſentiebat: alter & iuuenis, & minimè debilis, ad remedium tantæ miſeriæ alas induiſſe videbatur. Erat orationi deditus, deque diuinis rebus mirificè loquebatur. Hoc dicente ardebat auditor, & quicquid Pater vellet, ſeſe facillimum exhibebat. Tertius vitæ annos ſeptuaginta compleuerat in optimis operarijs numeratus. Rara in eo humilitas, & mundi contemptus, Dei, & proximorum ardebat amore, & quia propter ætatem ſe iam externis dare non poterat, in ſancto contemplationis otio perdurabat, inflammabat, incitabatq; domeſticos, qui ſe eius vno congreſſu mirificè recreari dicebant. Denique hominis ſanctitati dedit Collegium, vt corpus lignea techa incluſum, altari vicinum ſepeliretur. De his, & cæteris Prouinciæ mortuis quædam nominatim agit hiſtoria, quocirca ne actum agere videamur, horum, & aliorum nomina in his annalibus conſultò reticemus.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM SANCTANDERIENSE.

DEGVNT quinque Patres, Fratres non plures quatuor, Societatisque in hoc portu munia per hoc nouem diligenter exercita, ex Gallia Bretonum freto huc appulsæ Liburnicæ nostris operarijs diligentis misericordiæ segetè tulêre copiosam. Remiges à Nostris in corporis, animique rebus adiuti, & ad patientiam incitati. Fructus quantus exstiterit, confessionum crebritas demonstrauit, & ex confessionibus vitæ correctio; cumque iam confessioni satisfactum esset, quæ quotannis à Christianis exigitur, qui ad annos pœnitentiæ idoneos peruenerunt: tamen promulgato quodam Iobileo ab ipso Classis Præfecto Nostris intercurrentibus Remiges impetrarunt, vt ex triremibus ad Collegium venire liceret, & denuò confessi sacram Synaxim perciperent ad indulgentias potiundas. Ergo vtraq; Iobilei hebdomada vicini quatuor rosaria ferentes veniebant, populo ad spectaculum concurrente, Deumque laudante, qui Societatem tantorum bonorum effectricem adduxisset. Ferri, & cathenarum stridor Portuensium aures delectatione mulcebat, & eos qui vel è fenestris, vel ex ædium liminibus aspicerent, ad lachrymas inuitabat. Nostri multorum, qui remigio addicti iustas missionis, & libertatis causas ostenderent, plenam libertatem impetrarunt, eorum suasu dux ipse seuero edicto pellices à triremibus expulit, vrbisque Magistratus Nostris itidem hortantibus, easdem relegauit.

COL

COLLEGIVM MONTISFORTIS.

CVM anno superiore, qui fuit millesimus quingentesimus nonagesimus octauus, sæuissima, & infestissima pestis hoc castellum perdidisset, Nostri pariter, & Patres, & Fratres perierunt; mors tamen inuidenda magis, quam miseranda fuit præmissis summæ charitatis officijs, ne tamen periclitarentur bona Collegij, vnius fratris viui incolumitas impediuit: cui cœlo iam salubriore, & hominibus ex tanta procella recreatis duo adiuncti sunt socij, quorum alter Sacerdos, qui domui præesset, & Fratribus sacra procuraret. Hi tres hoc anno in Collegij, & templi ædificatione promouenda solliciti, & artifices conuocarunt, & pecuniam in sumptus operis præparauerunt. Renouata nostræ domus cuncta suppellex, exustaque vestis quam pestilentia tetigisset. Rationum collecti libri omnes, in quos accepta, & expensa relata erant. Ex ampliſſima re familiari, quam Illustrissimus Hispalensis ex ordine purpuratorum Patrum nostris illis commiserat, quos pestis abstulerat, & ei, quem Cardinalis elegerat ad rationem exigendam de Nostrorum est fide, & integritate plenissimè satisfactum. Quam ob rem Cardinalis, arca eis referta nummis, quos ad Collegij, templique substructionem Hispali clarus Antistes, regali quadam liberalitate mittebat, quæ cuidam erat externo credita, Nostris, Cardinalis iussu, tradita est, & cuidã è Societate plena simul permissa potestas vectigalia cũcta recuperandi, quæ in hoc Callaico regno Castrensi Roderico Principi ad immortalitatem nato pensitantur.

Digitized by Google

Itaque deinceps commodiùs tanta ædificij moles vrgebitur, pecunia promptiore: licitum namque est huic nouo ex Societate Quæstori, eam pecuniam quam Cardinalis nomine recuperat, in nostrum opus expendere: quo argumento clarissimus Præsul ostendit, quantum nostris hominibus tribuat, & quàm esse fideles, atque integros arbitretur. Dedit idem nobis benignus Antistes pretiosissimam crucem, cui inest imago Christi crucifixi, cuius diues materia, ab arte tamen superatur; eam perhibent Sixti fuisse Romani Pontificis ingentis æstimationis: multa præterea dona coaceruat, & congerit, reseruatque Collegio: & quamuis ex illa cum Rege noua Valentiani profectione æs alienum grande contraxerit, tamen nuper bis mille aureos ad nos misit, illorum qui in hoc Regno colliguntur additamentum. Nunc quando iam creditoribus satisfecit (is enim est, qui nihil debere diutiùs velit) ingens summa expectatur, quæ fabricam vehementer promouebit. Vinea, de qua aliàs, & omnino sita est, & vallata sæpibus. Idem de horto vtraque possessio aureos annuos millenos Collegio latura creditur post breue temporis interuallum.

COLLEGIVM VERGARENSE.

CONVIXERE 10. Patres, 5. Fratres, item 5. tam animo quàm corpore in hoc anno quasi fatali valuerunt. Religiosa disciplina floruit, & eorum munerum gloria, quæ in Ignatij familia inueterauit, apud Vergarenses crescit in dies. Concionem ad plebem nostræ sunt ferè, inque basilicis ciuitatis nemo alius verba facit, nisi qui Societatis est: publi

pub licę beneuolentiæ testimonio præclaro, Quadragesima tota quidam Noster in Ascoctiensi castello, non procul à nostri Patris Ignatij natali solo, Senatu ipso poscéte Dei verbum prædicauit. Humanitatis scholæ, liberorum parentibus, quos instituit Societas, quia valdè esse fructuosas vident, valdè sunt gratæ. Prædij pars empta ad ædium laxitatem, & horti frugiferi sedem.

COLLEGIVM COMPOSTELLANVM.

VITAM agunt sex & viginti, Sacerdotes septem, Fratres qui litteras professi in Physicis, & Metaphysicis occupantur octo, reliquus est numerus Adiutorum. Hæc paucitas incolarum ex superioris anni peste fuit, duobus extinctis Patribus, & Fratribus quatuor, quorum adhuc desideratur supplementum. Societas & in vrbe, & in omni Callaico Regno diligitur, & eius munera magni pendunt ur. Cuius duo illa valida sunt argumenta: alterum ludi litterarij ad alphabeticos pueros instituendos illustrissima Compostellano Archiepiscopo auctore fundata aureis annuis trecentis attributis; alterum Latini petitio Gymnasij consentiente Academia, resque ad Regium Senatum relata iam est, quo inconsulto in huiusmodi negotijs nihil transigitur. In hoc opus idem Archiepiscopus Ioannes à sancto Clemente aureos quingentos in singulos annos pollicetur. Non præteribo eodem auctore Archiepiscopo, tum pietatis, tum clementiæ insigne monumentum: Nostris & hortatibus, & exequentibus orbarum puellarum ædificatæ domus, vbi ad fidelitatem quæ à furtis abstinere iubet, & ad castitatem, quæ turpitudini, libi-

Digitized by Google

diniq́ue reſiſtit eruditæ fœminæ, matronis honeſtis rectè ancillari queant. Vtraque enim hæc virtus in his terris deſiderata eſt. Sanctorum oſſa permulta in ſumptuoſas incluſa thecas in templo noſtro ſunt honorificè collocata. Triclinium omnino perfectum ſpecie viſenda: quin etiam domeſticus fons elaborato artificio Noſtros, & mane ſurgentes, & ad prandium, & cœnam venientes detergit à ſordibus, epiſtomio fundendis aquis perbellè apparato.

COLLEGIVM LEGIONENSE.

PESTIS commune malum celebre Latinitatis Gymnaſium occluſit, & noſtris operarijs certamen dedit illuſtre. Rector ipſe Collegij primus in acie ſtetit, & pro peſtiferis cum peſte pugnauit, quem cæteri ſecuti ita ſe tabidis tradiderunt, vt Patri Prouinciali ex Callaico Regno redeunti ab vtroque Senatu actæ ſint gratiæ. Duo Patres, ſexque Fratres in pugna cecidêre, de quibus peculiaris hiſtoria ſcripta eſt, & ad noſtrum Patrem Generalem miſſa. Artium (vt vocant) curſus incœptus pacatis iam rebus, & humaniorum litterarum ſcholæ renouatæ. Tria quæ præterea reſtant Collegia ſiluerunt, neque de ſuis rebus nos fecêre certiores, quas non dubitamus fuiſſe magnificas.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA ARAGONIÆ.

HABET Aragoniæ Prouincia Socios 307. Valentiæ in domo Professa 38. quorum viginti sunt Sacerdotes, reliqui Fratres rerum domesticarum administri. In Collegio quadraginta, ex quibus Sacerdotes tredecim. In his Præceptores Theologiæ Scholasticæ duo, Moralis vnus, alter Positiuæ: vnus repetit studia: alter Philosophiæ dat operam; Fratres Theologos tredecim: Philosophum vnum: Rhetores duos: cæteros rei familiaris curatores. In Cæsaraugustano Collegio quadraginta, Sacerdotes viginti vnus: quorum Theologiæ Moralis Professores duo, Fratres Casuistæ quinque, cæteri Coadiutores. In Barcinonensi triginta, Sacerdotes quindecim, è quibus duo Professores scholasticæ Theologiæ: Fratres Theologi sex, reliqui Coadiutores. In Gandiensi vnus & viginti Sacerdotes 7. Fratres quatuordecim, in quibus Grammaticæ Præceptores duo, totidé eorum auditores: reliqui Coadiutores. In Balearico viginti sex: Patres duodecim, quorũ duo Professores Philosophiæ, vnus Grammaticæ, Fratres eiusdem Doctores tres, Philosophi

Digitized by Google

duo, cæteri Coadiutores. In Bilbilitano tredecim, Sacerdotes nouem, è quibus tres Grammaticam docent, cæteri in rerum domesticarum administratione versantur. In Turiasonensi viginti, Patres octo, in his vnus Grammaticam docet. Alter Philosophiam: Fratres Philosophos septem: Præceptorem Grammaticæ vnum, Coadiutores quinque. In Gerundensi viginti quinque. Patres decem, ex quibus duo Grammaticam tradunt, Fratres seminarij alumnos octo, reliquos Coadiutores. In domo Probationis Tarraconensi triginta sex, Sacerdotes octo, quorum quatuor sunt Nouitij, Fratres antiquiores quatuor, tyrones cæteri. In Vrgellensi Collegio, quod exeunte anno primùm incoli cœptum est quinque, Patres tres, Fratres duo, Scholasticus vnus, alter Coadiutor. Admissi septemdecim. Mortui quinque. Profecti ad Indos tres: in alias Prouincias quatuor.

DOMVS PROFESSA VALENTINA.

EXERCITATIONVM spiritualiũ vsus apud Nostros hoc anno multò frequentior, quàm superioribus fuit. Pœnitentium item numerus maior, videlicet ex Regis Philippi, ac Reginæ Margaritæ in hanc vrbem aduentu, omniumque fermè nationum concursu. Satisfactum omnibus, quoad licuit, Patrum, qui ex ijsdem Prouincijs aduenerant, opera. Totius vitæ maculas eluerunt cùm alij permulti, tum præcipuè senex annorum 60. qui eius rei causa totidem passuum millia confecit. Vix credibile est, quàm sæpè diu noctuque vocemur ad eos, qui in suprema lucta versantur. Concionantur interdum è Nostris

vno

Digitized by Google

vno tẽpore,domi,forisq; seni:Catechismus in foro traditur festis diebus,hũc excipit adhortatio ad circumfusam plebem nõ inutilis. Quo in munere Moderatores ipsi facem cæteris præferunt.Itum ad pagos finitimos multorum bono.Mitto conciliatos dissidentium animos.Restituta legitimis dominis bona, cędes compressas, insignes morum conuersiones:ne imperatæ breuitatis fines excedam.In iuuandis capite damnatis ita Proregi, Regioque Senatui Nostrorum probatur industria, & fides, vt vetuerint ne quisquam alius id muneris obeat.Constat autem id factum,vt pernicioſa quædam opinio, quæ nuper irrepserat,euelleretur è carcere. Primo Pentecostes die, qui Spiritui Sancto templi nostri tutelari sacer est, concionatus est domi Reuerendus Barcinonensis, sacrificauit Coronensis Episcopus, præsentibus Illustrissimo huius vrbis & Ilerdensi electo. Mox prandere voluerunt Episcopi duo apud nos, adstante Archiepiscopo hilari vultu,& non obscuras amoris notas præferente. Ciuium in nos benignitas cum pietate certauit.Vtraque & inceptа noui templi parte ad fastigium perducenda, & in eam è veteri æde transferenda Eucharistia vehementer enituit.Quam ad rem instituta more nostro, propter loci distantiam, ad pietatem magis,quàm ad splendorem, & fastum,pompa per vicos domi continentes, aulæis signis,atque vexillis ornatos,Prorege vnà cum Magistratibus vrbis vmbellam gestante, Episcopo Coronensi Eucharistiam manibus deferente,præeuntibus longo agmine viris trecentis cum facibus albis accensis, dulci symphonia latè personante.

HVIVS domus fundator declaratus est Pater Christophorus Beresius P.N.G.auctoritate.Is enim cùm esset honesto imprimis loco natus,& amplissimis Magistratibus sæpè perfunctus, vxore mortua, sacris initiatus,& tribus ab hinc annis adscitus in Societatem, statim ad-

Digitized by Google

iecit animum ad domum fundandam, atque haud ita multò post suæ in Patrem Ignatium pietatis fructum vberem tulit. Nam cum ilium dolore torqueretur acerrimè, vna illius subscriptione, quam pio acceptam osculo capiti fidenter imposuit, medico, alijsque admiratione defixis, momento temporis dolorem omnino depulit. Neque illud prætereundum videtur, quod Patri Melchiori Valpedrosæ huius domus Præposito contigit: quem, cum ex diuturna febricula intempestiuè surrexisset è lecto, febris rursus inuasit multo vehementior, atque periculosior, vt etiam de vita dubitaret. Huc etiam accedebat quòd grauissimo quodam cordis angore premebatur. In his ergo cum esset angustijs ad eiusdem subscriptionis auxilium, fiduciæ plenus confugit. Quam vbi religiosè exosculatus est, soluta repentè mœroris nebula, quæ pectus occuparat, ad pristinam redijt mentis serenitatem: cumque mox adessent Medici, multò etiam melius habere testati sunt, sicque bidui tandem spatio è febri conualuit. De Sodalitate Spiritus Sancti illud non tacendum, quod eius opera exempti sunt vinculis hoc anno trecenti & quadraginta quatuor.

COLLEGIVM VALENTINVM.

ETSI plures hoc anno, quàm superioribus proximis ægrotarunt; vnus tamen dumtaxat frater Abdon Balhesterius post diuturnam amentiam ereptus est nobis. Qui quasi animo præsagiret fore, quod paulò post accidit, vt exiret de potestate, maturè sese generali confessione in eum euentum comparauit. Quare ad superos euolasse credimus.

Eius

Eius locum quinque suppleuerunt bonę indolis, atque spectatę virtutis adolescentes. Exculti omnes per aliquot dies pijs Societatis meditationibus, nouos quosdam Spiritus, animosque sumpserũt. Quatuor è Nostris Gymnasium publicum adeunt, duo quidem Philosophię, alij verò duo Rhetoricę cauſa. Ex vtrorumque congressu, pijsque de Deo sermonibus, & exemplo non exiguus perceptus est fructus. E multis duo subiiciam. Primum subdiaconus quidam in magno condiscipulorum cœtu, ipso vt fit disputationis ardore incensus, colaphum ei, qui cum disputabat, impegit. Qui digressus inde, abolendæ ignominiæ cauſa arundinem parare dicebatur, qua percussoris terga pulsaret. Qua re cognita vnus è Nostris læsum adit, eumque oratione sua sic lenijt, vt exclamaret, quid sapientius, quàm mundi ludibria habere ludibrio, & ea pedibus trahere quæ tanti vulgo fiunt? Neque ea iniuriæ contemptione contentus iuuenem adit, à quo fuerat violatus, ab eoque manu prænenso prior veniam petijt, quòd iustam furoris cauſam attulisset. Ea res Societatis existimationem non mediocriter auxit. Alterum non absimile. Sacerdos quidam alium è scholasticis cùm malè verbis accepisset, Nostrorum hortatu, ab eodem sibi supplex postulauit ignosci, sicque incendium quod exarserat breui extinctum. Vidua quædam nouum vitæ genus ordiẽdi studio, vni è Nostris confiteri statuit; sed ea quòd esset opulenta varijs quidam artibus ad secundas nuptias allicere frustra conatus, duos tandem subornauit testes, qui iurati affirmarent apud Iudicem fidem sibi ab ea datam matrimonij. Annus in ea lite consumptus. Nec finis, donec testis alter hoc anno aqua afflictus intercute perijt, & sceleris auctor in mortiferum morbum incidit. Quare illa periculo, metuque soluta, nunquam desinit nobis secundum Deum gratias agere, à quibus in proposita sententia confirmata, voti compos

Digitized by Google

euasit. Festis diebus sub vesperum, pium aliquod ex Sanctorum historia narratur exemplum, centum, & eo amplius opificibus: mox venitur ad verbera. AEs alienum magna ex parte dissolutum. Dati præterea liberalitate multorum aurei 300. ad cõficiendas lipsanotechas duas, quibus vtrinque ornaretur ara maxima. Erectus denique paries in horto domestico, qui & aspectum, è proxima via spectantibus, & irrumpere conantibus aditum intercludit.

COLLEGIVM CÆSARAVGVSTANVM.

EMVLTIS, qui Societatem efflagitant, admissi sunt quatuor. Ciuium in nos liberalitatem cùm cætero anno, tùm Congregationis prouincialis tempore maximè insignem experti sumus, ita vt ad æris alieni partem non exiguam persoluendam redundarit. Iureconsultus quidam nostri ordinis amantissimus aureos mille in singulos annos nobis in morte legauit, ad fundandum vnâ cum alijs 600. à Fr. Hieronymo Oliuano relictis Oscense Collegium. Quamobrem Reuerendus admodum P. N. G. eam fundationem admisit. Alius item Iurisperitus Societatis studiosus imprimis ingenti tabula egregiè fictas imagines continente aram templi maximam exornauit. Ea aureis æstimatur mille sexcentis. Aucta etiam sacra suppellex ornatu plurimo, & vario. Lampas item argentea trecentorum aureorum pretio dono data, vt ante eãdem aram diu, noctuque colluceat. Adhæc fœmina quædam nobilis arcam nobis dedit condendo Christi D. Corpori hebdomada

Digitized by Google

mada ſacroſancta, ſerica veſte auro intexta ſuffultam, & argenteis extinſecus textam laminis, gemmiſque per interualla quædam auro, & argento circumcluſis, Dominicæ perpeſſionis inſignia referentibus. Stetit aureis trecentis. Archiducisſa Auſtriæ cùm hac forte tranſiret, Collegium noſtrum amâter inuiſit, nec niſi data ſtipe regia benignitate digna diſceſſit. Rex item Philippus, & Regina templum noſtrum ſuo aduentu illuſtrare voluerunt. Quin & Regina ipſa in anguſtiſſimo Deiparæ Virginis ſacello, cui à Columna nomen eſt, ab vno è Sacerdotibus noſtris ibi ſacrum faciente ſacram Synaxim accepit. Doctrina Chriſtiana quinque traditur locis, eiſque ſæpè exhortatio ſuccedit. Vtrimque fructus exiſtit labori par.

SODALITATES omnes, quarum vna optimatum eſt, altera opificum, tertia Theologorum, & Philoſophorum, quarta Rhetorum, & Grammaticorum augentur quotidie magis, & ſodalium numero, & pietatis ardore. Primæ alterius ſodales ſemel ſingulis menſibus publicum Valetudinarium adeuntes ægris abluunt manus, vngues præſcindunt, componunt lectos, & corpora ſimul, menteſque reficiunt. Quotidie verò ex his nonnulli à Præfecto delecti, ęgris prandentibus adſunt, & vinctos inuiſunt: quorum ex numero trecentos hoc anno vinculis ſoluendos curauerunt. Quadrageſimæ tempore ſingulis hebdomadis terna audiunt ab vno è Noſtris è vita Sanctorum exempla: quæ terna quoque ſequitur verberatio. Iuniores aliquot fœminę confeſſionis ope ereptæ è præſenti pudicitiæ periculo. Duæ ab impuro corporis queſtu abductæ & honeſtè collocatę hinc inde dote corrogata. Diebus etiam Beatę Virgini ſacris, modò tres, modò quatuor emergunt è turpitudinis cœno, ex ijs, quas Matrona quædam honeſtiſſima vnum in locum conuocatas ſuis ſumptibus alit, his diebus pro ſua in Virgine-

Digitized by Google

ginem pietate, Coniuges duo primæ nobilitatis, qui orto dissidio, de dissoluendo matrimonio cum totius Regni offensione cogitabant, Sacerdotis nostri opera in gratiam reducti concordissimè viuunt. Vir quidam ditissimus, bonorum facto naufragio, eò desperationis venerat, vt se in profluentem præcipitare omnino constitueret: sed obortа cælitùs luce perfusus ad nos venit, à quibus in optimam spem erectus est. Sæpe itum ad carceres, ad Nosodochia, ad pagos etiam vicinos, reditumque cum lucro, vt priuatæ, publicæque discordiæ sublatæ, confessionesq; à primis annis repetitæ non paucæ declararunt. E multis vnum attingam instar omnium. Quidam auditis Nostrorum concionibus, audacia concepta, virus quod latebat in pectore, parabat effundere; sed humani generis hostis ne elaberetur è manibus præda, nocte proxima ei cubanti non semel ita collum constrinxit, vt sudore madidus è lecto surgeret, arcteque complexus imaginem Christi è cruce pendentis, quam habebat in cubiculo sese defenderet. Vbi verò diluxit, statim venit ad Nostros, vulnera aperuit, sanatus est.

COLLEGIVM GANDIENSE.

PIETATIS ardor accensus, meditationibus Patris Ignatij, quibus expoliti sunt omnes. Concionante Sacerdote nostro Quadragesimæ tempore, mirabiles extitêre animorum motus, indices manantes ex oculis lachrymæ, & ab imo pectore ducta suspiria. Non defuit, qui in media concione profiteretur coram testibus se acceptam iniuriam, pro Christi amore libenter remittere. Eleemosynis inopia leuata

leuata multorum. Finitimi pagi concionibus, alijsque ex instituto muneribus cum fructu lustrati. Domi etiam nihil prætermissum quod ad animorum salutem pertineret. Quidam inimico necem inferre omninò decreuerat, eique non semel insidias noctu tetenderat, ita propositi tenax, vt facinus tam immane dissuadenti Sacerdoti nostro responderit, adduci se nullo modo posse, quin meditata perficeret. Denique abire parantem, secum in proximum templum Pater introduxit: procumbunt ambo primum ante aram maximam, deinde ante Sacellum Deiparæ Virginis, Diuinum vtrobique auxilium implorantes, sentit illicò Pater obortas homini lachrymas, surgit, ad genua accidit, per Christum, perque Virginem Matrem orat, & obsecrat ne fraternum effundat sanguinem. Hic ille pudore suffusus exclamat se nefarium illud vltionis consilium prorsus abijcere: quòd si iterum ad facinus stimuletur à Dæmone, sponte cessurum oppido; ne qua ignis scintilla relinquatur.

BIBLIOTHECA libris instructa lectissimis, opera P. Iosephi Villegas, & templum plurima veste serica, & auro purpuráque distincta, vasis item argenteis magni pretij ad vsum sacrificij: denique sacrario, omniũ quæ visuntur in hac Prouincia, longè pulcherrimo. In Gymnasio nostro Philosophiæ, ac Theologiæ laurea delata nonnullis, præsentibus semel, atque iterum ducibus, quorum benignitate auctum etiam est Collegij vectigal aureis triginta in annos singulos. Rex etiam Philippus cum hac iter haberet, Collegium nostrum peramanter inuisit. Instituta Sodalitas, in quam præter ducem, qui supplex à Patre Rectore petijt, vt se in eam adscriberet, dedêre iam nomen è primoribus multi, qui ad pias exercitationes præstitutis diebus summo studio conueniunt, nihilque vehementius exoptant, quàm vt ea ad Romanam aggregetur. Festum Conceptionis Deiparæ diem

expiatis

Digitized by Google

expiatis animis,& sacro simul pane refectis,concione, litanijs,Oratione Latina & Dialogo,ara tunc primum collucentibus cereis tutelari Dei Matri ritè dicata,varióque carminum genere concelebrarunt. Quàm verò grata sit Deo eiusque Matri noua Sodalitas, vel illud argumento fuerit, quod cum tabella quæreretur, in quam Sodalium nomina referrentur, inuenta casu, an diuino consilio, quædam alium in vsum multo antè comparata, totidem ordinibus distincta locorum quot erant nomina scribendorum. Hi erant 56. quem numerum explerat quidam, qui ad diem dictum nomen suum dare recusauerat. Is nocte proxima vigilans,ita intimis sensibus angi, premique cœpit, vt sibi animam agere videretur. Et quanquã initio Sodalitatis recordatio animum stimulabat,in proposito tamen permanebat. At cùm rursus eodem angore premeretur vehementiùs, vt frigido sudore manaret totus,viso etiam splendore quodam, omninò statuit apud se Sodalitatem inire,sicque angor omnis abscessit;postridieque mane,vbi rem omnem, vti gesta fuerat,exposuit, in eam receptus est. Alij non pauci,& in ijs Canonici aliquot idem efflagitant,sed iustis de causis excluduntur.

COLLEGIVM BALEARICVM.

EXTINCTVS hoc anno Collegij fundator, Raymundus Veri, vrbis huius Bayllius, elatusque equitum humeris in templum nostrum,celebri pompa,magnoque,& Cleri totius, & omnium ordinum comitatu. Præibant cruces quatuordecim, habita ab vno è Nostris funebris concio, qua virtutes illius, & facta præclara commemorauit. Octauo

ctauo post die celebratę Collegij nomine exequiæ pari concursu: habita etiam oratio à Nostro Rhetoricę Professore, non sine plausu. Addita varietas carminum. Sacellum arę maximæ ædificari cœptum, cadaueri sepulchro, vt erat testamento cautum, religiosè mandando, quam ad rem collati iam sunt aurei mille, & ducenti. Equitum cœtus suauem virtutum odorem tota vrbe diffundit. Decretum hoc anno communi omnium consensu, vt quater singulis annis Sodalium expensis prandium præbeatur vinctis simul, & ægris. Alter etiam scholasticorum cœtus & pietate crescit, & numero. Inchoatum hoc anno alterum Philosophiæ curriculum, nondum superiore confecto, ne auditores nostri aliò, vt sæpe fit, dilaberentur audita Rhetorica. Patris Nostri Ignatij sanctitas nouis subinde miraculis fit illustrior in hac insula: quæ omnia, quoniam seorsim tabulis publicis testata, & consignata, mittenda sunt Romam, hic omittenda duximus.

COLLEGIVM GERVNDENSE.

PLERIQVE vacauerunt exercitationibus spiritualibus Patris Ignatij. Ex concionibus autem, cæterisque muneribus tàm domi, quàm foris in missionibus, is extitit fructus, qui solet. Illud proprium, quod septem fœminæ flagitiosæ, audito concionatore Nostro, Quadragesimæ tempore, ad honestatem traductæ, quarum vna duas etiam filias, quarum pudicitiam prostituerat cum offensione multorum, secum ad Nostros causa confessionis adduxit. Vbi illud accidit ad Dei gloriam illustre, quòd cum lupus, cui vna earum commissa fuerat, ægrè ferens prædam sibi è faucibus

Digitized by Google

bus præripi, ijsdem penè vestigijs ad templum peruenisset, rem subodoratus Sacerdos noster hominem adit, eique tandem persuasit, vt vitam mutaret in melius. Christianæ fidei rudimenta quinque locis traduntur insigni cum fructu, vt fœminæ, quæ cæteris dux erat ad Venerem, conuersio, audita eius sceleris fœditate, monstrauit. Legitimo coniuncti matrimonio nonnulli; vxores item duæ ad fidem coniugij seruandam inductæ. *Alia à primario quodam viro litteris internuntijs, prece, pretio, omnibus* denique modis solicitabatur *ad facinus. At illa* ne ad aures quidem admissis his *omnibus, constans* semper in proposito permanebat. Cum hæc non successissent, alia homo procax aggressus est via. Ratus enim muliebrem animum qui preces, atque promissa respuisset, minis, atque terrore facilè victum iri, minatur daturum se operam, vt quidam eius necessarius in vinculis miserè pereat. Sed cum illa forti animo respondisset, per se quidem licere eum, si ita meritus esset, è trabe suspendi: fœdam rursus in facie plagam comminatur. Hic illa, quid? existimat me, licet martyrij, licet ignominiæ metu Deum offensuram? etiam si corpus hoc in frusta discerpat, *nihil* vnquam extorquebit. Hæc deindè perrexit ad nos confessionis, & consilij causa: vbi diuinis armis instructa, nullam refugit dimicationem pro conscientia tuenda. Alius fidem alterius, castitatemque tentauerat, sed ex Sacerdotis nostri eiusmodi sceleris fœditatem exaggerantis oratione concepto timore, ita affectus est animo, vt cum amplam impunè peccandi occasionem nactus esset, dictorum memor, toto corpore contremuerit, & quasi Sacerdos ipse supplicium minitans, ob oculos versaretur sese continuerit in officio.

S. I. D ian. ad Grammaticæ scholas veniamus. Cum D. Iacobus Aguilana Ecclesiæ Gerundensis Archidiaconus maior, studio eruditionis bonis litteris, ac moribus iuuen

iuuentutis egisset cum P.N.G. vt eam Nostri prouinciam in hoc Collegio à se, suisque fundato susciperent, Gymnasium tribus aulis, theatro, atrioque pulcherrimũ nobis ædificauit, illudque sex præterea cubiculis, & deambulatione supernè constructis, cum cætera domo coniunxit. Quod igitur felix faustumque sit, repugnantibus licet quibusdam à nobis nonnihil alienis, scholas aperuimus postridie D. Lucæ, habita ab vno è Nostris Præceptoribus oratione, magna cum omnium ordinum, & Episcopi voluptate, ac gratulatione. Qui carminum etiam, quibus noua theatri, atrijque facies ornabatur, varietate, & elegantia mirificè captus, ea ad se deferri voluit, vt attenta lectione per otium liberiùs illis frueretur. Paucis verò post diebus, humaniorum litterarum Seminarij Magister orationem publicam habuit, eodem planè concursu, plausuque. Duæ Grammaticæ classes institutæ, suprema Seminarij, quod fundatoris ipsius rogatu huc è Gandiensi Collegio translatum est: Auditores nostri decem: externi verò centum quinquaginta numerantur. Datum doctrinæ specimen domi, forisque. Nam prandente apud nos eo die, qui D. Martino collegij patrono solemnis est, fundatore nostro vnà cum alijs nonnullis de Societate benemeritis, habita fuit ab alumnis Seminarij sex linguarum oratio, non minore accumbentium voluptate, quàm admiratione. Duo item ex discipulis externis ipso ortus Christi D. peruigilio, vti quotannis mos est, flagitantibus Canonicis perorarunt, vnus quidem in templo maximo, alter verò in æde S. Felicis, tanta vterque venustate, vt & Societatis existimationi, & expectationi audientium pro dignitate responderint.

Digitized by Google

COLLEGIVM BILBILITANVM.

NOVO è 14. decessêre, magno vterque sui desiderio relicto: Prior quidem Pater Laurentius Fonzillas professus trium votorum, cuius spectata in primis integritas, obedientia, animiq; submissio. Vixit in Societate annos 28. ita addictus confessionibus, præcipuè tenuiorum, & egentium, vt alacer & sine cunctatione ad templum, ad Xenodochia, ad carceres, quocumque denique vocaretur, accederet. Posterior verò F. Georgius Peresius, insita animi lenitate, morum candore, obedientia, laborisque studio non minus admirabilis, quàm amabilis omnibus. Paucitas operariorum, diligentia, & studio sui, alieniq; profectus compensatur. Domi, forisque diu, ac noctu strenuè laboratur. In æde maxima vnus è Nostris, alij item in vicinis oppidis Quadragesimæ tempore concionati, multis profuerunt. In confessionibus non frustra positus labor. Matrona quædam cùm famulæ esset iratior, ne contumelijs, quas furor ministrabat, eam oneraret, sibi conlaphum impegit; vt vel sic assuesceret iracundiam temperare. Quidam laqueum parauerat, quo vitam, quam præ inopia sustentare non poterat, morte finiret; verùm perductus ad vnum è Nostris, benè de diuina bonitate, ac prouidentia sperare visus, & collecta adiutus stipe discessit. Fœminæ quatuor impuram viuendi rationem honesto matrimonij iure mutarunt. Scholæ Grammaticæ auditores numerant supra quingentos. Instaurata hoc anno studia declamationibus quatuor de quatuor anni temporum dignitate, atque præstantia, vniuersæ quæ aderat Ciuitati non mediocrem voluptatem

Digitized by Google

tem attulêre. A Sodalibus B. Virginis multa piè gesta ad vicinam pestem auertendam. Nam & bis in hebdomada sese flagris cæciderunt, & quotidie B. Virginis litanias recitarunt. Ex his ad Societatem vnus, aliò nouem animum adiecerunt. Ad ædificationem noui Collegij aurei dati octingenti.

COLLEGIVM TVRIASONENSE.

DOMVS hoc anno exiguo sumptu in formam redacta meliorem, nostrisque vsibus magis accõmodatam. Subsidio fuêre aurei 250. piorum benignitate collati. Pari etiam hîc Sodalium pietate certatum ad pestem, quæ non longè ab vrbe grassabatur, arcendam. Missi Patres duo, Aduentus tempore, in oppidum frequentissimum, maximos fecerunt motus animorum: templa omnia pœnitentium agminibus complebantur, & vt vno verbo complectar, Niniuen diceres. Temerè iurandi consuetudo sublata. Expulsæ concubinæ. AEs alienum restitutum. Auditi de tota vita permulti, & in his vnus, qui annum iam vndetrigesimum vtroque sacramento abstinebat. Ad Catechesim audiendam ipsi etiam Proceres, vtilitate, vt ipsimet affirmabant, illecti, ventitabant. Maritus quidam redijt ad vxorem, à qua publici sceleris causa discesserat: filius item parentem non minus ætate (agebat enim annum septuagesimum quintum) quàm morbo affectum exegerat domo, magna oppidi totius offensione. Is concionibus ita permotus est, vt Sacerdotem nostrum statim adierit, & inde in Valetudinarium, quo Pater olim diues, paupertatis, & morbi causa concesserat: quò cùm venisset, ante lectum de-

Digitized by Google

cumbentis sine mora procumbens, multis cum lachrymis ab eo veniam petijt, eumque secum reduxit domum, non sine gratulatione multorum. Coruenæ duo templum, vbi tùm forte de amore erga inimicos dicebatur, ingressi, ita sunt repentè mutati, vt alter arma, quæ contra familiam quandam sumpserat, sponte deponeret: alter in ignem inijceret chartam, qua oppidanos quosdam ob illatas sibi iniurias Sacrorum communione priuãdos curauerat. Data opera, vt in posterum Sacerdotes duo doctrinam Christianam more nostro publicè tradant pueris, & adultis rudioribus.

COLLEGIVM BARCINONENSE.

DVO hinc migrarunt in cœlum, quantum ex morte vitæ laudabiliter actæ consentanea conijci potest. Primus Mathias Alcocer magnæ spei, probitatisque Theologus, cuius in diuturna corporis tabe animi virtus eluxit. Alter P. Guillelmus Olto, natione Anglus, qui è triremibus regijs mortifero affectus morbo, huc appulit. Mirus externorum auditorum ad Doctores nostros concursus. Theses annuas illustriores reddiderunt aduentu suo, cùm viri quique grauissimi omnium ordinum, tum potissimum Consules cum insignibus, iucundum planè omnibus spectaculum, & insolitum. Ea porrò est Nostrorum doctrinæ apud omnes existimatio, vt sæpe de quæstionibus ad officium pertinentibus consulantur. Catechismus quatuor locis explicatur diebus Dominicis. Singulis verò hebdomadis Aduentus, & Quadragesimæ, scholastici, alijq; non pauci ternas adhibent verberationes, reliquo anni tempore

Digitized by Google

pore binas; vtrasque exempli narratio fructuosa præcedit. Confessionum fructus minimè contemnendus. Virgines quinque sexve varijs sese religiosis ordinibus addixerunt. Vtraque Congregatio, scholasticorum videlicet, & opificum, assiduis exercitationibus non parua quotidie capit incrementa. Neque ex missionibus minor extitit fructus: superstitionum abusus expulsus, & aleæ; malè parta dominis; & viris nonnullis vxores redditæ. Maritus vxori, alij duo inimicis necem struebant: sed Nostrorum suasu ab ea mente diducti.

DOMVS PROBATIONIS TARRACONENSIS.

IN vicina oppida catechismi causa dimissi tyrones, multis per eam occasionem saluti fuêre. E veteranis verò vnus filiũ cum matre, sorore, sororisq; viro, à quibus septimum iã annum cum offensione ciuium dissidebat, reduxit in gratiã. Quidam alius à cæde fraterna, quam parato veneno coquebat animo, Sacerdotis nostri oratione deterritus. Sacerdotes duo in finitimos profecti pagos, cum multa præclara gesserunt, tum illud in primis, quod iniquas multorum pactiones rescindendas, atque adeò malè partam pecuniam suis dominis reddendam curarunt. In oppido quodam omnes incolæ animos sacris expiarant, præter duos, tresvè, è quibus vnus cum in postrema catechesi à Patre nostro de filiorum aduersus parentes pietate verba faciente, tritum illud audisset exemplum de bufone, qui in filij cuiusdam ingrati faciem irrepserat, postridie mane Patres qui in aliud oppidum discesse-

Digitized by Google

rant, adijr, palamque confessus est, se simili ferè exemplo, licet pœna dissimili, neglectæ in parentem pietatis admonitum. Nam cùm artis, quam exercebat, instrumentis manum admoueret, ingentem bufonem offendit, cuius aspectu totus inhorruit. In alio quodam oppido iuuenes in duas diuisi factiones, mutuam sibi necem nocturnis incursionibus moliebantur: sed Dei benignitate factum est, vt cùm publica, tùm priuata Nostrorum oratione arma cum odio deposuerint. In alio verò animam agebat infantula recens nata, quam rudis obstetrix illis verbis baptizarat, Ego te baptizo in nomine Dei, atque Deiparæ. Adfuit in tempore Sacerdos Noster, qui eum errore cognito, quòd procul aberat Parochus, ritè baptizauit. Quidam ita oderat Sacerdotem toto quinquennio, vt cum ab illo pro officio sacrum viaticum deferretur, ad ægrum quemdam domi suæ decumbentem, è lecto, vbi æger ipse iacebat, exiliens aditu prohibuerit. Multis, & auctoritate, & dignitate principibus viris suam ad eum placandum auctoritatem frustra interponentibus, placuit Deo per vnum è Nostris implacabilis odij flammam ita extingui, vt se mutuis nunc officijs, singulari cum beneuolentiæ, amorisque significatione prosequantur.

COLLEGIVM VRGELLENSE.

REVERENDISSIMVS D. Andreas Capilla Vrgellensis Episcopus, vt est non Societatis modò, sed communis etiam vtilitatis studiosus, nihil antiquius habuit, quàm vt Collegium nobis ædificaret, quod esset quasi propugnaculum vicinis Hæreticis oppositum, & veluti ara quædam vnde Nostri

Digitized by Google

Nostri in omnem illam longè, lateque patentem diœcesim excurrerent. Quare cum superiore anno aureorum viginti quinque millia benignè promisisset ad fundandum in præcipua suæ diœcesis vrbe Collegium, hoc anno fidem soluit. Itaque ei debitum fundatoris nomen P. N. G. auctoritate delatum est. Interim verò dum commodam nobis ædem à fundamentis excitandam curat, domum quamdam satis laxam, & nostris muneribus obeundis aptam emit, vbi nunc eodem flagitante quinque versantur è Nostris: quorum tres Sacerdotes, Fratres duo. Fuit eorum aduentus vrbi gratissimus, vt dies initæ possessionis, Antistite ipso, multa de nobis pro concione prædicante, non obscurè demonstrauit. Sic verò pauci illi munera partiuntur inter se, vt duo foris lucra quærant animarum, cæteri domi manentes ad ciuium salutem incumbant. Et vt se dant initia, speramus fore, vt ex illius agricultura vberiores quotidie fructus colligantur.

Digitized by Google

PROVINCIA BOETICA.

VERSANTVR in hac Prouincia Socij quadraginti quinquaginta tres. In Hiſpalenſi Profeſſorum domo Sacerdotes viginti ſeptem, Coadiutores triginta tres. In Hiſpalenſi Collegio tres & viginti Sacerdotes, totidē Scholaſtici, Coadiutores ſeptemdecim. In Seminario Anglicano Patres quatuor, Fratres totidem. In Cordubenſi Sacerdotes vndetriginta, Scholaſtici ſeptemdecim, Coadiutores octodecim. In Granatenſi vnus ſupra viginti Patres, Scholaſtici ſeptem, Coadiutores quatuor, & viginti. In Montellano Patres ſeptemdecim, Coadiutores nouem, Scholaſticus vnus, Tirones vndequadraginta, ex ijs Coadiutores nouem. In Aſtigitano Patres ſeptem, Scholaſtici quatuor, Coadiutores tres. In Triguerenſi Sacerdotes octo, Coadiutores duodecim. In Malacenſi nouem Sacerdotes, Scholaſtici duo, Coadiutores duodecim. In Baezano Patres quinque, Coadiutores ſeptem. In Gaditano Sacerdotes quatuor, Coadiutores quinque. In Marcenienſi quinque Patres, octo Coadiutores. In Gerezano Patres quinque, Coadiutores

Digitized by Google

iutores quatuor. In Carzolano Patres ſeptem, totidem Fratres. In Vbedano Sacerdotes quatuor, Coadiutores tres. In Fregenalenſi Patres quatuor, Coadiutores duo. In Gaudixienſi duo Sacerdotes, totidem Coadiutores.

DOMVS PROFESSORVM HISPALENSIS.

VIVS anni communia cum præteritis, quæ vel me tacente loquũtur, & occultata quamlibet ſua ipſa ſponte foras eminent, ſilentio potiùs prætereunda ſunt, quàm toties inculcanda. Quid enim referam Sacramentorum myſteria non minori hominum conuentu celebrata, quàm fructu? quid obliteratis penitùs offenſionibus, redintegratas amicitias, reſtincta contentionum incendia, mulierculas à turpi quæſtu reuocatas, reſtitutiones factas, elementarios pueros inſtitutos, vinctos, & ægrotos aditos, Catechiſmi explicationem per vicos, & compita, habitas cum ingenti fructu conciones, admirabiles animorum commutationes, aliaque ſimilia, quæ faciliora ſunt æſtimatu, quàm dictu? Quibus vtpote communibus prætermiſſis, propria vniuſcuiuſque Collegij breuiter attingam.

INITIVM igitur dicendi ſumam ab obitu eorum, quibus Profeſſorum domus orbata eſt, qui & præclara virtutum exempla, & ſui etiam triſte nobis deſiderium reliquêre. Primus obijt Franciſcus Pelaio Coadiutor formatus, ex oppido ſancti Cypriani, diœceſis Palentinæ, anno ætatis ſuæ quinquageſimo quinto, Societatis verò trigeſimo quarto, qui propter ſingularem virtutem omnibus eximiè charus erat. Secundus Garciarias Coadiutor formatus ex oppido Caceres, poſt ſextum & qua-

Digitized by Google

dragesimum ætatis annum, Societatis verò decimum septimum, vir quidem simplex, & spiritus ardore feruens. Tertius Laurentius Rodriguez, Coadiutor formatus triginta circiter annorum, quorum vndecim in Societate egerat: Is dum Nostris pestilentia laborantibus inseruit, eodem morbo absumptus est. Quartus P. Martinus de Guerre, ex oppido Cabeça la Baca, ad quadragesimum octauum annum ætatis, Societatis verò tertium, pestilentiæ lue extinctus est. Quintus P. Petrus Ecixano Coadiutor spiritualis, ex oppido la Rambla, diœcesis Cordubensis, quinquaginta octo annos natus, quorum viginti octo in Societate vixerat, pestilentia sublatus fuit, vir quidem in audiendis confessionibus assiduus, orationiq; apprimè deditus. Sextus Ioannes Martinez Coadiutor formatus plus quàm sexaginta annorum, eorum triginta & eò amplius, in Societate degerat, vir simplex, & rectus, ac boni Societatis nostræ studiosissimus. Septimus Martinus Rodriguez, Coadiutor formatus quadragesimum secundum annum natus, duodecimum verò in Societate versatus, Lusitanus ex oppido Redesezo, diœcesis Bracharensis, pestilentia correptus est. Octauus Pater Franciscus de Montoia, Hispalensis, triginta quinque annorum, eorum viginti vnum in Societate fuerat, spectatæ sanè virtutis vir, peste consumptus est. Nonus Ioannes de Mediano, natione Cantaber, Tyro vndecim mensium, virtutis admodum studiosus, perijt pestilétiæ morbo. Decimus P. Ludouicus Lopez, sexagesimo tertio acto iam anno, & in Societate trigesimo, ex oppido Estepa, vir planè omni virtute conspicuus: qua propter æquè omnibus dilectus, & æstimatus pestilentia correptus est. Vndecimus Petrus de Valdiuia, Coadiutor formatus, ex oppido Companario, trigesimum quintum annum agens, in Societate verò decimum septimum. Duodecimus P. Antonius de Ajala Granatensis, quadragesimum nonum

iam

iam annum egerat, & in Societate vigesimum octauum, quatuor votorum professus, vir quidem cum doctrinæ singularis, tum etiam virtute insignis. Is Baecano, & Marcenensi Collegio præfuit. Decimus tertius Ioānes de Duennas vigesimo primo iam expleto anno, secundo verò & dimidio in Societate exacto. Decimus quartus Pater Ludouicus de Sanctander Astigitanus, septuaginta duos annos natus, triginta septem intra Religionis septa vixerat, ac fidem Deo quatuor votis obligauerat: Ingressus fuit in Societatem Sacerdos, fuitque primus, quem Pater Natalis in hac Prouincia Cordubæ, etiam ante illius Collegij fundamenta iacta, in Nostrorum numerum adscripsit, iam inde à tyrocinio Societatis munia obire cœpit, plurimorum Collegiorum fundationes promouit, ac Societatis nomen multis in locis latè propagauit. In insigni illa Cæsarauguſtana persecutione is fuit, qui habita ad populum concione, ciuium animos leniuit, atque sedauit. Castellanæ Prouinciæ Procurator electus anno millesimo quingentesimo octuagesimo septimo Romam petijt, vbi in re quadam aduersa eam animi constantiam, ac fortitudinem retinuit, vt ad exemplum omnibus enituerit, suamque virtutem tam domesticis, quàm externis planius testatam reliquerit. Tandem in hanc Prouinciam venit, & quamuis senex, infirma valetudine, viribusque exhaustis, ita in excipiendis confessionibus sedulus fuit, vt ne firmissimis quidem, robustissimisque concederet. Erat Pater natura mitis, animo fortis, charitate singularis; nullum excludens, quibus cum omnibus charus esset, omnium sibi animos facilè conciliabat: id quod eo tempore, quo Nostris in Societate præfuit, triginta videlicet annis maximè perspectum est. Mira fuit in agendo cum Nobilibus, eorumque tractandis animis dexteritate. Ac ne singula prosequar, talis is demùm extitit, quales Nostra Societas requirit: eximia

quadam

quadam fuit erga B. N. Patrem Ignatium pietate, de qu[o] summa semper veneratione loquebatur, & in hoc morbo quo assumptus est, ipsius precibus, & meritis se summis à Deo cumulatum beneficijs sæpissimè dixit. Nuncio suæ mortis accepto, sublatis in cœlum manibus ingentes quidem gratias egit, & tantam, tamque eximiam lætitiam, atque hilaritatem, tam summam etiam obtinendæ felicitatis æternæ confidentiam ostendit, vt præsentes omnes & ad admirationem maximam, & ad pias simul lachrymas excitaret. Obijt peruigilio expectationis B. Virginis, quam dum vixit, præcipua quadam pietate venerabatur. Eius obitus, vtpote viri optimi, atque vtilissimi, non solùm domesticorum, sed externorum etiam animos ingenti doloris acerbitate sauciauit.

PERSPECTVS est hoc anno in Nostris spiritus feruentioris ardor: omnes quippe ferè hac in domo commentationibus spiritualibus exculti sunt: summa fuit animorum contentio, mortificationis extremæ, ac demissionis propriæ cura vigilantior. Videbantur quidem ad pestis subsecuturam calamitatem à Domino præparari. Huic tam egregiæ dispositioni fructus vberrimi respondere; ij scilicet, qui tanquam nostræ Societatis proprij, à Nostris auidè exoptantur. Multi ad nos & consulendi, & consilij petendi causa confluunt, in quo haud obscurè cernitur, quanta sit apud externos nostræ Societatis æstimatio. Sodalitas quædam Clericorum singulis Dominicis diebus lectioni, colloquijsque spiritualibus, ad instar collationis spiritualis vacantium, institui cœpta est. Conueniunt etiam ex Ecclesiastico Senatu nonnulli. Præest Sacerdos vnus è Nostris, ad eosque accommodatas exhortationes habet, & (vt sese dant initia) fructus in posterum prænunciantur vberrimi. Die Christi Circumcisionis sacro, Dominicani Patres nostrum festum, vt solent, aduentu suo cohonestarunt. Filius Ducis

de-

Digitized by Google

de Vezar, qui hæres primarius erat ditionis illius, concionatus est. Vespertinæ precationes, ac Missæ sacrum ab alumnis Anglicani Collegij solemni ritu, ac cœrimonia, cantu composito, decantatum est, qui cum propter summam in canendo dexteritatem, tum etiam propter nouitatem rei maximam habuêre celebritatem, & plausum.

IN HAC Vrbe communis pestilentiæ vis, ita longè, lateque peruagata est, vt ciuitatem magna ex parte perpetuis ferè funeribus exhauserit. Quo tempore tanto attentiori studio à Nostris laboratum est, quanto præclarior illis sese offerebat occasio. Quandiu enim lues vrbem occupatam tenuit, ij externis ægris, nullo habito personarum discrimine, non secus ac domesticis affuêre, & quo magis hæc Nostrorum facilitas, & communi necessitati subueniendi desiderium omnibus pateret, tum domi, tum in templo maximo id in concionibus vulgatum est. Primum ergo tam illustri, & glorioso muneri oblati sunt Sacerdotes duo. Alter P. Petrus Ecixano, forti animo, & singulari virtute vir. Is annis etiam præteritis, quibus pestilentiæ contagio hanc eandem vrbem afflixit, summo animi ardore & incredibili proximorum zelo excipiendis ægrotorum confessionibus diligentem operam nauauit, quem (vt idem dixit) voti religione sese astrinxisse scimus, petendi vt sibi potestas fieret causa confessionum adeundi in quamlibet Prouinciæ partem, quæ pestilentia laboraret. Alter Pater Martinus de Guerra, & ardore, & magnitudine animi suo Socio quàm simillimus, quorũ insignis opera rũ animis, tũ ægrotantiũ corporibus diligenter impensa, eò vsq; perducta est, vt in tã singulari charitatis opere, extremũ vitæ diem morte cõficerent. Primus pestilentiæ vulnus accepit P. Martinus de Guerra, qui horas duas, & eò amplius prostratus humi in ægroto quodam consolando posuerat, cuius ira

iace

iacebat animus, vt aliquam sibi consolationem adhiberi ab eo quàm enixè contenderet: secus enim se damnatum ira existimabat. Tanta necessitate commotus Pater peracta confessione, prædicto tempore illi iam morienti affuit, & nobis postea confirmauit se libenti animo, mortis periculum adire, quòd hominem illum vt diuina fretus gratia arbitrabatur, Deo peperisset: Is vi morbi intra quatriduum absumptus, summa animi pace, alacer, lætusque migrauit: Cuius Socius P. Petrus Ecixano octauo suæ infirmitatis die, non minori lætitia, & sui spiritus tranquillitate discessit. Horum Patrum præclarum ac singulare pietatis exemplum ita in hac ciuitate præluxit, vt sancti, & martyres Christi pleno ore appellarentur. Nec ob eorum interitum Valetudinarij adeundi cura intermissa est, quin potiùs alijs, alijsque sibi inuicem succedentibus, instaurata, & post discessum etiam aliorum Religiosorum ac ipso Valetudinario, nihil à Nostris de eundi assiduitate, nihil de constantia remissum est. Quod ita æstimauit ciuitas, vt sedata iam pestilentiæ vi, ad nos miserit, qui quàm maximas suo nomine, quàm cumulatissimè gratias agerent, peterentque vt iam illuc ire desisterent: neque enim nisi ipsorum rogatu, adiri destitum est. Placuit autem diuino numini eos, qui demortuorum loco suffecti sunt, quamuis diutiùs Valetudinarium frequentarent, ab omni prorsus contagione intactos, salvos, incolumesque seruare. Toto autem pestilentiæ tempore consuetæ Ecclesiæ preces, quas Litanias vocant, personantibus cymbalis, festis etiam diebus Eucharistia sacra publicè proposita, ac vesperi concione adhibita, in templo nostro, recitatæ sunt: tantusque fuit numerus obeuntium Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta, vt solemne Iobilei diem referri videretur.

DOMVS laxari cœpit ædificio nouo, quod iam ad exitum vergit. Tres illius partes propè iam confectæ sunt

sunt, atrium est satis amplum, cuius inferiores patent porticus, superiores verò clausæ sunt fenestris solummodò apertis. Vestibulum egregiè concinnatum introeuntibus aditum præbet, vbi accommodatæ quædam cellulæ ad excipiendas confessiones ædificatæ sunt. Suprà bini parietum exsurgunt ordines in cubicula distributi: in summo autem egregiæ quædam eminent mœnianæ, ad prospectum simul, & venustatem. Totum ædificium satis firmum est, visendum planè, & elegans, sed religiosum, atque ita apud externos maximam habet celebritatem, & plausum. Ad quod hoc anno liberaliter sunt collata non pauca, aliqua etiam nobis testamento legata, plura præterea eleemosynæ nomine donata sunt. Obijt matrona quædam Illustris, nobisque bis mille aureos nummos legauit, cui octingenti in annuos redditus soluebantur, quibus nostrum prædium obstrictum erat, & hac legatione, hoc censu liberatum fuit. Præter argenteam lampadem, quam ciuitas nobis elargita est, trecentos etiam nummos aureos, ad compensandos sumptus, qui facti sunt, nobis liberaliter donauit. Ornamentis aliquot, alijsque ex argento fabrefactis aucta est sacra suppellex: binæ etiam cameræ, instar odæi, ex aduerso aræ maximæ ad sacrum audiendum exædificatæ sunt. Duo ex Nostris eum obiêre locum, qui vulgò, Almadrabas, appellatur, aliaque vicina oppida lustrarunt, vbi cùm magna fuisset oblata seges, perutiliter laborarunt. In vno ex his oppidis, vbi non sine graui eius offendiculo, ac detrimento, aliqui mutuis inter se odijs distracti erant, qui Nostrorum opera, & industria reconciliati sunt.

COL.

Digitized by Google

COLLEGIVM HISPALENSE.

TRES è Noſtris hoc anno deceſsêre, alius P. Ioannes Ruiz Montellanus, *quatuor votorum* profeſſus, iam quinquagenarius, *Rectoris, ſocij* Prouincialis, ac *Viſitatoris munere* perfunctus. Alius Geneſius Ruiz coadiutor ex oppido Lorca, & pluſquam quadraginta annos natus. Alius Blaſius Moreno Coadiutor tyro, quindecim dierum peſtilentia abreptus fuit. Res huius Collegij arctæ nimis fuerunt, & anguſtæ, tum ob plurium ſupra quàm poteſt ſuſtentationem, tum etiam ob molendini defectum: eius enim cauſa factum eſt alias ne Collegium tanto ære alieno premeretur. Quàm multa in ſacram collata ſunt ſuppellectilem! Nam præter grandem calicem, ac circulum argenteum inauratum, illuminatum ſpecularibus, ad Chriſti corpus collocandum, qui bis mille argenteis ſtetit, *donatum* eſt aræ frontale quoddam, cum caſula ex purpureo ſerico gauſapino, ex auro admirabili ſplendore contextum, vrnaque cum rocheto, alijsque ad altaris decus, & venuſtatem ſpectantibus, quod octingentis aureis valebit. Inſuper donatæ ſunt ampullæ inauratæ quæ octoginta nummis aureis æſtimantur. Coempta *præterea* infantis IESV effigies pulcherrima, quæ octingentis conſtitit nummis aureis. Confectum etiam eſt trecentorum aureorum expenſa viſendum quoddam, venuſtumque ſepulchrum, ad ſacratiſſimum Chriſti corpus condendum, iuſtaque ſolennia perſoluenda. Gymnaſij conſtructio quamuis materiæ ad ædificandum neceſſariæ ingens vis & copia congeſta ſit, abſolui tamen non

Digitized by Google

non potuit: nondum enim soluta fuit pecunia, quam ad inchoandum opus ciuitas liberaliter elargita est.

MAGNVS fuit in Nostris ardor spiritus, magnus in virtute proiectus, idque multis argumentis perspectum est. Hinc profecti sunt Sacerdotes duo, alter Theologiæ, alter verò Latinitatis Professor ad missionem quamdam satis grauem, & periculosam in classe, quam Præfectus Castellæ maximus ducebat, in quo quis fuerit laborum fructus, frequens confessionis vsus ostendit. Quamplurimi enim milites antequam è portu tollerent, sordes animi eluerunt, in ipsaque naui singulis diebus ad fundendas ad Deum preces, milites conueniebant, & ad dolendum perfectè de peccatis ex formula quæ in charta papiracea malo affixa scripta continebatur, id quod admodum salubre fuit. Cum autem plures in graues incidissent morbos, Nostrorum qui melius habebat, vt conspectis nauim affectis corporibus refertam, formidine in misericordiam versa, ægros omni ope iuuare statuit. Ergo laborantium peccata expiare, ægrotorum corporum sordes abstergere, cibos illis condire, & in eorum etiam ora inserere, atque adeò de necessario sibi victu detrahere, aliisque, qui grauiori premebantur inopia benignè subministrare cœpit. Quo id effectum est, vt eorum sibi animos conciliaret, magnamque Societatis æstimationem omnibus ingereret. At Deus horum laborum, quos multos, & magnos sustinuerat, citò præmia persoluere quàm differre maluit. Igitur antequam è naui descenderet, in morbum teterrimum incidit, quo deinde in nostro Gaditano Collegio extinctus est. Vnus è Nostris aliquot commoratus est dies, satis quidem vtiliter, in oppido vulgò Alcalà del Rio, vbi nostrum Collegium pingue Sacerdotium obtinet: tantum enim assiduis concionibus profecit, vt omnes ad eluendas animi maculas, multi à prima etiam ætate inustas, turmatim

Digitized by Google

confluerent. Iam vehemens in Noſtris exarſit deſiderium adeundi Noſocomium eorum qui peſtilentia laborabant, vt id à P. Prouinciali ſummis precibus enixè contenderent. Quod licet non obtinuerint, audiendis tamen confeſſionibus multorum varijs morbis laborantium, à quibus accerſebantur, & plurium etiam aliorum in domum Noſtram confluentium, ſuo deſiderio cumulatè ſatisfecerunt. Duo in hac vrbe duodecim iam annis mutuas inter ſe inimicitias gerebant: alter enim alteri alapam in templo maximo impegerat, Qui iniuriam acceperat, toto hoc tempore aduerſarium ad vindictam obſeruauit, ac tandem occaſione data plagam illius ori inflixit, quo excitata odia magis exarſêre, ac inter ſingulos de vlciſcenda iniuria aut per ſe, aut per alium, oblata pecunia, agebatur. Sed qui plagam accepit Matritum adijt, diploma à Senatu Regio extorſit, vt cauſæ huius cognitio Regio Iudici capitalium rerum Granatenſi, Hiſpali tũ verſanti, addiceretur. Quod vt ſciuit alter, ne in vincula conijceretur, cœpit armatorum copia ſeptus incedere, interfectoque inimico fuga ſaluti conſulere decreuit. Ea de re factus certior vnus è Noſtris aduolat ſtatim, vtrumque alloquitur, ac tandem ſua opera, & induſtria, ne Iudici diploma regium exhiberetur effecit, inimicitias diremit, & vtriusque animum inter ſe conciliauit. Enituit in Scholaſticis noſtris eximius charitatis ardor, magna illis diuinitùs iniecta deſideria proximorum ſaluti operam nauandi, profectionemque in Indos petiêre nonnulli: quorum tres, vnâ cum Fratre Coadiutore in Mexicanam Prouinciam adiêre. Alij dominica quoque luce rudibus, & imperitis Chriſtianæ fidei dogmata exponunt. Alij etiam feſtis diebus matutino tempore loca vrbis frequentiora luſtrant, vt paſſim vagantes homines, & ignauo diffluentes otio, blando vultu, leniq́ue oratione ſubinuitent, vt in æde noſtra, vel in alio

alio templo sacris mysterijs interfint.

TANTA est æstimatio qua floret Collegium nostrum in hac vrbe, vt non solùm primarij viri, sed cuiusque ordinis Religiosi, ad exquirendas quęstiones de officijs ad nos accurrant, licet in cœnobijs huiusce vrbis insignes admodum, ac docti viri versentur. Virtutis amor in externis adolescentibus maximè cernitur. Eorũ vnus dum per viam incederet à fœmina è fenestra accersitus nihil mali suspicans ad ianuam accessit, negotiũ magni ponderis fingens se habere mulier, iuuenem in superiorem domum aduocat. Ille mali latentis ignarus ascendit, cui apprehenso mentem sceleratam aperit. Iuuenis vt qui magni æstimabat animum ab omni peccati labe intactum conseruare, excogitauit ex tempore rationem aliquam, vt è sceleratis illius manibus aufugeret, eamque dum fictis verbis decipere conatur, impetu quàm maximo potuit auulsus, ex illius se conspectu proripuit. Multi varijs Religiosorum familijs nomina dedere, multi Sacramenta frequenter obeunt, & vt frequés eorum vsus apud illos increbrescat, quàm diligentissimè contendunt. Inter hos omnes virtute, ac pietate præcipuè florent, qui sunt in Sodalitate Virginis Annunciatæ. Nec minus pietatis studium perspicitur in ijs, qui in Catechismi Sodalitio versantur. Plurimi enim illorum in templum maximum conueniunt, vbi spirituali lectioni vacant, & quater in hebdomada, in Aduentu autem Domini, & Quadragesima singulis diebus se diuerberant, alios etiam ad hoc adducere conantes. Post Paschales verò ferias pauperes, ac de media plebe homines ad Confessionis, & Eucharistiæ mysteria obeunda deducunt.

Digitized by Google

COLLEGIVM CORDVBENSE.

RES huius Collegij & annuo redditu septingentorum aureorum, quos *hæreditate accepit*, & elee nostynis amplissimis *ad sumptus in* Congregatione *faciendos liberalitate maxima* collatis non mediocriter auctæ sunt. Octingentis qui superfuerunt aureis nummis, accommodatum quoddam peristylium ædificari cœpeum est. Additum splendoris & ornamenti non parum templo nostro, illustri quadã & egregia tabula, in qua vtriusque Ioannis effigies, ac Christi assertoris nostri apprimè cernitur depicta, qua excitata fuit aliorũ pietas, ad opus simile in aduersa ara conficiendum. Episcopus dum dioecesim perlustrauit, duos è Nostris laboris socios, & consilij conscios, secum habere voluit: ac vix dici potest quantum Societatis munia exercendo profecerint: Nostrorumque exemplo Sacerdotes aliquot studiosi è Sodalitate Virginis Annunciatæ excitati sunt ad mittendam falcem in messem Domini, quæ vtpote matura, eos allicit, & inuitat. Non pauci ex auditoribus nostris varijs sese Religiosorum cœtibus manciparunt, quorum duo in Societatem admissi fuerunt, ad domestica verò ministeria recepti sunt quatuor.

OBIERE Sacerdotes duo, totidemque laici: omissisque ijs, quæ de singulis dici possunt non vtique erit rationi consonum, felicem P. Melchioris de Castro recordationem silentio præterire, viri sanè singulari animi demissione, insignique prudentia simul cum niuea quadam simplicitate, quibus admirabilis illius doctrina satis

omni

Digitized by Google

omnibus cognita, atque perſpecta mirabiliter elucebat. Nec quiſquam dubitat, quin illius interitu præclarum quoddam, ac ſingulare virtutis, & doctrinæ exemplum interierit. Eius mors, propter tanti viri iacturam, nos grauiter, & acerbè perculit, quam omnes proculdubio maximam fuiſſe exiſtimant. Cuius rei non vulgaria ſigna præbuêre alij etiam ex Religioſorum familijs, & ex Eccleſiaſtico Senatu, qui ad illius funus cohoneſtandum ſponte ſua, frequentes in domum noſtram conuenerunt, non tam ob Societatis cauſam, quàm ob eximiam affectionem animi, præclaramque opinionem, quam de illo, de illius doctrina, ac virtute conceperant. Magna eſt in hac vrbe Societatis opinio, idque Epiſcopus, vterque Senatus, Cenſoresque fidei multis in rebus ſæpiſſimè oſtendunt. Celebrem, ſolemnemque pompam Corporis Chriſti per noſtrum templum procedentem, quàm potuimus, maximo apparatu excepimus. Ad valuas enim templi arcæ tres miro ordine excitatæ ſunt, aliæ alijs ſuperimpoſitæ: his accedebant aliæ ab his, qui Annunciatæ Virginis cultui, ac veneration addicti ſunt, apparatu quodam viſendo erectæ, conſtructo etiam triumphali quodam arcu, quà ſolemnis pompa procederet. Quæ omnia varia compoſitionum genera tum Hiſpana, tum Latina, tum etiam Græca à noſtris Fratribus confecta, ita mirabiliter decorabant, vt prætereuntium oculos ad ſe raperent, atque conuerterent.

Digitized by Google

COLLEGIVM GRANATENSE.

SVSCEPTAE sunt ex hoc Collegio expeditiones duæ. Altera in montes Guadixienses: altera in Oram, vulgò, Rio de Almançór, quæ vtilitates magnas multis oppidis & pagis attulerunt, quos Sacerdotes 4. percurrêre docendo. In ijs enim multi adeò rudes inuenti sunt, vt elementis Christianæ fidei, non secùs ac catechumeni, essent instruendi: multæ præterea sunt ignorantiæ ablatæ. In quodam oppido primarij duo, ac nobiles viri erant, qui se publicè ignominiosis dictis lacerauerant, tantæque inter eos inimicitiæ exarserant, vt non sine magna totius oppidi offensione, mutuis sese sermonibus priuarent. Cùm verò suum vterque animum à peccatis expiasset, diuinumque ac cœleste pabulum accepisset, quodam die festo, prope templum in Beneficiarij, aliorumque hominum, & Sacerdotis nostri conspectu, qui illorum exceperat confessiones, alter ab altero supplex commissi veniam petiuit, & orationem suam retexentes in pristinam amicitiam sunt restituti. Cùm semel quidam ex Nostris ad mulieris cuiusdam confessionem excipiendam, quæ cum magno vitæ discrimine triduum iam partui vicina erat, accersitus esset, Pater primò mulierem cohortatus est, fore vt diuina ope, & auxilio præsentis periculi expers omnino euaderet, si animi sordes, ac maculas elueret. Quod non secus accidit, ac Pater dixerat. Finita enim & absoluta confessione, fœtum, licet mortuum, in lucem edidit, nullo vitæ suæ periculo. Cùm

quo

Digitized by Google

quodam die vnus è Noſtris aleatores ex ſuggeſto reprehendiſſet, quorum magnus erat in oppido numerus, adijt Prætor domos huic ludo deſtinatas, in quas magna ſolebat colluſorum multitudo confluere, eos obiurgauit, edixitque in carcerem, & vincula conijciendos ni aleatorias chartas è manibus deponerent, & explanationem Chriſtianæ doctrinæ à Patribus auditum ſe ſtatim conferrent: atque ita eos nulla vi, nulla offenſione, ſed vltrò à turpi otio abduxit. Cùm vir, & coniux mutuis inter ſe diſcordijs, & inimicitijs diſſiderent, adeò in dies percrebuerant, vt ſe locorum interuallo diſiungerent, & alter alterum in faſtidium vocaret, multa ſibi vterque falſis teſtibus peccata, ac delicta confingentes. Res deinde ad Proepiſcopum delata eſt, vt ſe à matrimonij fœdere diſiungerent: at res proſperum euentum habuit; vir enim Noſtrorum hortatu incitatus coniugem quæſitum adijt, & quas aluerant, deponentes ſimultates, in priſtinam ſocietatem redierunt. Quidam cùm peccata per confeſſionem expiare nollet, repentino, ac vehementi morbo correptus eſt, adeò vt ad extremum deueniret. Accerſitus eſt vnus è Noſtris (iam enim vterque ex oppido diſceſſerat) qui eius confeſſionem exciperet, eò quòd Parochus ægrotaret. Ille ſtatim aduolat, hominemque inter ſæuos mortis angores vultus, & ora torquentem inuenit, tamque horribili forma, vt videntibus terrorem incuteret. Vix tandem clamoribus magnis materiam abſolutionis elicuit, & intra horam mortuus eſt. Alteri, qui ab expianda conſcientia abhorrebat, magna lini copia combuſta fuit, volentique flammam extinguere, os, manus, pars etiam domus concremata eſt, ac niſi oppidani ſubuenirent, tota domus incendio deflagraret. Prætermitto multa alia quæ cogitari, quàm dici meliùs exiſtimo.

Digitized by Google

COLLEGIVM MONTELLANVM.

IN Montellano Collegio ex iis qui morbo conflictati sunt, excessêre duo. Alter P. Didacus de Auila Hispalensis, quadragesimum quintum annum agens, concionator egregius. *Is Asligitanæ* sedi exsurgere incipienti per *aliquot annos* præfuit. Cuius insignis, dum vixit, opera saluti *proximorum* impensa, cum pari prudentia, & vitæ probitate certabat. Quem duabus missionibus admodum fructuosis ad supremum vitæ diem Deus comparauit: Alter frater quidam laicus, Ludouicus de Molino, Tyro, qui post primum Societatis experimentum, abstersis per confessionem anteactæ vitæ sordibus, in primo spiritus ardore graui morbo correptus, intra octo dies è vita migrauit. In Patribus, Fratribusque tam antiquis, quàm tyronibus, de suo in virtute progressu non vulgaris cura fuit. Itum est in vicina oppida, ibique cum ingenti animarum lucro elaboratum. Ablati sunt errores multi. Matrimonia irrita in veram Sacramenti formam redacta non pauca.

IN oppido quodam cùm Nostris initio difficulter pateret aditus, tantus in eo primis concionibus oppidanorum exarsit amor, vt certatim in domum suam eos deferre quisque contenderet, ibique impensa opera haud inutilis fuit. Quidam confitendi causa plusquàm leucarum septem iter confecit. In alio oppido doctrinæ inopia laborante sancitum est, vt singulis festis, recitato euangelio, mysteria fidei à Parochis explicarentur. Alibi tanta affectione animi omnes ad confitendum accurrebant, vt qui à confessione abstineret, anathemate notaretur. Tantusque ex vicinis oppidis, ac villis confessionis causa concursus

cursus fiebat, vt in cœmiterio Ecclesiæ esse cogerentur, donec peccata expiarent. Religiosus quidam profugus, & seculari veste indutus, audita in foro ab vno è Nostris concione, ad eum postea venit, cui cùm rem totam exposuisset, petijt, vt redeundi in suum cœnobium rationem aliquam præscriberet, illum enim eius iam vitæ tædebat, curanteque id Sacerdote vno è Nostris, in suum cœnobium redijt. Accidit calamitas quædam nobili cuidam adolescenti, qui decem ferè mensibus in Societate degerat. Is cùm à communi hoste oppugnaretur, vt relicta Societate ad seculum rediret, quòd bonæ esset indolis, & quòd volente, & intendente Patre in eam fuisset ingressus, & quòd denique infortunium maximum timeret, hoc tempore in Societate permansit. Iniecta enim illi fuerat formidolosa quædam cogitatio, esse videlicet ad fores Collegij, quibus sibi egrediendum erat, immanem quandam belluam, à qua timebat esse dilaniandum. Quamobrem cum exitum è Societate distulisset, tandem ab incœpto desistens ad secularem vitam reuersus est. Cumque timorem omnem adhuc occursantem animo, frequenti confessionis, & communionis vsu. à se conaretur expellere, tandem intra paucos menses in nostræ Societatis gymnasio, vbi Dialecticæ dabat operam, ab alio condiscipulo, ob leuissimam causam pugione confossus, absque confessione statim mortuus concidit. Nostrorum studentium numerus hoc anno, ad trigesimum vsque peruenit: eorum multi ad varios Religiosorum ordines se contulerunt.

COLLEGIVM MARCENENSE.

QVOD festum in carnis primio celebrari consueuit, maiori pompa, & *apparatu celebratum* fuit hoc anno, *adhibita vocum*, neruorum, & tibiarum *harmonia: duabus* item puerorum choreis, *spiritualique exhortatione*, præsentibus Ducibus, ac præcipua ferè oppidi *nobilitate*, non mediocri Societatis æstimatione, quæ talia remedia adhibet ad occurrendum peccatis, nimiæque horum dierum licentiæ. Instauratum est Sodalitium charitatis, quod anno præterito, vnius è Nostris consilio institutum fuerat, ad alendos pueros expositos, subueniendumque eorum necessitati, quos à cogenda stipe nobilitatis pudor deterret. Vir quidam nobilis qui annis octodecim turpi infimæ cuiusdam mulieris amore tenebatur, & sex ex ea filios susceperat, vnius è Nostris concionibus adeò permotus est, vt ad eum statim aduolarit, acturus eum illo de ineunda nouæ vitæ ratione; tantamque morum commutationem fecit, vt cum vir esset nobilis, mulier autem infima, nullius precibus adduci potuerit, quin ipsam sibi in matrimonio coniungeret. Hominis cuiusdam *animus* cùm diuinitùs pulsaretur, à Societate flagitiosæ mulieris distractus est, quam distractionem ita illa ægrè, & acerbè tulit, vt penè statu mentis emota, videretur. Eam allocutus est vnus è Nostris, adhortatusque vt animum confessione expiaret: quo facto omnis furor penitus deferbuit, & in posterum optimam vitæ rationem instituit. Praua quædam consuetudo ludendi ablata est. Perbreuis, & periucunda actio exhibita, vt de filij coniugio Ducibus

gra

Digitized by Google

gratularemur. Vnus ex Theologię Professoribus, qui Hispali pestilentiæ causa huc venerant, toto vere explicandis quæstionibus de Officijs magno Clericorum fructu, singulis diebus operam nauauit. Excurrerunt duo ex Socijs huius Collegij in quædam oppida Diœcesis Cordubensis, in quibus haud mediocris fructus perceptus est. In quodam oppido magnus iurandi abusus Nostrorum doctrina sublatus.

COLLEGIVM BAECANVM.

VNVS è Nostris in Academia huius vrbis, Doctorum Rectorisque rogatu, ingenti omnium plausu Theologiam profitetur. Hinc missi sunt duo, suamque operam perutiliter impenderũt.

COLLEGIVM MALACENSE.

MAGNVS perceptus fuit fructus ex concionibus in foro habitis. Vnius enim causa quadraginta cõfessiones generales exceptæ sunt. Qui in publica custodia detinentur, omnes confessione purgati, cælestibus primum Eucharistiæ epulis, deinde etiam terrestribus saturati sunt. Quidam ad Confessarij pedes prouolutus præ timore suffocari videbatur, & per horam, imò per diem integrum, nihil aliud facere potuit, quàm crebros singultus edere. Transactis verò aliquot diebus confessus est, & in suscepta vitæ ratione

tione permanet. Alter sæpius domum Nostram ingressus, nec ausus vni è Nostris peccata patefacere, ad alium Religiosum adijt, monituſque ab illo opus sibi esse ad confitendum ad nos venire, paruit ille statim, & in melioris vitæ proposito perstitit. Pestilentiæ formidine magnus fuit Sacramentorum vsus. Multi in varios Religiosorum ordines, & in Societatem aliquot se receperunt. Excursiones duæ factæ sunt magnæ vtilitatis, & emolumenti. AEdificata est hoc anno præcipua pars domus, centum, & quinquaginta pedes in longitudinem patens. Binæ superiores habitationes in octodecim sunt cubicula distributæ, & ad ædificationem sexcenti aurei, & eo amplius nobis eleemosynæ nomine donati fuerunt. In aduentu Episcopi exhibita fuit actio quædam grauis ac periucunda, erudita quadam, ac pereleganti oratione ab humanitatis Professore præhabita.

COLLEGIVM GADITANVM.

GADIBVS Nostrorum opera in animorum salute quàm vtiliter impenditur! Nam & ad præsidiarios milites huius vrbis, & classis etiã Regiæ, quæ in hunc portum conuenit, cõciones cum ingenti fructu habitæ sunt. Multi enim vitam in melius commutarunt: alij relicto seculo, in Religiosas familias se abdiderunt. Plures quàm quinquaginta totius anteactæ vitæ confessiones exceptæ sunt: nec minore cura, & vtilitate laboratum est, cum ijs, qui in triremibus Hispaniæ, & Siciliæ versantur. Religiosi aliquot, qui extra cœnobiorum septa sæculari habitu degebant, ad propria cœnobia reuersi sunt. Tres vincti ex morte, quam

iam

iam damnati erant, fuerunt erepti. Trecenti nummi aurei tam in sacram suppellectilem, quàm in rem domesticam, nobis donati sunt.

COLLEGIVM VBETANVM.

INCHOATVM est templi ædificium eleemosynis ab aliquibus è ciuitate collatis. Nobilis Lupus de Molina, thesauri Ecclesiastici præfectus, primum lapidem cum solemni cerimonia constituit, eisdemque eleemosynis opus promouetur. Amplificata est suppellex sacra frontali quodam ex serico raso, & damasceno albo, textili auro, argentoque depicto: egregia præterea pixide sacræ Eucharistiæ adseruandæ, prægrandi etiam calice mirè elaborato. Capsa itidem sacris vestibus adseruandis, aliisque minutis rebus, quæ omnia stant aureis circiter quingentis. Recepti sunt in Societatem duo, alter eorum laicus. Nobis donauit ciuitas partem aquæ, quæ aureis mille æstimatur.

COLLEGIVM CAZORLANVM.

CAZORLAE copiosus fuit huius anni fructus. Missiones duæ factæ sunt ingenti animorum lucro. In oppido Quesada Aduentu Domini, & Quadragesima præterita perutiliter laboratum est. Quidam propter peccatum à se com

Digitized by Google

commissum sibi manus conscisscere decreuerat, Nostrorũ verò opera ex animi, & corporis periculo liberatus est. Duo cùm in proxima essent occasione peccandi, eorum alter cum duas horribiles figuras aspiceret, ingenti timore correptus peccandi occasionem reliquit, ac de re vnum è Nostris certiorem fecit. Mulier quæ multis in oppido erat offendiculo, audita ab vno è Nostris concione, è flagitiorum cœno, in quo volutabatur, emersit, ac nobilissimo nupsit. Tabernæ aleatoriæ, due ablatæ sunt: à concubinatu abstracti multi; amicitiæ non paucæ compositæ. Quidam consanguineo alapam impegit, ac magni inde motus metuebantur, sed Nostrorũ opera reconciliati sunt. Alius Nostrorum monitu auriculæ resectæ iniuriam inimico condonauit. Quidam centum aureorum pretium Sodalitati Beatæ Virginis donauit. In hoc Cazorlæ oppido, præter alias multas graues quædam viginti annorum inimicitiæ sopitæ sunt. Tres capitis condonationes obtentæ. Familiæ duæ cuiusdam oppidi, quæ ita mutuis inter se odijs distractæ erant, vt in mutuam cædem conspirassent, & vtrinque iam aliquot vulnera accepta, & inflicta fuissent, in pristinam amicitiam redactæ sunt. Iam denique multæ amicitiæ factæ, vt publicè diceretur neminem sciri, qui inter se inimicitias gereret. Quibus tam optima est de nostra Societate concepta opinio, vt affirmetur quicquid eius industria confectum non fuerit, difficulter quidem *confici* posse. Conuictorium optima sui opinione hoc anno prouectum est, multique è remotis partibus ad illud veniunt, quadragintaque hoc anno numerati sunt.

COL

COLLEGIVM FREGENALENSE.

IN hoc oppido Fregenalensi summa Alphonsi de Palz liberalitate, & munificentia hoc anno Collegium extructum est, Huc peruenerunt Patres medio Ianuario, eximiaque lætitiæ, & alacritatis significatione excepti sunt, vbi conciones ad populum haberi, & Christianæ fidei rudimenta populo tradi cœpta fuerunt. Magnus ad audiendum concursus hominũ fiebat: vsus etiam sacra mysteria frequentandi paulatim inducitur. Qui vniuersæ vitæ maculas confessione eluerunt, plurimi numerantur; quo id effectum est, vt multi qui animum diuturnis peccatorum sordibus obsoletum habebant, ad meliorem se frugem vitæ receperint. Prauæ consuetudines vsurariæ sublatæ. Restitutiones multæ, tum rei familiaris: tùm etiam honoris factæ sunt. Prima concione audita qui coniugem, & adulterum vinctos habebat, domum nostram venit, ac Patrem aduocans, accersito tabellione, iniuriam vtrique condonauit, vt diuinam in se maiestatem propitiam experiretur. Adita sunt Xenodochia, & ergastula publica. Quidam quòd leuirum suum ex insidijs occidisset, capite damnatus est, absterſisque per confessionem totius vitæ maculis confirmatus, adiuxusq; à Nostris, mortem æquo animo pertulit. In vicinos etiam pagos excursum est non sine magno proximorum fructu, qui anteactæ vitæ labes confessione absterserunt, & prauis consuetudinibus reiectis nouam viuendi rationem instituerunt. Tres cognati viri nobiles qui diuturnas alebant inimicitias in pristinam amicitiam reuocati sunt:

aliæ

aliæ etiam inter viros graues inimicitiæ sublatæ. Vir quidam in medio foro plagam ab altero acceperat. Quapropter tumultus magnus excitatus fuit in oppido; sed Nostrorum industria sedatus est. Signifer quidam nobili à quo ictum in facie accepit, Sacerdotis Nostri opera reconciliatus est. Alius plena, & extenta manu ab altero colaphum accipiens, facultateque obtenta illum in carcerem conijciendi, Nostrorum auctoritate interposita, cum inimico in gratiam redijt. Pueri Christianam doctrinam, & cantiones pias edocti sunt, quibus magna populi alacritate viæ publicæ noctu personant. Initio Septembris scholæ latinitatis apertæ sunt, quibus duo è Nostris elegantibus orationibus initium fecerunt. Ad quas Centuriones, Religiosi, & clerici, alijque quamplurimi conuenerunt. Constant iam centum auditoribus, quorum tàm in litteris, quàm in virtute, magni progressus sunt. Ad Quadragesimæ conciones magnus fuit audientium concursus, ingensque ex illis fructus perceptus. Est in hoc oppido D. Francisci cœnobium, cumque incidisset dies D. Francisco sacer, ad eum agendum celebrandumque Franciscani nostros inuitarunt. Idem etiam à Nostris inuitati eo die, qui vniuersæ Societati sacer, & solemnis est, sua nos præsentia cohonestarunt. Oppidi erga nos benevolentia cùm alijs, tùm hoc præcipuè perspecta fuit. Quę enim viæ ad Collegij ædificationem necessarię, omnium consentiente sententia nobis liberaliter concessæ sunt.

MISSIO

MISSIO ANTIQVARIENSIS.

MISSI sunt duobus annis Antiquariam Aduentus,& Quadrageſimæ tempore, Sacerdotes duo,& vnus laicus,& ſumma omnium beneuolentia accepti. Cuius haud mediocre indicium eſt, vnum è Noſtris in Religioſorum cœnobia feſtis non ſolùm diebus,quos ipſi tanquam proprios celebrant,ſed dominicis etiam ad concionandum inuitatum; id quod magno animorum lucro factum eſt.Mira eſt erga nos incolarum propenſio; atque ita in omnibus rebus conſilij;aut remedij petendi cauſa ad nos confluunt.Obtentæ ſunt cõdonationes duæ, reſque difficiles & præter ſpem omnium compoſitæ. Nec parum ad hanc beneuolentiam conduxit duorum Patrũm aduentus,quorum alter ſuis concionibus ita ad ſe totam ciuitatem rapit, vt templa,quamuis ampla,audientium multitudinem capere non poſſint.Alter verò Catechiſmi explicatione, veſpertinisq; concionibus, non minus gratus extitit. Ad inſignem nobilis Franciſci de Padilla liberalitatem acceſſit tanquam cumulus, priuatorum benignitas, qui frumentum, oleum, ac nummos ad Noſtrorum victus elargiti ſunt. Alia etiam multa nobis liberaliter donarunt, pluresque Sacerdotes deſiderant, quos ſuis ſumptibus alendos dicunt.Eſt nobis egregia quædam tabula,in qua Beatæ Virginis effigies depicta eſt,quæ totam aram occupat, magnique eſtimatur.Magna eſt iam Sacramentorum frequentia,quam in dies augendam ſperamus.Hoc magnum erga nos amoris ſignum: cum ſupra oſtium IESV nomen affigeretur,præter opinionem Prætor, ac Senatores

Digitized by Google

multis alijs ſtipati, qui rei nouitate illos ſequebantur, domum noſtram peruenêre, tandiuque ibi morati ſunt, tibijs interim perſonantibus, quoad IESV nomen affixum fuit, Patriqúe gratulati fuêre, æſtimantes magni, ſaltem Societatis ædiculam in ea ciuitate eſſe.

MISSIO ILLIVS oræ, quæ vulgò Almadrabas dicitur.

EX Hiſpalenſi Profeſſorum domo, duo in eas oras excurrerunt, quæ, quod Thynnorum piſcatu inſignes ſint, magna hominum frequentia celebrantur. Res Chriſtiana præclarè geſta eſt, ac fructus maximus perceptus: In oppido Tarifa magnus fuit confitentium numerus, inimicitiæ aliquot diremptæ. Quidam audita concione dixit ſe nihil cibi ſumpturum, quouſque in domum inimici veniæ petendæ cauſa ſe conferret. Quod ſic effectum eſt.

MISSIO BELMAR.

PROFECTI ſunt duo in oppidum Belmâr, vbi vtiliter laborarunt. Deleti ſunt abuſus aliquot, nempe voti cuiuſdam nudis pedibus obeundi ædiculam Diui Marci, licet niue plenę eſſent viæ: præterea non lactandi infantes vſque ad certam diei horam. Prohibebantur etiam fœminæ grauidæ aliquid cibi ſumere, licet fame perirent, & ob id tres è vita diſceſſêre: Nec domorum etiam ianuas nec feneſtras aperire, nec bombycibus pabula ſubminiſtrare licebat, ad quæ firmiùs ſeruanda pœnæ ſtatutæ erant. Hęc, inquam, & ſimilia Noſtrorum opera ablata ſunt.

MIS

Digitized by Google

MISSIO ILLIVS

oræ, la Hoia de Baça vulgò.

EX hac missione fructus non mediocris partus est. Quamplurimi enim confessiones à prima ætate repetierunt, quorum aliqui duodecim, viginti, triginta, & plusquam quadraginta annos in peccatorum sordibus, ac cœno iacuerant: ex quo, & ex ignorantijs rerum, quæ animi saluti erant necessariæ, emersérunt. Quidam, Nostrorum aduentus nuncio accepto, sex leucarum iter ad expiandas per confessionem animi sordes, confecit. Atque hæc sunt, quæ de singulis Collegijs speciatim hoc anno scribenda occurrunt.

Digitized by Google

PROVINCIA SARDINIÆ.

STETIT hæc Prouincia anno 1598. & 1599. Chorum enim duorum annorum res gestas hæ litteræ continent) Socijs centum viginti tribus: Sassari quadraginta: Calaribus quadraginta tribus: Ecclesijs nouem: Vndecim Algueriij; in domo Probationis viginti: obiêre sex: in Societatem recepti duodecim.

COLLEGIVM SASSARITANVM.

DEGVNT in Collegio Sassaritano quadraginta, Sacerdotes quindecim, quorum duo Theologiam, vnus Philosophiam, alter Rhetoricam docet: Scholares quatuordecim, inter quos duo sunt Grammaticæ Professores, vndecim qui domestica tantum munera exercent. Singuli meditationibus,

Digitized by Google

nibus, & exercitijs spiritualibus iuxta aureum Patris Ignatij libellum diebus aliquot animum excoluerunt: vnde virtutum optimarum subsecutus est fructus; omnes ritè adimplent sibi muneris suscepti partes. Nec molliore brachio litterarum studia pertractantur, cùm in humanioribus, & Rhetoricis, tùm altioribus Philosophiæ, & Theologiæ scholis; auditorum numerus maior sit in dies, & progressus. Gymnasij florem auxit non mediocriter institutio Seminarij; cùm enim linguę Græcę (quæ alioqui Sardiniæ anita est) subsidium magna ex parte defecisset, optimis P. N. G. auspicijs perfectum est, vt ad eam docendam is Roma mitteretur, qui præmissa de cognitionis Græcanicæ laudibus oratione, eo ciuitatis, & omnium ordinum applausu ludũ aperuit; vt Nobilissimos Atticæ linguę lepores veluti palingenesiæ quodam ab ipso ingratæ obliuionis tumulo visus sit reuocasse: nec frustrà velitatum etiam à Philosophiæ, ac Theologiæ compluribus studiosis.

TOTO anno vtiles à Nostris habitæ conciones, nec vsquam defuit, qui statis diebus populum ex ambone docens, salutarem in cælum viam ostenderet: plus tamen ijs videntur diebus potuisse, quibus effrenis ferè lurconum petulantia libertus desipere, & suum bacchanal agere consueuit. Tunc enim operæpretium visum est artem arte delùdere, & quadraginta horarum in templo nostro precationes statuere. Itaque adornato quo Christi corpus publicè adorandum proponi solet tabernaculo, nec non adhibitis in horas singulas concinculis, is factus est ad nos ciuium concursus, vt orgia momento desijsse viderentur. Neque iam liberaliorum dies, sed ipsas hebdomadæ sacras ferias agi dixisses. Et verò è tribus Sodalitijs, id potissimum cui sacra Dei Matris Natalitia nomen fecêre (cuius in carceribus, & Xenodochio inuisendis, in egestate pauperum subleuanda, liberali pro illis corro-

Digitized by Google

ganda ſtipe, ac omni demùm charitatis munere exercendo aſſiduitas, feruor, conſtantia, iuſtum omnino codicem requirit) hoc, inquam, Sodalitium verè parthenium in illa bacchantium liberiore licentia arctiores omnibus & grauitatis, & modeſtiæ frenos iniecit, ipſiuſque alumni, non tàm cereis, quos manu tenebant accenſis, quàm optimo ſuæ pietatis exemplo cæteris præluxerunt. Demùm eximius conſtitit pij huius, ac ſalutaris inuenti fructus: multi enim ad ſtatum quadraginta dierum ieiunij tempus exonerandam eſſe ſibi peccatis conſcientiam perſuaſi, poſtquam tota die matronis aurem præbere confitentibus omnes penè Collegij Patres Diuinus amor, & proximi charitas coegit, ad multam noctem perſtandum fuit, vt viri quoque audirentur. Alias confeſſiones annuas non commemoro, quæ ad decem millia peruenerunt. Pari ſtudio reſtincta odia, & diſſidentes inter pax redintegrata. Quidam ex optimatibus ciuitatis impotenter, ac perdite ſcorto adhærens, vxori non ſine totius regni ſcandalo nuncium remiſerat: reſipuit verò Noſtrorum opera, & tandem abiecta pellice in gratiam redijt cum legitima coniuge. Mulier, cuius pudicitiæ nota quædam inuſta erat, cùm à viro ſe percuſſam cerneret, necis oblatæ metu propria tecta deſeruit: cumque in alienis ædibus latitans vnum è Noſtris aduocaſſet, ipſo auctore factum eſt, vt Deo primùm, viro deinde reconciliata, nouam inſtituerit rationem viuendi; ſalutifera confeſſionis & Euchariſtiæ ſacramenta octauo quoque die in templo noſtro, tàm piè ac religioſè frequentat, vt non domeſticis tantum exemplo ſit, verùm etiam toti ciuitati, bonus odor in Chriſto; iamque viro ſuo perinde cordi eſt, quaſi nunquam datam ſibi dexteram violaſſet, ac torum.

NEC intermiſſa doctrinæ Chriſtianæ pueris, ac rudibus tradendæ cura, videas dominicis diebus conuocatis ad Gymnaſium pueris non ſcholares tantum Societatis;

Digitized by Google

tis; sed & omnes litterarum humaniorum Magistros ijs interdum Rector, & spectatissimus quisque Collegij Pater sese adiungit, cum virgula, & pallio ad portam expeditos, qui longum puerorum agmen ordine suo procedentium, & doctrinæ Christianæ capita, per ciuitatis plateas decantantium, ritè subsequantur: cumque eò deuentum est, vbi noua lectio tradenda sit à Magistro, res agitur vt non pueri tantùm, sed ornatissimi quique ciues, qui eò solent confluere, non mediocrem fructum reportent. Nec sane huiusmodi pusionum diligentia, studio, concertationibus vllum dari potest gratius spectaculum ciuitati.

AD hæc operæ in Xenodochio, & publicis carceribus ritè lustrandis positæ fructus extat non leuis: fœcundus quippe laborum, iuxta & miseriarum hic annus fuit: qua enim belli diritate nuper his temporum nostrorum perturbationibus, passim in Gallia Hispani omnes malè mulctati ad remum, & vincula rapiebantur, eadem prope rerum inclementia, seu repręsaliorum iure capti hîc Galli complures publicas fermè custodias implebant. Miserandum erat cernere probos institores propriam citra culpam in teterrimum carcerem detrusos, vbi præter fœtorem, & intolerabilem penè graueolentiam algore simul, & inedia conficiebantur. Vt itaque pia sunt viscera Societatis, à Nostris impensè curatum est, tùm vt compediti omnes, tùm verò insontes hi & plus cæteris afflicti peculiari quodam hospitalitatis iure sublenarentur, victus, & vestitus honestè suppeteret, cunctis simul diebus dominicis conciunculam ab vno è Nostris audientes, spiritualiter recrearentur, crebriusque confessione lustrarentur. Eodem studio perfectum vt impetrato tandem à Principe Senatus mandato priora illa tam exosi carceris gurgustia constructis in quadrum spaciosis fornicibus dilatarent, ac liberiorem haurirent aërem. Quod

Digitized by Google

non paruo est, eriq́ue deinceps captiuis alleuamento. E sontium numero quidam omnino persuasu habens suis patibulum deberi criminibus, ante Iudicis sententiam nil habuit antiquius, quàm vni è Nostris accersito curam animi omnem committere, optimas illius monitiones excipere, atque ad subeundam forti animo necem, vtroque in primis sacramento se communire. Nec satis id Christiano athletæ fuit, subinde iei unijs, ciliciorum gestatione, diuerberatione corporis, & alijs id genus afflictationibus sponte susceptis, breui eos magnanimitatis, & altioris constantiæ spiritus hausit, vt planè sui dissimilis factus videretur, quiq́ue antea vel ad solum Prætoris nomen cohorruerat, idem hilari vultu mortem appellaret; atque identidem longiores veluti moras nectentem eam incusaret. Demùm restis collo inseritur, eam verò in delicijs habet: ad trabem funestam ducitur, hanc aram sibi expiatoriam salutat: scalas iubetur ascendere, eas experrecta fronte, & impigro pede scandit; nec contractiunculam animi vel minimam præ se ferens, quousq́ue de admissis sibi maleficijs ex illo theatro petendam ab omnibus veniam censuit: tum profusis vt par erat lachrymis sibi Christi patientis nomine ignoscipostulans, spiritalem omnium spem, in vltimo agone suo implorauit: cæterùm se toto animo recipere mortem professus est, quam suorum spectabat fore criminum expiationem. Vox publica fuit huiusmodi, obitú non tam dici posse miserabilem, quàm aliqua ratione, vel etiam viris optimis inuideridam.

ADITVM quoque de more est Xenodochium, vbi absterſæ confessione crebrò peccatorum maculæ, erecti ad patientiam, & virtutum Christianarum studia iacentium animi, nec non eorum corpora suauioribus refecta edulijs. Ad benignè his agendum & inuitati rogatu Nostrorum, & adducti quamplures, è præcipua nobilita

bilitate viri, quos inter Arborensis Archiepiscopi liberalitas eluxit, qui non modò lautum pauperibus epulum parare, verùm etiam sua præsentia, quasi condimentum cibis afferret, mensæ benedictionem præfari, sitientibus poculum miscere, quemque bonis verbis compellare frequenter sit visus. Hic verò nec premi, nec multos fallere potuit bonus odor Christi. Nam ea de iuuidis pauperibus increbrescit in dies Societatis fama, vt si quis è numero proletariorum suo creditori soluendo non sit, si pignoribus ablatis coërcendis, si leuioris debiti causa misello, vel carcer iam iam pareat, vel deserenda familia, nullum Collegio præsentius asylum putat, quò vbi confugerit, non ancea discessum parat, quàm vel vnius è Nostris interuentu creditori sit factum satis, vel certè per fideiussorem (qui ferè inuenitur ex Parthenio Sodalitio) res tuto, ac meliore loco stetuit. Porrò quod vniuersæ olim Societati glorioſum fuit, eritque semper, eos arctiùs in Christo complecti, qui pudore ingenuo coërciti stipem quæritare palam vel ipsa inedia duriùs putant: huiusmodi familijs plerisque ita consulitum hoc anno fuit, vt earum nonnullæ paulatim è suis difficultatibus emergant; aliæ verò suis hanc malis factam esse medelam agnoscunt, vt de iniecto nobis hoc Christianæ pietatis animo diuinam prouidentiam assiduè laudent. Cætera turba hominum paralyſi, sentio, aqua intercute, quouis incurabili vlcere languentium, partim è Collegio nostro (quod & ipsum multis difficultatibus circumseptum, & sola paupertate Christi dives est) accepta propè in diem stipe victitant, partim Nostros ad se accersitos de suis miserijs ritè condocent, atque vt in publico ciuitatis Nosocomio recipiantur, apud Quinqueviros, & Protomedicum eosdem sibi adhibent suffragatores.

MISSIONES factæ perutiles: non enim vicinis

Digitized by Google

oppidis, imò nec Arborensi Ecclesiæ Nostrorum defuit studium, Bosam (quæ ciuitas Alguerio ferè contermina mare Sordoum spectat ad occidentem) Antistitis, & ciuium rogatu missus concionator, non tantùm è superiore loco populum sibi docendum censuit, verùm & seorsim priuatis colloquijs alios ad virtutem cohortandos, reuocandos à vitijs alios, singulis præbendam aurem confitentibus, & omni demùm opera venandas sibi animas persuasit. Itaque perfectum *Dei beneficio est, vt* restinctis multorum odijs, *dissensionibus compositis,* multorum latrocinio, rapinis, fœnore *sublatis*, prauis artibus, & vaga libidine coercitis, pijs quibusdam sodalitijs, quæ sensim collabi, visa ad feruorem pristinum reuocatis: extrema denique pauperum egestate subleuata, luculentos atque vberes messis optatæ manipulos domum reportarit. Itum etiam ad pagos quorum in vno à Turritana ciuitate non longè distito, rusticani tres, qui toto biennio capitalia in pectore nutrierant odia, eaque non nisi strictis cupiebant explere mucronibus, & sanguine saturare vnius è Nostris hortatu deposuerunt. Alij duo eodem die, & loco extremis sibi odijs mutuo respondebant, iamque alteri alter necem parauerat, sed idem qui priùs his auctor fuit deponendæ simultatis. Et sanè pij conciliatoris vocibus sic aspirauit Deus, vt horum omnium priores illi tres conscientiam peccatorum onere statim liberarent, atque vt compositam pacem arctiori diuini amoris vinculo colligarent, sacras primùm à Sacerdote nostro instructas epulas, simul degustarunt: repetito deinde prandio in cuiusque proprijs ædibus non sine magna oppidanorum admiratione, mutuis sese conuiuijs exceperunt. Supererat in eodem pago grandæuus alter ex ijs, qui in Sardinia numeratis ouium gregibus alendis præsunt, is inimicitias cum adolescentiore graues gerebat, adeoque diuturni erat odij tenax, vt

ad

Digitized by Google

ad remittendam iniuriam nullius antea potuerit oratione adduci. Adfuit verò vnus è Nostris, qui verbis pastoritio more cum eo habitis, ita senem pertractauit, vt quòd sibi nunquam iratus homo persuadere posset, ope diuina præstiterit, & cuius antea vel ipsum nomen abhorruerat extemplò illius aspectu gaudens, coram omnibus rei nouitate admirantibus, illi & osculum pacis dederit, & iteratos fidi amoris amplexus.

DVM ita Nostri domi, forisque desudant, minimè deest materia patientiæ: mala enim sunt tempora (vt comicus ait) quando lupus lupinam est, & viri Ecclesiastici Religiosos infectantur. Enisi sunt totis viribus templi nostri exstructionem impedire, non tantùm subreptitio Pontificio diplomate obiecto: verùm etiam ad disturbandas operas, architectis, & opificibus oblatam excommunicationis latæ sententiam, ni ab incœpto desisterent, minitantes, & vim, ac terrorem, quem potuêre maximum exhibuerunt: his adduntur rumores falsi, quos eadem improbitate licentiæ de bona Nostrorum fama, & integritate spargebant; denique omnibus artibus incubuerunt, vt quoquo modo ciuium animos à nobis alienarent; id in primis suadentes, Nostrorum consortiũ quasi mala omina diffugerent, vtpote qui in ipsis ægrotantium confessionibus opes venarentur, non salutem animarum. Sed frustra: nam quò magis mentes omnium à nobis abalienare studuerunt, eò magis Deus benevolos reddidit, & nostri ordinis studiosiores. Quin etiam ijsdem ferè diebus, cùm maximè videretur hæc in nos procella desæuire, quidam ipsorum Clericus, morti vicinus, ad nostri templi constructionem iustam suorum bonorum partem reliquit. Denique in tanta rerum iactatione Nostrorum (vt Societati solemne est) modestia, patientia, silentium, omnes aduersariorum machinas vincit paulatim, ac superat, & huiusce conciliatricis animorum

morum submissionis exemplo mirificè capiuntur ciues, vti frequentiùs nos adeant, suis de rebus accuratè consulant,& nostris sudoribus vtantur ad omnia: nec quisquam est Magistratuum,nobiliúmve,qui Societatis partes ex animo non tueatur. Peroptato nobis aduectus est Pater visitator ex P.G. mandato inspecturus: primò Saffarum tenuit, & iam ea grauitatis,& prudentiæ fuæ, tum domesticis omnibus, tum plerisque externis dedit argumenta,vt nisi vnus ipse ad omnia cum Archiepiscopo, & sequacibus ritè componenda, atque adeò medicinam tanto vulneri faciendam idoneus sit, nescio quis tandem AEsculapius possit expectari.

CALARITANVM COLLEGIVM.

COLLEGIVM Calaritanum tenent Socij quadraginta tres, Sacerdotes quatuordecim, Scholares sedecim, Coadiutores tredecim, Magistri septem (si his annumeres, qui pueros docet elementa prima litterarum) quos inter tres Sacerdotes ascribendi sunt: singuli non minori virtutis studio domestica obeunt munera, quàm externa. Seminarium,quod Saffari cœperat, felicibus auspicijs iustis de causis huc à P. Prouinciali translatum, feliciori cursu progreditur: in eo namque nonnulli è Nostris intra biennium Græcis litteris sic imbuti conspiciuntur, vt poëmata Græca pangere,& eadem lingua orationes benè longas pertexere norint. Minimè dubium, quin si quo cœptum est pede progrediantur, deinceps sine cortice natare,& quemuis auctorem Græcum probè valeant intelligere. Spectatus maximè hoc anno, tum in ciuitate, tum

Digitized by Google

tum in suburbijs concursus, & assiduitas in concionibus audiendis, pariterque in Catechismi explicatione. Multorum crimina generali confessione deleta: pergrandes æris factæ restitutiones, nec non à turpioris vitæ tramite abducti quamplures. Mulier quædam zelotypiæ stimulis agitata, viri necem (quæ illius perturbationis comes est impotentia) omnino machinabatur, iamque parauerat letho necessaria, remque peregisset nisi vnius è Nostris industria obstructus sceleri fuisset aditus, & quieto esse animo misellam iubes, odia in pristini redintegrationem amoris vertere compulisse. In custodia detentos frequenter Nostri adeunt. Victu & vestitu pauperes subleuant, conciunculis ad eliciendam criminum confessionem, & leuius tolerandam carceris molestiam, eos cohortantur.

DVORVM è Nostris facta missio, vt Archiepiscopum in diœcesi obeunda iuuarent, suo fructu nō caruit. Perfectum in primis est Patris diligentia (alter Coadiutor erat) vt Parochi Clericique omnes seruandas in Missa cœrimonias ritè callerent, & summa Christianæ doctrinæ capita statis horis in templo eodem, qui à Nostris tenetur ritu, ac methodo rudibus traderentur. Sublati profani quidam, & gentilitij ritus, & quædam obstetricū præstigia, & auguralia carmina, quorum loco Pater baptismi ritè proferendi formam ignaras edocuit. Nec leui occursum est damno, quo plerique infantuli sub ipso vitæ limine decedentes minimè in Christo renascebantur. Restincta plurimorum odia, factæ reconciliationes, sublata dissidia, quorum præ cæteris vnum acrius fuit, acerbiusque. Eò duas inter oppidanorum familias odiū processerat, vt tanquam ciuilis belli turbine abreptum oppidum, & in duo castra diuisum, vtraque ex parte bonorum euersionem moliretur, & corporum stragem. Nec saxis modò, fudibusque præustis, vt rustici solent:

sed

Digitized by Google

sed lucentibus telis irruebãt. Dum itaque vi res sic geritur, non incommodè cessit, vt alterius factionis principi, & insigne damnum in succisa ab aduersarijs vinea obueniret, & luculenta in occipite plaga infligeretur: tum enim (vt vexatio dat intellectum) Patri facilior aditus patuit, ad cicatricem animæ obducendam. Nec mora exhortationibus publicis ad omnes sæpius in templo habitis, & priuatis cum ægro colloquijs effectum, vt hic omnium maximè lætus iniuriam remitteret; cæteri Dei beneficio conciliarentur, & accepta vndique damna obliuione sempiterna obtegerent.

AD Collegium redeo, cuius templum vrgetur in dies, eaque iam nunc cepit incrementa, vt non paruo toti ciuitati sit ornamento. Non desunt qui benignè agãt. Illustris fœmina nostri studiosissima, cùm nullam è coniugio sobolem suscepisset, ante obitum nos ex asse hæredes scripsit, quindecim aureorum millibus Collegio fundando attributis: nec aliud à nobis petijt, quàm die festo sanctæ Annæ (id ei nomen erat) sibi quotannis sacrum celebretur. Extabit verò Societati, tum pię huius fœminæ, tum vtriusque parentis ipsius fida recordatio, vel ad perpetuitatem. Brundorum enim familia de nobis, & insigniter, & optimè mereri pergit; ante sex annos Hieronymus Brundo, huius Annæ Pater, ad iacienda nostri templi fundamenta, iam octingentos aureos numerauerat: idemq; ad perurgendum opus postea quatuor aureorum millia reliquit. Filia, vt videre est, patris liberalitati minimè concessit. Mater demùm coniuge etiam nunc & filiæ superuiuens vtrique palmam conatur præripere, ac præterquam quod alia quatuor aureorum millia, & quæcunque in bonis habet tabulis in perpetuum signatis, Collegio attribuit, ea tamen est in nos propensione, ac studio bona matrona, vt (quam non immeritò Collegij Matrem dixeris) se penitus nihil dedisse repu

Digitized by Google

reputet. Nec alia de re dies noctesque, quàm de nostra incolumitate, ac bono rerum progressu, aut cogitare, aut loqui videatur. Cæterùm Patris Prouincialis in Sardiniam aduentus Calaritano in primis Collegio fuit perutilis; cùm enim hactenus angustè satis, arcteque habitauerimus, optimam pomerio nostro accessionem fieri à Prorege impetrauit. Nimirum qua parte ad propugnaculum ciuitatis, & aër purior, & prospectus amœnior est, opere fornicato extendi cœpit, quadrum octodecim, aut viginti camerarum capax, quæ & à strepitu populari remotæ erunt, & Nostrorum habitationi percommodæ. Non defuêre zoili, qui nostræ commoditati inuidentes, multa miscerent, atque etiam interposita Senatus auctoritate disturbare opera niterentur. Sed datus est suus æquitati locus, seque virum Prorex Societatis studiosum præbens, quæcunque blaterabant aduersarij nullatenus audienda duxit.

COLLEGIVM ECCLESIENSE.

ECCLESIENSE Collegium numerat Socios nouem, quinque Sacerdotes, atque ex his alterum Humanitatis, alterum Grammatices scholæ Magistrum, Coadiutores quatuor. Naturæ concessit Collegij Rector Pater Cornelius Vaninus natione Italus, anno ætatis sexagesimo, Societatis amplius quadragesimo, is à primo adolescentiæ flore Deo consecratus, Romæ in hanc Prouinciam venerat, vbi multis annis humaniores litteras, quas benè callebat edocuit, & plerisque Prouincialibus in regendi munere fidus extitit comes. Cùm aqua intercute pluribus iam annis

annis laborasset, tandem depositâ valetudine, Calarim in domum Probationis deportatus est, quò commodiùs, si spes superesset vlla, curaretur. At generoso Christi athletæ in ea agonum terminus fuit: paucis enim pòst diebus sarcina corporis depositâ, feliciter ad superos conuolauit. Vir profectò sui despicientissimus, verus Societatis alumnus, prudenti quadam, & religiosa simplicitate nitens, totus abstinetiæ, & corporis afflictationi deditus, sola pietate, ac diuini amoris *delitijs viuens, eximio* semper fuit, tum *externis omnibus ad virtutem* exemplo. Vtiliter hoc biennio à Nostris *habitæ* in summo templo conciones; potissimùm tempore maioris ieiunij, ijsque commoti non laici tantùm, sed etiam Ecclesiastici plerique ad nos venêre, vt confessione facta peccatorum sarcinam deponerent. Item sublata vitia, boni mores introducti; studiosè honestas culta. Ipse prætor audita concione per præconem Regium edixit, ne deinceps quisquam iuuenum in triuijs subsisteret, quà iter est famulabus, & puellis ad aquam è fonte hauriendam. Hìc enim nugis plerisque occursum est, ac verbis amatorijs, quæ suum auribus instillabant virus, & grauem animis perniciem inferebant. Non desunt qui re, & facto nos adiuuent. Quidam moribundus perpetuò sibi vnum è Nostris adesse volens, testamento centum quinquaginta aureos Collegio adscribi iussit. Aderant qui commodè Patres viuere obtenderent, alios non *deesse* pauperes, neque nobis diuitibus relinquendam *esse hanc* pecuniam causabantur. Sit ita, inquit æger, Patres Societatis non egeant; libet tamen his potiùs quàm alijs relinquere, vt per fenestram nummos proijciant, si velint. Primarius eius iniuria non leui lacessitus decreuerat vindictam sanguinis effusione complere; sed compescuit furentem animum vnius è Nostris alloquium, atque ita mitigatus est illius animus, vt coram Prætore, & Consulibus

Digitized by Google

libus aduersarium humaniter, & amicè amplexaretur. Congregatio Parthenia adolescit in dies, ac multitudine floret, studio, frequentia, ac pietate. Missi duo Patres in oppidum Sardanæ, qui vtiliter admodum in Christo desudarunt, excultisque Sardanensibus, per finitimos pagos excurrentes quàm optimos, eosque vberes collectæ messi fructus addiderunt.

COLLEGIVM ALGARENSE.

DVODECIM alit è Nostris Algarense Collegium, Patres quinque, scholarem vnũ Humanitatis, vnum Rhetoricæ, & Grammaticæ Magistrum, Coadiutores quinque. Præter assiduas quæ singulis diebus dominicis habent in æde nostra conciones, superiore anno summi templi ambonem tenuit vnus è Nostris maximo ciuium concursu. Ibidem alius sexta quaque feria populum è superiore loco docens perutilem nauauit operam ciuitati: & eo quidé loco res sita est, vt nusquam Dei beneficio maior visus sit, nec crebrior apud Algarenses diuinorum Sacramentorum vsus. Quin etiam ea stat ciuium in nos fiducia, ea pietas, vt vix vllum suæ conscientiæ medicum, & iudicem aliunde petant. Nec vlla diei labatur hora, qua vel in templo Patrũ aliquis non præbeat aures confitenti, vel alios animi dubios consilio non adiuuet, ad ęgrum alius, & morientem bundum non euocetur, vt viri numero perpauci multorum labores, imò & totam ciuitatem suis videantur humeris sustinere. Nec deest diligentia qua familiariter præcipua doctrinę Christianæ capita rudibus tradantur. Lustratur Xenodochium simul, & custodia publica: omni

Digitized by Google

ope, ac studio pauperes, & compediti iuuantur. Addo Scholam, quę etsi pro tenuitate Collegij vnica est, in ea tamen doceti multiplex est subeundus labor. Alijs enim (prout auditorum requirit varietas) præcepta Grammaticæ tradenda sunt, alijs verò sic aperiuntur Rhetoricæ fontes, vt hoc ipso anno ex huiusmodi officinula complures ad Philosophiam audiendam idonei prodierint, & Sassaritani Collegij Scholam nō mediocriter exornent.

IN Sodalitiū Dei Matris certatim admitti petunt primarij ciues, & ędis maximę nobiliores canonici, quorum è numero voti compos factus est Archipræsbyter, non minus cæteris pietatis exemplo præstans, quàm muneris dignitate. Adfuit vnus è Nostris Algarensi Episcopo suam de more Dioecesim lustranti: nec breui oratione referri potest, quàm lætos, atque vberes collegerit fructus. Exceptæ confessiones plurimæ, conciones ad populum habitæ, extincta penitus internecina odia, obliteratæ iniuriæ, sublata offendicula, continentiæ demùm ac modestiæ freno coerciti, qui amore vago, atque impuro tenebantur, nec demùm vlla muneris Apostolici pars prætermissa. Itaque speramus fore vt breui nostro labori aspiret Deus, & operarios in suam messem plures accersat. Iam quippe noui Collegij, quod ante quatuor annos hic ædificari cœptum est, moles ad culmen exsurgit. Non dubium est quin ante exactum ineuntis seculi priorem annum, vel triginta è Nostris percommodam fore habitandi sedem, nec alia deerunt necessaria. Hoc ipso anno Episcopi liberalitate, quæ semper in nos eximia fuit, censui Collegij attributa est vinea prægrandis, eaque optima, cuius è prouentu iam magna ex parte Nostrorum subleuari cœpit inopia.

DO

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS CALARITANA.

PROBATIONIS Domus Calaritana complectitur è Nostris viginti; Sacerdotes quinq; quorum duo tertium probationis annũ peragunt. Scholares Nouitios septem: octo ex his qui ministerijs externis pro Christo se addixerunt, quorum sunt duo Nouitij: omnes Dei beneficio mortificationis, virtutum optimarum, & veræ perfectionis sese studiosos exhibent, atque arrepti in primis instituti obseruatores. Tyronum feruor domesticos vltra parietes profilire visus: alij quippe alibi peregrinati, multis bonus odor in Christo fuere, ac præ cæteris ij maximè, qui Sulcitanam insulam petentes, vt sacros cineres martyris Antiochi ritè colerent, etsi omnium ætate minimi, non minorem tamen suæ velitationis laudem sunt consecuti. Cùm enim in Ecclesiensi Collegio, vt fit, aliquot diebus subsisterent, lectissimos quosque, & maximè ingenuos ciuitatis adolescentes pijs alloquijs, & religiosæ grauitatis exemplo ita permouerunt, vt eorum nonnulli tunc primùm Societatem appetierint: alijs qui admissionem petebant ad perstandum in proposito, & in dies vrgendum acriùs animos addiderunt, & alas. Tres item è Patribus peracto laudabiliter studiorum cursu, tertium probationis annum auspicaturi ab vrbe Turritana Calarim vsque pedites victum petentes mendicato, doctrinę Christianæ capita passim rudibus tradentes, & nonnunquam, prout res dabat, populum docẽtes è superiori loco, suis dignos studijs, ac moribus optimis, fructus huic tyrocinio intulerunt.

NEQVE verò Missionis fructus defuit. Ieiunij quadraginta dierum tempore, iuere duo, alter Sacerdo, scho.aris alter, in oppidum grande & populosum satis (Olienam vocant) mirum quàm acribus operariorum manibus compar occurrit ad laborandum seges. Cùm enim, & in audiendis concionibus, & accipienda Christianæ doctrinæ catechesi, maxima singulis diebus esset oppidanorum frequentia, tùm verò ad pietatis studium plus solito cuncti exarserunt, cùm impetratam à Patre Generali, & Nostris adiunctam missionibus indulgentiarum seriem viua concionatoris voce audierunt, non visus est puer, non vir, non senex, qui tanquam signo bellico in Cacodæmonis artes euertendas cœlitùs dato, sese vtroque sacramento munire non destinarit. Is itaque ad expiandas confessione animorum labes sexus vtriusque concursus, hæc assiduitas fuit, vt Sacerdoti nostro, vel canonicas recitandi horas, vel tantillum interspirandi totis quindecim diebus spatium vix concederetur, & ita breui tempore multa sunt, magnaq; præstita: restitutum æs alienum: amotæ dissensiones: subleuata pauperum inopia: veteres iniuriæ obliteratæ: nec tantum adducti ad egenis benignè agendum oppidi primores, verùm etiam ad numerandum centum nummos aureos, Archiepiscopus ipse communi pietatis sensu compulsus, ac proinde fuit prouisum, vt adolescentulæ, quibus ob rei familiaris tenuitatem periculum non *leue* imminebat, loco deinceps honesto, ac tutiore ponerentur. Nec segniùs à Nostris minúsve vtiliter est domi quàm foris desudatum, in ægris visendis, confessionibus excipiendis, moribundis in agone supremo iuuandis; omnibus demùm muneris nostri partibus exsequendis, nutritus est, & adauctus ciuium in nos amor, ac beneficentia. Nuper Matrona nobilis ac pia quadringentos aureos nobis sub obitum reliquit.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA MEXICANA.

COMPLECTITVR Mexicana Prouincia suis & Philippinarum Viceprouinciæ sedibus Socios trecentos & 14. In Prouincia numerantur 97. Sacerdotes, ex quibus 46. solemnia quatuor Societatis vota, tres tria duntaxat nuncuparunt: sex præterea spirituales formati Coadiutores. Ex Fratribus verò 57. litteris operam dant, Theologiæ triginta & vnus, Philosophiæ 16. politiori doctrinæ 10. Rem domesticam procurant 9. Ad instituti disciplinam excoluntur in tyrocinio 26. Exijs, qui in Viceprouincia versantur, è viginti octo Sacerdotibus, sex solemnem quatuor votorũ professionem fecêre, hos in domestico ministerio adiuuant veterani Fratres Coadiutores 14. Euocauit Dominus ad præmia laborum quatuor Fratres. Misit in eorum supplementũ 18. Baccalaureos quatuor, duos Philosophos, Rhetoricos totidem, 5. Humanistas, totidem Coadiutores. Domicilia eadẽ, quæ superioribus annis, domus vna Professa, Collegia 7. Sedes 4. Missiones tres, duo Seminaria. In Viceprouincia Collegia duo, Sedes 11. Missiones duæ. Sed quæ sint in his locis à nostris hominibus gesta, sigillatim videamus.

DOMVS PROFESSA MEXICANA.

ALIT Mexicanorum liberalitas in Domo Professa Sacerdotes omnino duodecim, qui vt hominum officijs, & instituto domestico disciplinæ respondeant, diligenti, & assidua munerum exercitatione testatur, hominum generi nihil esse tam promptum, atque paratum in omnibus rebus, quæ ad animorum salutem spectent, quàm operam, curam, diligentiamque Sociorum. Frequentes ergo conciones habentur, & à Sacerdote vno potissimum, qui eam molem sedecim annos in vrbe, nulla ferè à munere vacatione iam sustinet, tanto omnium ordinum, ætatumque concursu, loca certatim occupantium, vt magnæ amplitudinis templa superfundenti se hominum multitudini angusta videantur. Sacrarum quoque Virginum Parthenones septem adeuntur, & pijs sermonibus ad officij rationem, & monasticæ vitæ retinendam feueritatem excitantur. Aures interdum præbentur inclusis, quæ frugiferis Nostrorum imitatæ colloquijs, sæpiùs deuorata repulsâ, per assiduas Abbatissarum schedulas, Cursorum, & Præpositi rogatu Seniores aliquos à confessionibus Sacerdotes eblandiuntur. Sed non piget laboris, & temporis in ea functione consumpti, nam cum ijs virginibus seuero Vocatij præcepto aliorum ordinum hominibus maculas animi per confessionem aperire cautum, plerumque sit, multa vitantur incommoda, multa parantur vtilitates earum confessionibus excipiendis. In publico vrbis foro languentem otio hominum multitudinem ad concionem inuitare diebus festis vespertinis, & rudem, ac teneram ætatem Christianis præceptionibus

nibus erudire, hospitales ægrotorum domos inuisere, solemnia sunt. Custodias publicas adeundi cura ab vno Sacerdote suscepta, vinctorum animis, & corporibus magnas peperit vtilitates; corrogatis piorum eleemosynis, multorum egestatem subleuauit, libertatem obtinuit, & iniuria prouocatis, ad veniam, & lenitatem, plectendis mitiora supplicia fontibus impetrauit, his charitatis officijs nactus apud reos, peræque ac iudices æstimationem ac fidem, iacentibus in pædore, ac sordibus ergastuli persuasit, vt sibi peccatorum sordes, ac vincula adimi paterentur, & Regios Senatores in amorem, ac venerationem sui ita conuertit, vt ad illorum egenorum aliquas lites suo arbitrio, ac sententia dirimendas, sponte reijciant. In reglutinandis dissolutis hominum amicitijs labor dissidentium animis in primis vtilis, & ciuibus admodum gratus, frequenter positus est; impetrata, quæ intendebatur, iniuriarum condonatione, & pulsa odiorum acerbitate, futura multorum causa, ac semente malorum. Et vt reliqua huius communis industriæ prætermittamus exempla: Socer & gener nullo affinitatis respectu plus quàm hostili odio discrepantes, litigium trahebant aureorum millium quinquaginta: lites intendebãtur vtrinque, & supplicibus vtriusque libellis tribunalia personabant, cum socero postulante, gener in custodia teneretur: & apud obstinatos odio, nec amicorum hortamenta, nec virorum Principum auctoritas, nec piorum hominum obtestationes, & preces valuissent, tandé adhibetur noster Sacerdos, qui per iteratas preces, & hostias, propitiato Deo iratos iterum, ac tertiò conuenit. Pacis bona, & discordiæ mala, perpetuam sollicitudinem, & angorem ex mutuis inimicitijs, sempiterna quoque supplicia, quæ iræ, atque odio pertinaciter indulgentes, apud inferos manent, idétidem proponit. Vbi multa in hanc sententiam disputata sunt, paulatim emolliri se-

roces iracundiæ cœperunt, tùm ad extremum Patri viam componendæ litis aperienti manus dedêre, & venia offensionum petita, in gratiam magna gratulatione ciuitatis redière. Ad confirmandas migrantes è suis corporibus animas accersimur frequentissimè; & quamuis in eo exercendo munere Socijs multa passim occurrerint digna litterarum monumentis, exemplo dumtaxat vno, quod sine arcani sacramenti præiudicio fieri potest memorando, contentus ero. Prædiues quidam mammonæ laqueis irretitus, quem aduersa valetudo prostrauerat, gehennæ metu perculsus Socium, etsi nunquam apud nos animum expiauerat, infimis precibus domum accersit; eius videlicet familiari colloquio, tanto salutis æternæ desiderio exarsit, vt depulsa stulta recti verecundia, testamento præceperit hæredibus, vt præconis voce monerent, quicquid eius causa aliorum fortunis detrimenti venisset; id omne ex iudicio nostri Sacerdotis, & Theologi, postulantibus dominis, persolutum iri cum fide.

S. E D. inter cætera quæ ad laudem Diuini nominis, & bonum ciuitatis exemplum redundarunt, haud extremum obtinet locum publica hominum religio, sexta quaque feria totius anni, & tertio quoque die Quadragesimæ vniuersæ flagris sua terga carpentium. Attulit hic pœnitentiæ ludus, & exercitatio eam haud spernendam vtilitatem, vt qui studio pietatis incensi, domesticorum conuiciis, & sermonibus petulantium à voluntarijs supplicijs deterrebantur, his incommodis liberati, solitudine, aut communitate nostrarum ædium, impositas à Confessario, vel sua sponte susceptas scelerum pœnas exsoluant: & iam Dei beneficio in delicatorum, ac nobilium mores irrepsit, vt à Sacerdotibus petantur in confessionibus sibi flagrorum vsurpationem satisfactionis, & supplicij nomine iniungant.

QVAM firmum sibi suisque rebus præsidium habeat

beat mortale genus in fide, ac patrocinio cælorum Reginæ, cùm alia testentur, omnibus sæculis diuinitùs patrata miracula, tùm etiam cuiusdam Matronæ, quæ apud nos sacramenta multos iam annos vsurpat, præter hominum expectationem vita seruata non obscurè confirmat: rem paucis perstringam. Honesta fœmina cuius cum ætate pietas singularis in Dei Matrem creuerat fœlicibus annis: die qui resurgenti Domino sacer est, cùm nullo suo merito in suspicionem adulterij marito venisset, & micantem in suum caput furentis ensem videret, desperata domesticorum ope, in genua prouoluta, supplices in cælum manus, & oculos tendens: Te, inquit, Cœlorum Regina, appello testem innocentiæ meæ. Adiuuat preces filiæ mater conspicata periculum, sublato clamore; sed præceps ira maritus auersam toto connixus corpore punctim iterum, ac tertio impetit stricto ferro. Ilicet primo ictu concidit misella moribundæ similis. Res mira. Mollito rigore metalli, ac si cereus esset ensis ferreus, se flexit innoxio, atque insonti corpori cedens. Nec tamen furore cæcus homo naturæ miraculum sensit, durior ipso ferro, & vxorem exanimatam sine dubio interpretatus, præcipiti festinatione ad proximum D. Francisci cœnobium, tanquam ad asylum confugit. Ibi dies aliquot cum delituisset, minimè dubitans, quin emortuæ cognatis iniuriam postulantibus Magistratus de illo diligenter inquireret. Tandem à familiaribus certior fit vxorem sine aliqua plaga, aut alio corporis damno viuere. Vix adductus vt fidem locupletissimis testibus haberet, præ gaudio, & admiratione impos sui domum venit, & hausit oculis fidem, quam auribus capere non potuisset. Ergo cùm rationem, & seriem facti cognouisset à socro, quæ flexum ensem stupore defixa eminus considerauerat, temeritatem suam incusans, primùm Dei Genitrici, cuius auxilio tam grande piaculum in magnam numinis laudem, glo-

riamque vertisset, sospitem vxoris vitam, & conuersam rerum faciem gratulatur. Deinde cum gratulabunda socio, & redituia coniuge Socium conuenit, & expiatis confessione criminibus cælestis Agni cibo se recreat. Creuit vxoris pietas, & sospitatrici nouos honores habere perrexit. Maritus verò cum solutis antea viueret moribus, collegit se se, & nouum cœpit vitæ cursum, in quo nunc optimo viciniæ exemplo, & frequenti Sacramentorum vsurpatione perseuerat.

SODALITIVM Saluatoris (*sic enim* appellari placuit) quod iam dudum agitabat animo P. Petrus Sancius, notæ probitatis senex, tandem votis eius annuente R. P. N. coaluit hoc anno: nam vt sæpè annuis huius Prouinciæ litteris traditum est, postquam Pater is vacationem à muneribus regendæ Prouinciæ impetrauit, curas omnes in externorum vtilitates intendit. Sextodecimo ab hinc anno diebus festis vespertinis familiaria colloquia de Christiani hominis officio, de virtutum, ac vitiorum natura, de lucris & damnis futuræ vitæ, deque alijs rebus ad salutem animi pertinentibus cœpit habere in hominum cœtu frequenti. Capti sermonum vtilitate permulti, ciues postposita dulcedine, & spectaculorum illecebra, quibus profani homines inducti, festiuorum dierum tempus sine aliqua animi vtilitate profundunt, ad audienda Patris præcepta, tanquam ad amœna animi diuerticula veniebant. Variante auditorum frequentia, recenti spectatæ probitatis, & constantiæ viri, haud leui sui profectus documento semper sui similes in audiendi studio, & discendi cupiditate extiterunt: ergo vt ij altiores in optimo vitæ genere radices agerent, & aliquo inter se vinculo colligati munia pietatis obirent, & ipsi vitiorum monstra, ac monimenta nequitiæ, & vanitatis inuaderent, nouissimè visum est Patri faciendum, vti de stabilienda Sodalitate Vestra Paternitas consuleretur, & eius

& eius impetrata facultate, qui ad eam diem communi tantum officio, ac pietate ducti, honestis functionibus operam dabant, certis, ac proprijs legibus ad frequentiorem sacramentorum vsum, leuandæ pauperum inopiæ, carceris, & nosocomij interuisendi, atque alia in viuos pariter, ac vita functos charitatis officia astringerentur. Superatis igitur prospero successu difficultatibus, & incommodis omnibus, quæ ad virtutem, laudemque nitentibus inuidia communis hostis, vt impediat, aut moram faciat cupidis obijcere consueuit, Sodales conscribi cœperunt, & eorum quibus aditus ad Sodalitium patuit summa subducta centum, & quinquaginta numerum explet. Celebrat suos de more cœtus, & dùm illi se in exedra ad eos vsus pro angustijs nostrarum ædium accommodata ad elegantiam virtutis, & vitæ perfectioris expoliunt, seruorū colluuies, deserta atque deposita Reip. pars, catechismo ab vno Sacerdote in compluuio domus non minori vtilitate seruorum, quàm dominorum gratia diligenter eruditur. Deinde Socijs deducentibus, ad Xenodochia digressi sodales, magna copia bellaria, delicata munuscula, & pecuniarum subsidia ægrotis admodū benignè distribuunt. Sed præcipuus, ac plenior Sodalitatis fructus colligitur è cōfessionibus, quibus vniuersæ vitæ labes Sodalium adscribendi numero eluit. Quidam ex eorum numero quasi non satis putaret, se Deo tradidisse, cupiebat alios habere, & facere participes eiusdem boni: igitur amicum sapienter admonet, vt relictis inanibus curis, se nouo piorum cœtui coniungat. Trahebat ille nihilominus moram, & largis promissis optima amici consilia eludebat: superior tamen exstitit, Deo adiuuante, Sodalis nostri præclara voluntas, & de obluctantis opera triumphauit: nam cùm ille graui nescio quo dolore correptus, remedijs in cassum adhibitis non sine vitæ periculo in lecto iaceret, occasionem libenter arri-

piens

piens ægrotum anxium terrore mortis, inuisit sodalis, & renidens amarum: Atqui, scito, inquit, hunc dolorem tibi à Domino immissum vindicem pertinaciæ, qua dudum mea consilia frustraris; nec aliam superesse pacandi Numinis, & auellendi doloris viam, quàm votum ineundæ Sodalitatis. Vouit æger, & postera die dolore leuatus est, viribusque postmodum recuperatis, castigato vetere luxu, vti vouerat nomen dedit Sodalitati.

SED ad sodalitia Beatorum, vt *credimus, nobis hoc anno* eripuit Deus fratrem *Bartholomeum Larium* ex eorum numero, qui primùm Mexicum nauigantes Societatem in lucem nouæ Hispaniæ posuerunt. Rem domesticam architecti, procuratoris, atque alijs pene omnibus Coadiutorum muneribus spectatæ obedientiæ, ac submissionis exemplo promptus, ac libens adiuuit. Elementariorum ludis cum laude præfuit in varijs Prouinciæ Collegijs: nam fingendorum caracterum artem ita percalluerat, vt de ea re præcepta ex Geometrica proportione condiderit, quæ elegantissimis consignata litteris vno volumine compræhensa reliquit. Sed hìc augentem, & limantem accuratius; fordo lateris dolore consumptum, quinto morbi die munitum omnibus Sacramentorum præsidijs, oppressit mors, anno ætatis sexagesimo, initæ Societatis quadragesimo sexto, & Indicæ peregrinationis vigesimo septimo. Cæterùm promouetur ædificatio templi eleemosynis oiuium, & Illustrissimi *Prorogis* benignitate, qui præter pecuniarum subsidia, *quibus* Nostrorum victum sibi curæ esse sæpiùs ostendit, emendicantibus in templi sumptus argenteum, aureos dedit quinque & viginti supra ducentos: nec remisit aliquid de pristina liberalitate Dominus fundator Ioannes Ludouicus de Ribera, qui vt proximis tradidimus litteris, quinquagena argenti pondera ad conducendos fabros singulis hebdomadis erogat.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM MEXICANVN.

SEDES hic & domicilium litterarum, vnde sapientiæ, & doctrinæ præsidia in omnes latissimæ Prouinciæ partes deriuantur. Theologicis prælectionibus accessit hoc anno tertia, quibus audiendis præter externorum mediocrem numerum, triginta è nostris fratribus operam dant. Multiplex domesticorum exercitatio: singulis hebdomadis in triclinio prandij tempore ex amplioribus, & illustrioribus D. Thomæ quæstionibus ornatè, & cum apparatu aliquam à Magistro iam explicatam ad recreationem pariter, & exercitationem, ex auditoribus aliquis, labore in orbem eunte interpretatur. Præter hebdomadarias disputationes, quæ spe vberioris vtilitatis ad diem Dominicum translatæ sunt, generales Theologiæ actus quatuor, Philosophiæ tres cum apparatu, & inuitatu Doctorum habiti sunt: nec defuit commendatio, & plausus coronæ discipulorum pariter, ac Magistrorum ingenia, doctrinamque laudantis. Confecti liberalium artium curriculi: quatuor, & triginta discipuli cùm acerrimum Regalis Academiæ Professorum iudicium de more subijssent, inusitatis laudibus ornati, & honorifico Baccalaureatus insigni, ac titulo decorati, debita suis laboribus, & doctrinæ documentis præmia, & honores totius Theatri approbatione pertulerunt. Politioris quoque doctrinæ studiosi sacris Reginæ Sanctorum diebus, piissimæ Matris laudibus, lepidissimis dialogis, elegijsque celebrandis, ingenij, & eruditionis argumenta dedere sæpissime. Nec studium pietatis elanguit: nam opportunitate sacelli, quod proximis

litteris

litteris ſtructum in Gymnaſio tradidimus, virtutis officijs, & morum diſciplinæ egregiè conſultum eſt. Ad quotidianas Roſarij preces, quas ſuo incluſi ſacello diſcipuli omnes quotidie fundunt, acceſſit ſolemne ſacrum, & hymnus, quo Reginam miſericordiæ Matrem Eccleſia de more ſalutat, magno Muſicæ apparatu, vocum, inſtrumentorumque concentu ſuauiſſimo, & ſplendidiſſimo cereorum ardentium lumine. Hæc vt longioris temporis eſſent, &, ſi fieri poſſet, ad poſterorum ætatem pertinerent, ex vniuerſo diſcipulorum corpore aptiſſimi quique, qui in id nomen ſponte ſua profiteri vellent ſelecti, vt in eodem gymnaſio miſſo auditorum cœtu muſicæ vniuerſæ præceptis à peritiſſimo coryphæo exercentur. In eam rem tanto certamine animorum diſcipuli incubuerunt, vt iuſtus planè chorus ſcienter, & expeditè, & quod in tenera ætate commune eſt, mira vocum ſuauitate pſallentium, paucorum menſium labore coierit. Itaque cum ad ſacrum accedendum eſt, dum Sacerdos ſacrificantis induitur veſtimentis, miſſo per claſſes monitore, cantores primum in odæum ſacelli vocantur, deinde Rhetores compoſito, in omne modeſtiæ argumentum, totius corporis habitu, ſilenti agmine accedunt: cæteri deinde auditores ordine claſſium diligenter obſeruato ſequuntur. Grates habendæ ſunt Deo, qui pias Noſtrorum contentiones tam frugiferas eſſe voluit, vt in trecentis & quinquaginta humaniorum litterarum ſtudioſis neminem inuenies qui procacis, & licentia morum, aut laſciuiore cultu à Magiſtrorum præceptis diſcedat.

IAM verò de Partheniana Sodalitate, quæ alumnos numerat probatæ virtutis, & maturitatis propè ſenilis, centum & quinquaginta longum eſſet enumerare quanta prodierint documenta pietatis; nec enim repetenda ſunt periculo gignendæ ſatietatis. Xenodochia interuiſa frequenter, refocillatos benigno ſermone, & cibis delicatiori

Digitized by Google

catioribus morbo correptos; celebratos cœtus; fortitò delecta Sanctorum patrocinia menſium initijs; habitam comprecationem vnius diei ante Euchariſtiæ pixidem ſolemnibus ferijs Sacramenti, voluntaria verberationis ſupplicia ingenti animorum ardore obita; quadrageſimæ tempore; quarum laudum maiorem in partem venêre Philoſophi, qui vtpote à teneris annis in ipſo ſinu, & diſciplina Sodalitatis educati, nec florétis ætatis æſtu, nec libertatis dulcedine ab eo, quod pueritiæ ānis corripuêre, arcto virtutis itinere deduci potuerunt: adeò in teneris iuxta effata ſapientium, conſueſcere multum eſt. Sed non eſt ſilenda Sodalium religio, qui vt pluuiam à cælo intereuntibus ſiti, & æſtu ſegetibus impetrarent; in delubrum integra ab vrbe leuca ſanctum miraculis, & patrocinio, ac nomine Dei Genitricis venerandum, ſupplicantes iêre, & cereas quas prætulerant faculas, pietatis Matri cùm obtuliſſent, Angelorum conuiuia, magna populi commendatione, celebrarunt.

FAVIT ſingulari quodam euentu clementiſſima Mater alumnorum ſtudijs, & quas pius adoleſcens corporis pœnam, atque moleſtiam in eius obſequium libens ſuſceperat, illa viciſſim in ſalutem, & incolumitatem corporis adoleſcenti cõuertit. Paucis complectar. Alumno diſciplinæ noſtræ oris, corporiſque totius dignitate conſpicuo, vt eſt illecebra inhoneſtæ libidinis formæ pulchritudo; mulier turpi eius amore capta, blandos luxuriæ laqueos tetenderat, ſtimulos, & preces admouerat; ſed Deo protegente omnia caſtus adoleſcens forti, & conſtanti animo repudiauerat: ergo vbi impudica turpi ſpe deiectam ſe ſenſit, repulſæ impatiens, & dolore furens, nocem adoleſcenti machinatur: venenum parat, eique medicata ſaccari condimenta in delicias officij, & amatorij muneris ſimulatione mittit; admittit imprudens ſpecie retinendæ vrbanitatis: ſed quamuis muuuſcula pla

la placuerant, & gulæ ſenſus titillabat, memor pietatis qua eius diei ieiunium in honorem Dei Genitricis tolerare conſueuerat, irritatæ iam cupiditati moderatus, munera in penum dat, poſtera luce repetenda, ea cum diluxiſſet hypotrimmata à promo repoſcit, inferûtur ſtatim, ſed olida, vitiata, & vermibus ſcatentia comparent: tunc demùm fraude comperta & detectis inſidijs, reſipuit adoleſcés, & ſe morti Dei Genitricis ope ereptum agnouit, & vt illi debita gratiarum officia ritè perſolueret, Sacerdotem à confeſſionibus adijt, apud quem lachrymis, & confeſſione cùm iam delicta diluiſſet, ad immortalitatis epulum acceſſit, tanto deinde periculo vitæ ſapientior factus, maiorem cautionem ſuis conſilijs adhibuit, ac ne in dæmonum præcipitetur inſidias, acriter vigilias intendit, & ieiunijs, ac precibus præſidium Dei Genitricis implorat. Sed alij, quoniam nullam tutam ſtationem, omnia inſidijs, & laqueis plena inuenêre, relicta dulcedine libertatis, in munitiſſimam religionis arcem dedêre ſeſe. Cæterùm ne diſcipulis, & eorum parentibus petendis aulæis, atque tapetibus ad ornandum celebritatis cuiuſque apparatum incommodetur, varijs picturis, & ſignis exornando ſacello, ſacra augenda ſuppellectili, parando pneumatico organo aureí inſumpti ferè quingenti à ciuibus erogati. Ciuitatis præterea Senatus ex iuſſu benigniſſimi Proregis largas aquas ſubterraneo meatu in atrium Gymnaſij publica vrbis impenſa deduxit.

RELIQVIS muneribus Societatis exercêdis, quantùm per ſcholaſticas curas licuit, in Collegio commorantibus, tantùm in procurandis animorum vtilitatibus poſitum eſt, nam in frequenti vrbis regione, & à Profeſſorum domo longo interuallo diſſita excuſari non potuit, quo minus Sacramentorum auxilia, & aliquarum concionum ſolatia aſſiduè poſtulantibus præberemus. Quare ſi concionum frequentiam demas, cætera habet

Colle

Digitized by Google

Collegium communia cum Domo Professa, pari animorum vtilitate. Eorum qui generalem confessionem obierunt summam haud promptè subduxeris. Vinctis in custodia publica non solùm exhibita animorum vberrima pascua concionum, sed corporum etiam alimenta ministrata, in quo munere scholastici fratres egregium dedêre humilitatis, & charitatis documentum: cum laceris, & vilibus semiamicti tuniculis, alij grandem ollam carnium, alij sportas pane refertas vinctis inferrent, alij ex fonte publico sublatas in humeros amphoras aquæ arentibus siti conueherent. Gratiarũ recõciliationes fuêre frequentes, sed opulentos inter cognatos duos fuit vna præcipua, qui naturæ fœdere, ac sanguinis communione contempta, ita animos odiorum acerbitate efferauerãt, vt ne ad amicitiam reducerentur, ad Sacerdotis genua annos plures duodecim non accessissent; sed ideo adiuuante Sociorum valida suasione, quod vehementer admiratus est populus, in mutuos ruerunt amplexus, & cum irarum feminibus noxas vniuersæ vitæ posuerũt. AEthiopiæ gentibus, tardis videlicet Hispanorum mancipijs, & quòd ab omnibus, qui animorum curam profitentur, plerum que deserantur in magna diuinarum rerum ignoratione, & turpitudinum coeno iacentibus, tradita sunt prõ concione vberiùs explicata rectè viuendi præcepta in templo Nosocomij Dei Genitricis; ibi enim cùm Sodalitium habeant, bis mille & quingenti, atque his plures AEthiopes conuenêre diebus Dominicis Quadragesimæ, &, vt excitentur barbarorũ studia, data est opera hoc anno, vt pueri AEthyopica soboles numerosa cogantur in nostras AEdes, vt inde composito agmine ad destinatum concioni locum religionis elementa concinentes progrediantur.

HABVIT exitum scholasticorum inuentum, & effusam commendationem, nõ solùm in hominum vulgus,

sed etiam apud Proregem Illustrissimum, & sacræ fidei Quæsitorem, qui ab speculari fenestra religiosi agminis apparatum iucunda voluptate spectarunt. Cõspiciuntur in ea supplicatione Socij duodeni, aut quatuordeni; alij vexilla serica Sodalitij præferentes; alij tintinabulorum pulsu ignauam, & male feriatam multitudinem cogentes; alij verba præeuntes; alij etiam tuentes puerorum ordinem; sodalitij primores adiuuant *cum scipionibus inauratis, hinc inde* cursantes. *Pueri priores incedunt,* deinde virilis sexus, mancipia sequũtur, postremum claudit agmen confertus mulierum globus, submissa voce preces ex sacris corollis, quas digiti moderantur, cum significatione pietatis exigentium, atque ea rursus pompa, quamuis non eadem via, peracta concione agmen domum reducitur, & vtrobique pueris explanatur catechismus, vt informata tenera ætas in Christianæ doctrinæ præceptis ipsa se postmodum confirmet robore pietatis.

IN extrema etiam Vrbis regione spiritualis opis maximè indiga, fructuosa extitit scholasticorum industria, qui facta puerorum manu vias omnes circumeuntes cũ cantu Christianæ doctrinæ, cœperunt hoc anno torpentes otio hominum greges suis ædibus excitare; & in templum Montis Serrati, cui Doctor Theologus alumnus nostri gymnasij præsidet, magna frequentia deductos Christianis præceptionibus imbuere, & si eas partes *non* sibi desumat Parochus concionandi peritus, è *suggestu* ad peccatorum detestationem, & virtutis amplexum hortari, quæ officia à duobus scholasticis *ingenti* hominũ vtilitate præstantur: in Nosocomio subvrbano, quod Desertorum appellant, & in nostro templo diebus sabbati vespertinis in concione discipulorũ narratur exemplum veteris historiæ, & illiec varietatis inuitati ciues quoque ventitare cœperunt, nec dimittuntur ij, perinde

quàm

quàm illi vtilitatis expertes, cùm perorationem consequatur detestatio anteactæ vitæ salutaris, & ad deponenda peccatorum onera concursus pœnitentiæ.

CLAVDAT huius Collegij res gestas mors optimi Fratris Francisci à Villa regali, quem matura sua virtus, annis pariter, & rectè factorum meritis plenum, in sedes, & gaudia transtulit Beatorum. Natus est in oppido Toletanæ Diœcesis (Madridegium vulgus appellat) & antequam nomen Societati daret solertem aliquot annos nauauit operam Scribæ regij Senatus Granatensis in munere amanuensis, donec audiendis concionibus Patris Baptistæ Sãctij, clari per ea tempora Euangelij præconis, consilia in melius retulit, & spes fallaces, atque incerta vota valere iubens, ad religiosæ militiæ stipendia, & signa nostræ Societatis se contulit. Per acerrima deinde tentamenta seruilia agasonis, & baiuli ministeria probatus, præclaræ virtutis exemplis Montellano Collegio relictis, septimo anno, iussu P.N. Francisci Borgiæ, Præpositi generalis ex Bœtica Prouincia Floridam profectus est. Sex annos in ea regione per quotidiana terræ, marisque pericula, summam rerum omnium egestatem, inter frequentes barbaræ Gentis insidias, & interneeina odia traduxit. Inde superiorum nutu in has Mexicanæ Prouinciæ regiones secunda nauigatione delatus, ordinis sui partes, & numeros omnes cumulatissimè expleuit. Quare plerosque annos in probationis domo retentus est, vt tyronibus excitamento esset, & exemplo totius probitatis. Etenim contemplationis studio, & assiduitate precandi prope ad miraculum excellebat: septuagenarius homo, laboribus, & supplicijs voluntarijs exhaustus, tertias ferè horas temporis matutini, in genua quidem abiectus, pijs commentationibus immobilis perseuerabat, liturgiæ sacris quibus poterat omnibus, in eam pietatem vultu, & corpore toto composito, quæ

Digitized by Google

intuentium animos sensu religionis afficeret, sine intermissione vacabat. Vespere autem præter vocales preces, & conscientiæ recognitiones, horam vnam, atque dimidiam orationi iterum incumbebat, quam intendentibus se tenebris in cubiculum secedens ad multam noctem extrahebat genibus nixus. Rursus plenioris noctis tempora ita plerumque ducebat, vt primæ (quod aiunt) vigiliæ capto somno debilia membra cum recreasset, ad diuinos iterum congressus, nouo capto impetu rediret, & cœlestibus percipiendis delicijs quatuor ipsas horas insisteret. Cum olim Tepotzotlanæ Domus probationis procurator esset, & stipis colligendæ causa per latifundia, & prædia vagaretur, in deserta, & squalenti sæpius agri planitie oppressus nocte, ita laboris itinere fatigata membra reficiebat. Aridi panis fragmentum, quod in peram indiderat, & pallium tribuebat viæ comitibus alumnis contubernij, quos eo potissimùm nomine secum ducebat, vt paganos obuios Catechismo informaret; ipse verò submissis genibus in oratione ad multam noctem vigilabat donec ingruente somno necessitati paulisper cedens, in saxum cervicalis instar recumbens, fractos labore artus modico sopore refocillabat. Tempore quo Mexici præfuit Indorum Collegio, conspiciebatur frequenter in xisto attenta animi cogitatione defixus, & abstracto à sensibus non absimilis, longo interuallo consistere, vel in superiori ædium parte, elatis in cœlum oculis, manantibus lachrymis nocturnam syderum speciem, eodem prorsus vestigio insistes tacitè contemplari, vt vel ex habitu corporis facilè quiuis intelligeret, quanta spiritus dulcedine rerum omnium conditori optimus senex coniungeretur. Non est omittenda pietas illa singularis, qua nascentis Domini memoriam recolebat: Felici enim nocte Natiuitatis obseruarunt Socij aliquando, eo tempore cùm reliqui cubitum discesserant,

ſerant, Franciſcum ad iumẽtorum ſtabulum ſenſim obrepere, pileum in præſepio iuxta aliquot iumentum collocare, linteoque opertum paleis ritè ſubſternere: deinde contemplationi tanti myſterij deditum, ſuperfundentis ſe lætitiæ cœleſtis magnitudine, quaſi maius aliquid concepiſſet, quàm pectore poſſet continere, in dulces gemitus, ſuauem coimplorationem, & accenſa diuino amore colloquia prorumpere crederes hominem, non in mente fingere, ſed oculis intueri præſentem pannis inuolutum infantem, & trementes frigore tenellos artus. Aſſiduitate flectendi genua obduxerat tanta duritie callos, vt quo aliquem doloris ſenſum etiam dum precaretur exciperet, aut duriſſima tabula, aut prominentium clauorum capitibus inniteretur frequenter. Ter ſingulis hebdomadis ad diuinas epulas accedebat, nec quiſquam auidus cupediarum, ſtructis oppiparè mensis tanta cupidine inhiat, quanto animi deſiderio, & charitatis impetu ad diuina celebranda conuiuia Franciſcus ferebatur. Ergo ex tam familiari conſuetudine, & conuictu in eum Chriſti D. amorem euaſit, vt nunquam de eius laudibus conticeſceret; hoc erat initium, hic finis, & ſcopus ſermonis, domeſticos, & externos cuiusque ætatis, & ordinis, verbis ſalutabat, quibus Ieſum Chriſtum humanæ ſalutis vindicem laudibus efferret ipſe, & vt reliqui efferrent, mira arte perficeret. Contubernij pueros IESV Chriſti laude excitabat à ſomno, & in ea ſine intermiſſione repetendæ quadrantem horæ, qui veſtibus induendis, & componendis lectulis tradebatur, non ſine admiratione audientium continebat. Vrbem circuire, & conditos in vincula interuiſere conſueuerat, ferebatque ſecum capſulam refertam ſchedulis, quas ſuciſuis horis ipſe Sanctorum nominibus conſcripſerat, & loco ſententiæ, *Laudetur D. N. IESVS CHRISTVS*, apposuerat: has ille obuijs quibuſque dabat, & ad impetranda Sanctorum præſidia, & auctò-

Digitized by Google

rem noſtræ ſalutis ſine fine laudandum hortabatur. Tantam in IESV CHRISTI appellatione, iteranda hauriebat animi ſuauitatem, vt cum domeſticis, & ſecularibus amicis orationum pignore certaret, ſpiritu, & reſpiratione in collaudatione Chriſti diutiùs retinendis, in recenſendis præterea Sanctorum nominibus, quos præcipuo cultu venerabatur, recitandiſque fidei capitibus, & reliquis Chriſtianæ vitæ rudimentis: frequens *Chriſti D.* præconium interſerebat, vt non *tam Sanctorum opem* poſtularе, quàm Beatas illas *mentes ad encomia Chriſti* celebranda prouocare videretur: nec *tamen* diuturna conſuetudine effecerat, vt ex animi conatu, & attentione aliquid minueretur, & ſpecie tenus in ea verba formato vocis ſtrepitu, pia Chriſti mentio in aures inſonaret; ſed vocis ſonitum vehemens affectus animi comitabatur, quo verba illa in audientium animos demittebat, & ſcintillas diuini amoris interdum etiam ex ſilice profani pectoris excutiebat. Quare etſi apud omnes ordines magnum ſanctitatis nomen ſibi pepererat, ſola Chriſti laudandi conſuetudine dignoſcebatur à ciuibus, propria appellatione videlicet antiquata. Cęlorum quoque *Reginam*, & illibatum eius conceptum, mirum quanta religione, & pietate coluerit: cùm Chriſtum collaudabat, adiungebat (propter puriſſimam, & immaculatam B. Virginis conceptionem;) & Roſarij loco hoc gratiſſimum acroama; Præibat ille pueris contubernij, tanta *ſpiritus* contentione, vt via prætereuntes audirent, & *laudarent* vehementer optimi ſenis ſtudium, nec mediocriter admirarentur, id ætatis hominem tantam vocis contentionem poſſe perferre. Semel in hebdomada canebat elata voce prandentibus ſocijs ſalutationem Angelicam, & nihil erat tanti, quod hominem ab ea religione poſſet auertere. Mirati ſumus ſæpenumero, grandem natu virum, fractum itineris eo die confecti defatigatione, iuxa, & arida

membra

membra trahentem, in triclinium perreptare, vt illud pietatis officium Virgini persolueret, ac pedes deinde Sociorum submissè oscularetur, eamque pietatem adeo combiberat animo, vt desperatus à medicis, & morti propinquus sollicitè quæsierit aliquem, qui illud obsequium suo nomine præstaret Beatissimæ Virgini, & gratias egerit prolixè Sacerdoti in id suam operam, & industriam profitenti. Quæ Francisci in Redemptorem mundi, & eius Matrem Sanctissimam egregia imprimis charitas, eò pluris erat facienda, quo magis erat cum aliorum fructu & vtilitate coniuncta. In tanto enim contemplationis ardore nequaquam habuit spiritum solitudinis, & vni sibi vacantem, sed Diuini obsequii augendi cupidissimum, ac mirè studiosum salutis, vtilitatisq; communis. Exibat in forum, & publicas vias sæpenumero, & obuia vilissima quæque mancipia peramanter amplexatus, vti secum IESVM Christum, & Virginem Matrem collaudarent, magno ardore animi adhortabatur: deinde Christianis institutis homines informabat, plerumque rei inexpectatæ visendæ studio superfundebat se vndique hominum multitudo, non solùm ex infima plebe, sed etiam ex prima nobilitate, & curialis Templi Canonicis dignitate præditis, qua ille inuitatus frequentia, nihil hominum auctoritate deterritus, apparatu quidem nullo, sed ordine, & prudentia singulari de diuinis rebus ad coronam dicere, deterrere homines à vitiorum fœditate, ad eluendas conceptas animo sordes, & studium æternæ beatitudinis incitare pergebat, & concionem retinebat tanto orationis impetu, tanta in omni gestu, habitu, & significatione pietatis, vt peritissimus quisque rerum æstimator, hominem sanctitate præstantem Franciscum prædicaret, alij defixis in terram oculis, & crebra haurientes contrito corde suspiria, ad quærendos Sacerdotes confitendi causa discederent. Hoc quidem ter, quater-

Digitized by Google

que vno die per officinas,& porticus opificum factitare senex cõsueuit: at in pernigilijs festiuorũ dierum inusitatę celebritatis sine comite,grãdi,& attrito opertus galero, in destinatũ solemnitati locũ veniebat,inferebatq; se frequentioribus hominum coetibus, ac primùm, *Christus Dominus laudetur*, iterum, ac tertiò elata voce repetitũ,vbi in se conuersos hominum oculos, & ora videbat,ardenti vultu,acri,ac vehementi oratione confertam multitudinem plebis, ad cultum Dei, studiumque Religionis,ac pietatis inflammabat: eumque exitum pij Francisci conatus habebant, vt perditæ, ac profligatæ vitæ homines,qui per iocum ludibundi conuenerant: lasciuioresque mulierculæ, quæ eorum dierum sanctitate ad licentiam, & libidinem abutuntur, posita repentè procacia,tristes,ac sua delicta detestantes, ad audiendas vespertinas preces cum pietate, ac religione templum ingrederentur. Hæc & alia, quæ breuitatis causa prætereo,in Numinis gloriam, & animarum salutem non minore laterum,& vocis contentione,quàm spiritus ardore,ac vehementia cùm gessisset, optimus senex, domũ humilis,ac sibi despectus redibat, alto silentio premens prædas,quas egerat animorum,nihil de consueto orandi labore remittebat: aut in cibatu,potuque,aut loĉi mollitie aliquid adhibebat,quod afflictæ carni leuamen posset afferre.Nec solùm hominum animos Christi sanguine redemptos enixè adiuuabat: sed in corpore etiam,quantum in eo opis,& auxilij positum erat, id omne, vel ad solamen eorum, vel ad valetudinem, aut stipem quotidianam libentissimè conferebat. Aquarum penuria cum nexi in custodia publica laborarent, ditiorum domos obiuit,obseratas multorum aperuit suis monitis arcas, pecunias excussit,vt lixæ ad conuehendas aquas carcere inclusis conducerentur: nec semel ipse iuncto ad plaustrum asino pergrande dolium in publico fonte inter

proca

procacé lixarum turbam implebat aqua; & per opificū, ac mercatorum ora sæpè concursans, asinum aut virga ciens, aut capistro deducens, optata aquarum subsidia compede propeditis inferebat. Iam verò in ægrotos, & grauiter affectos quanta fuerit Francisci charitas, & pia commiseratio non facilè exequar. Sanè Angelopoli pecuario puero Indici generis tabifico viperæ morsu crus miserandum in modum intumuerat, & fœdè, atque atrociter postmodum exulceratum purulenta sanie manare cœpit: vlceris fœditas, & grauitas odoris tanta erat, vt non solùm natura, & vsu delicatos, sed curandis ægrotis, & tractandis eorum sordibus obduratos offenderet: munitus tamen Christi, & proximorum amore Franciscus, omni fastidientis animi mollitie victa, misera lue, ac tabe deformato puero, eò impensius ministrabat, quò magis ad eius aspectum animus exhorrebat. Quare D. Cathasinæ Senensis, & P. Francisci Xauerij exemplo non solùm languenti cum alacritate, & diligentia præstò aderat, sórbitiunculas sua manu præbebat, fomenta vlceri applicabat, sternebat lectulum, manantes sanie fascias lauabat, auertebat sordes, sed marcidam quoque cicatricé singulis penè diebus, egregia sui victoria lambebat. Hoc charitatis excellētis specimen puer alioquin vel ad suos dolores leuiter indicandos, consumptis viribus pene mutus, repente disertus factus, sine fine prædicabat. In Mexicano etiam D. Gregorij Collegio puerum Sinam fœdā, & contagiosa corruptum lue, separatum à consortio, & congressu reliquorum, in remoto cubiculo noctu adibat, & omnibus charitatis officijs recreatum materno prorsus amore arctè complexatum vlnis, incredibili benignitate fouebat. Sed in reliquos adeò placidus, & benignus sibi soli infensus, & iratus socordiam suam, atque ignauiam in exuendis animi cupiditatibus, dandisque peccatorum pœnis frequenter inculabat:

ideò non mediocre certamen superioribus cum homine erat, vt sibi parceret, & aliquid ætati condonans paulum de quotidiana vitæ asperitate minueret. Verrentibus domum pueris adiungebat se vilissimi & laborioſi ministerij comitem sæpenumero, haud sine leui exhausti corpusculi defatigatione, quippe vt scopis pauimentum attingeret, corpus flectere, & incuruare necesse erat. Frigore sæuiente summo mane faciem, & manus lauabat, nec abstergebat linteo, sed in *peruium ventis locum* egressus frigori se, & gelidæ *aquæ torquendum præbebat*. Cibi somniq́ue parcissimus erat, & *conciliatricem*, somni, lecti mollitiem magna cura vitabat, funiculis, quibus culcitra intersuitur, vetustate ruptis lana omnis in latera discesserat, inanis, & vacuus in medio remanserat sinus, in hoc ille capturus somnos cubabat, duplici videlicet duntaxat pertenui linteo duræ tabulæ superaddito. Eius vitâ iam functi inter nudandum corpus cruentis vibicibus aratum apparuit. Paupertatem verò adeò dilexit, vt matrem, vt in cubiculo nec mensam, nec scabellum, aut sediculam aliam, atramentarium, forfices, nec aptandis calamis gladium haberet, cùm aliquid scribere necessitas aut officij ratio cogebat, instrumenta ab alumno Collegij precariò mutuabatur. Multos annos pium libellum habuit nullum ad priuatos vsus, sed sacræ lectioni ex instituto daturus operam, Bibliothecam adibat, vestibus adeò obsoletis, & attritis vtebatur, vt meliores quærendæ fuerint, quibus opertus humo conderetur, nec peiores in toto Collegio comparuerint. Obedientiæ verò, quàm maximè ad perfectionem compendiariam viam esse dicebat acerrimus, & vigilantissimus custos. Ab omni cupiditate, & animi propensione solutus, ac liber ex vna tantùm Superioris voluntate, ac nutu pendebat, & eorum mandata cæco mentis, & rationis obsequio promptus, & alacer exoquebatur, & cùm

cùm eos tanquam Christi vicarios, & Diuinæ voluntatis interpretes obseruaret, non solùm consiliorum particeps, sed auctores etiam, moderatores, & arbitros esse volebat. In earum virtutum decora intentiore animi conatu in dies nitenti optimo Seni finis tandem laborum obrepsit: Ianuarij octauo die ex perpetuis laboribus, & vigilijs exitialem morbum contraxit. Sensit statim vltimum sibi diem peregrinationis appetere; totius vitæ confessionem, quam sæpiùs fecerat, ingenti doloris significatione repetijt, mortem ita despicatui, imò summam votorum habuit, vt medico desperanti, & ineuitabilem ex vita migrandi necessitatem denuncianti, placido, ac sereno vultu respouderit verbis, quæ in ore frequenter habebat, *Christus Dominus laudetur*, eisdemque verbis fidei capitibus, & Sanctorum appellationi interserendis, & assiduis colloquijs, quæ cum domesticis triumphans gaudio miscebat, haud dubiè testabatur quanta lætitiæ voluptate eius animum perfudisset nuntius mortis imminentis, quippe qua aditum sibi ad optatos Christi D. amplexus, cuius visendi cupiditate flagrabat, patefactum iri sperabat: quas inter spes, & vota IESV Christi nomen perquàm suauiter inuocans Ecclesiæ omnibus instructus præsidijs, tandem se relictis in terra non leuibus vestigijs suarum virtutum, in cœlesti luce collocauit anno ætatis septuagesimo, Societatis quadragesimo, formati Coadiutoris vigesimo quinto. Funus eius procuratum est non magna ciuium frequentia, propterea quòd hominis ægritudo, & obitus ad paucorum aures perijenerat. Sed Indi, quos funebris æris campani pulsus admonuit, funus cum lachrymis, & cereorum lumine prosecuti sunt, & Principes viri Hispani nominis, ante eius feretrum genibus nixi preces suas apud Deū Franciscū deprecatione adiuuari effusè flentes postularunt, pedesque ac manus defuncti reuerenter exosculati, clam

nobis

nobis vestis frustula abripuêre, quæ absentes omnium ordinum ciues enixè rogarunt: ac tanta cœperat homines Franciſci reuerentia, vt ex his, qui vestimenti particulas secũ pietatis causa subduxerant, quidam religione tactus antequam frustulum in pectus demitteret; Sacerdotem confitendi gratia conuenerit, affirmans impium, & sacrilegum esse peccatorum maculis pollutum secum gestare aliquid, quod tanta morum innocentia, & vitæ integritate præditus homo tetigisset.

ÆDES SANCTI GREGORII.

NOVAE superioris anni litteris tradidimus de assiduis concionibus in æde D. Gregorij, diebus festis, & secunda quaque feria, vel in nundinario foro Iouis diebus, Aduentus, & Quadragesimæ tempore, deque frequenti pœnitentium numero toto anno, & de castigato Bacchanalium luxu, & insania, habendis per eos dies concionibus, & S. Eucharistiæ pyxide apparatu, & splendore luminum in conspectu hominum reponenda, eadem hoc anno pari animarum vtilitate, & Sociorum contentione facta intelliguntur. Nec est cur iterum repetamus quæ diximus sæpenumerò de puerorum educatione, de Sodalium pietate in refouendis ægrotis, excipiendis lauto conuiuio ducentis pauperibus, stipem precario quærentibus, Paschalibus videlicet, Spiritus Sancti, & Natalitijs Domini ferijs, & vsurpandis Ecclesiæ sacramentis.

INSTITVTVM est hoc anno Sodalitium ex Indis conuenis, & peregrinis, qui Parœchum in Vrbe Mexico habent nullum, eo maiori commodo, & opportunitate

nitate, quòd ij plerumque Hispanorum commercio, & consuetudine ad humanitatem, & morum elegantiam perducti, honesti, & decori specie capiuntur. Habent iam ex instituto Sodalitatis, quæ ab Annunciata Virgine nomen sortita est, solemnes, & statos de more cœtus, sacellumq; pulcherrima tabula eiusdem mysterij conspicuum, serico peristromate liberaliter exornarunt. Atrij vbi conciones habentur Dominicis diebus ieiunij maximi grande desuper tegete ex paleis in procliue dispositis opertum, tanto studio Indorum suam in id operam conferentium, vt paucis diebus opus ad exitum peruenerit, & quod alioquin nummorum sterisset millibus quinquaginta, hominum liberalitas fecit, vt millibus absolueretur nummorum viginti: ea verò quæ in sacros vsus erogata sunt, aureis æstimantur pluribus millibus quingentis.

SEMINARIVM DIVI ILDEFONSI.

VNDECIM Sociorum curis, atque vigilijs decem vltra centum adolescentes Hispana nobilitatis accenduntur ad studia ingenuarum artium, & ad sobrietatem, & honestatem morum in primis animantur, & constituit in omnes partes vberrimus nostræ fructus industriæ: nam in omnibus litterarij certaminibus, præsertim in examine Philosophiæ primas tulêre omnium iudicio Seminaristæ, nec defuêre, qui Philosophiæ, & Theologiæ Professorum laborem docendi per assiduos calores intermittentium in Regali Academia vices scienter obierint: quatuordecim relicta commodorum affluentia, vt Christum rebus omni

omnibus expediti sequantur, pauperem Religiosorum vitam amplexi sunt, ex quo numero sex ad nostra signa venêre, & plures nomina profitentur, citò stipendia facturi.

COLLEGIVM ANGELOPOLITANVM.

DECEM Sacerdotes in excitandis ad pietatem Hispanorum animis, erudienda iuuentute, & Indorum salute procuranda, solita officiorum frequentia versati sunt. Habitæ sunt in Gymnasio, quibus ad studium litterarum, & virtutis accenderentur discipulorum ingenia, Scholarum exercitationes, in grauissimo Episcopi, & doctissimi cuiusque viri conspectu, consequente auditorum omniũ admurmuratione grata, vt plausus, & approbationes indicarunt. Habet hic Magna Mater suos alumnos, complures ex discipulorum numero, qui studio, & sedulitate certantes Confessionis, & Eucharistiæ sacramenta frequentant; hospitales domos frequenter adeunt, egentes, & morbo decumbentes verbis, & ope reficiunt, ex quorum coetu nonnulli ad religiosæ vitæ seueritatem traducti, in ea optimo pietatis exemplo, & Magistrorum commendatione perseuerant. Sacrarum verò concionum, præsertim forensium maxima vtilitas extitit in adducendis perditæ, ac profligatæ vitæ hominibus, ad repetendam anteactæ vitæ memoriam, & eluendas animi sordes, salutari scelerum confessione. Excussa quoque ab iratorũ pectoribus odia, & ad concordiam reuocati, qui acceptis, illatisque viciſſim iniurijs in mutuam necem pertinaci odio animos efferauerant. Ex hoc fiat coniectura cæte

cæterorum. Hispanus quidam paruum certamen in quo rei familiaris,& honoris damnum accepit, adeò imbiberat animo, vt iuramento se obstrinxerit, non antea capitis, & barbæ,atque adeò ipsius animi squallorem, & sordes deponere,quàm inimico de medio sublato, acceptam iniuriam obliteraret. Iam duos annos circiter, & dimidiũ in vesano,ac peruicaci consilio traduxerat,cùm certior factus, insidias sibi caput Angelopoli per eos dies agere. Rursus mediam vouens, quoad nefarium facinas patraret, odio, atque ira percitus implacabili, continuo vnius diei, ac noctis itinere duas atque viginti leucas emensus,Angelopolim omnino ieiunus peruenit: ergo maturè comperto destinatum sibi ad necẽ hominem in foro negotij causa versari,eò cum expedito sclopo pergit infestus, obstinato in ea sententia animo, vt hostem,etiamsi in templo reperire contingat, explosa repente sclopo, plumbea glande traijciat. Illo forum circumeunte,& attentis oculis,atque animo omnia collustrante, ecce tibi de more Socij cum agmine puerorum religionis elementa moderatè canentium, post explicata Christiana præcepta,concionem habituri Opificum porticum ingrediuntur, haud dubium irato fuit tantopere sibi expetitum ad mortem hominem cum reliqua negotiatorum turba concionanti adfuturum: miro enim peregrinorum studio huiusmodi conciones audiuntur,vt sæpè earum cupiditate, quamplurimi ex oppidis tertia ab vrbe leuca circumiacentibus conuenire dicantur. Itaque ratus præclaram sibi oblatam rei perficiendæ opportunitatem confluentium ad concionem piorum coetui simulato consilio sese subiungit, interfecitque.Sed Deus natura sua munificus,& nullis sæpè meritis prouocatus,opes suæ benignitatis effundere solitus, hominem ,qua via minimè putarat, ad saniora consilia reuocauit,priorem detestatum. Nam cùm Sacerdos noster,

ster, in alium scilicet scopum iaculatus, prò concione carperet ineptum eorum pudorem, qui ab aperiendis in confessione peccatorum maculis verecundia deterrerentur, ac blanda rursus, & miti oratione prouectus efferendæ Diuinæ miserationis magnitudine auditorum animos erigeret, lapideum hominis pectus sic emollijt, vt lenita paulatim ferocia, primùm lubita spiritus dulcedine intus affici, & immutari cœperit: deinde antea cæ vitæ piacula salutari detestatione damnare, & neglecta multoties promerendæ diuinæ miserationis opportunitate, sæpiùs ingemiscere, nec plura dimissa concione, Sacerdotem ad ædes nostras prosequitur, & ad eius tandē genua prouolutus confessionem ordiri à prima pueritia repetitam tanta singultuum, ac lachrymarum procella, vt linguam soluere, & vocem in verba formare vix posset. Hominem, cuius necem antea machinabatur quæritum, in amplexus, & amoris officia, discedit: nec antea partem aliquam cœpit quietis, cibi, potúsve retigit aliquid, quàm hominem assecutus: eo pacto pœnas iniuriæ ab illo repeteret, vt ea videlicet liberaliter condonata, & in genua abiectus veniam multis verbis cogitati facinoris precaretur. Addidit verbis spectatæ in primis, & illustris charitatis officia. Nam cùm nouus ex hoste amicus conditus esset in carcerem, id vbi primùm rescivit, diuendito equo, atque sclopo, ducentorum ex argento ponderum summam eius nomine cum fide persoluit, nullam aliam à nexo gratiam postulans, quàm vt se amici, atque adeò germani fratris loco recipiat. Perpetuam scilicet dicas diuini seminis fœcunditatem, quod vbi in peccatorum animis concipitur, squallentis soli macie, & malignitate superata cum numeroso virtutum fœtu surgere consueuit.

SVSCEPTVS in adiuuanda Indorum gente labor aliquantulum soliro maior, præsertim Quadragesimæ

mę tempore: quippe quò increbrescente hominum multitudine officia instituti nostri postulantium, quatuor conciones singulis septimanis habere in ædem nostram, & nundinario foro, & magno confitentium numero aures præbere pauci admodum Sacerdotes coacti sint, & ab orta luce vsque ad primam facem extrahebatur confessionum labor, pluribus sæpiùs exclusis, quàm admissis: fiebat enim pœnitentium concursus non solùm ex vicis Angelopolis suburbio continentibus; sed ex interiore regione quindecim, & eo plurium leucarum spatio remota, à multis, qui conscientiæ stimulis angebantur, Nostrorum solatia, & responsa quærebantur. Nexi quoque, & in lanificiorum ergastulis inclusi, etsi apud Confessarios ineunte Quadragesima à Dominis accersitos, peccata ritè expiauerant, vbi primùm exeundi facultas data est, Sacerdotes nostros confessionem iteraturi clam dominis conuenêre, negantes sibi toties auxilia Nostrorum expertis, aliter quietem à conscientiæ angoribus futuram, quàm si eisdem animi vlcera patefacerent, quibus charissimam esse suam salutem, & commoda probè nossent. Cæterùm dum adiuuandis infimæ sortis hominibus datur opera, dæmonis vis, Deo benè iuuante, hoc pacto repressa. Mancipium quoddam, metu verberum, quæ à domino parabantur, in rabiem ac desperationem verso, sese dæmoni vesana imprecatione deuouit. Hostis ergo Dei permissu obnoxium sibi nefarię deuotionis iure hominem sera nocte compellans: Satinne, inquit, animaduertis, vti ab illa effusa imprecatione in meam ipse ditionem tua sponte concesseris, & nihil tibi iuris in animum aut corpus esse relictum? Atqui maturo iam tempore possessionem sacri, & deuoti capitis inuasurus aduenio. Hæc grauia somniorum deliria ab homine primùm existimata, deinde eisdem vocibus iterum, ac tertiò se compellari inter dormiendum exper-

Digitized by Google

tus, quinque noctibus proximè subsecutis, vigilias agere, & horrificum clamorem rei ad liquidum explorandæ causa expectare persistit; eadem scilicet, quæ superioribus noctibus vigilanti, & ingenti horrore perfuso in aures insonuêre; sed addebat prioribus veterator, vt digitos, quos in crucem formatos labijs affixerat, amoueret, & importuna illorum nominum (IESV CHRISTI scilicet, & sanctissimæ Genitricis) appellatione superfederet, vt cuius animum annos viginti per silentium turpissimi sceleris occupauerat, corpus etiam ablato Crucis, & precationum repagulo protinus ingrederetur: ad hoc ille, etsi artubus contremiscens, constanti Diuinæ opis imploratione, & arctissimo Crucis osculo tacitus respõdebat, Duodeuiginti noctes mali dæmonis terriculamenta sustinuit, nec tamen interim vlli conseruorum, quorum in cubiculo metu coactus secesserat, rem aperiebat reuocante pudore, & ratione dignitatis. Sed eò processit dæmonis petulantia, vt se perhorribilem, atque audacissimo cuique metuendam speciem, crepitantibus vndique flammis, mancipij oculis obijceret, eadem auribus inculcans; tum demùm terrore subactus homo, sublato clamore Dei, & sociorum opem implorat. Illicò cõciti omnes sese è cubilibus sine mora prorripiunt, accenduntur lumina, lectus clamantis aditur: offenditur ille sensibus penè defectus, frigido sudore perfluens, ac tandem longo spatio sibi redditus, & quid pertulisset interrogatus, conficto mendacio respondet, obiectam fuisse per somnium infensi sibi cuiusdam hominis effigiẽ, perinde ac se ferro inuadentem: eodem viso iterum, ac tertiò conterritos, excitatos è somno cubiculi socios simili vsus commento fefellit; at illi dictis quidem subesse mendacium opinati, pallore, & macie peremptum miserati, instinctu planè diuino monent, hortantur, vt sacramentum Confessionis vsurpet, propitiato Numine, opta

optatam pacem, & tranquillitatem pollicentur; nec exitu salutaria caruêre consilia, quasi alto excitus veterno in propositum sibi à fidelibus socijs remedium oculos animi cùm intendisset, in eo tandem opem sibi aduersus diabolicas impressiones repositam esse intellexit. Nec mora Socium accersit, & antequam confessionem incipiat nocturna spectra, diabolica certamina cum ordine exponit, palam denunciat, ea sibi à Deo immitti supplicia, quòd viginti annorum confessionibus piaculum grãde suppresserat. Expiatis ergo totius vitæ criminibus, & appensa ad collum sacratæ ceræ, & sanctorum cinerum bulla, & sacra corolla cum icuncula Dei Genitricis eum terrorem malo dæmoni incussit, vt à quotidiano incursu, & infestatione repulerit. Sed ea pace frui dies oppidò paucos homini licuit: tetri namque spectri molesta in primis imago sic animo insedit, vt terrore, ac perpetua solicitudine fatigato, & exeso, tandem moriendi necessitatem attulerit.

DVO quoque suscepta sunt hoc anno non exiguæ vtilitatis itinera, alterum in Vallem S. Saluatoris; in ea duo circiter & viginti oppida numerantur, quæ Sacerdos noster valetudinarius homo, & altera manu captus, adhibito externo Sacerdote sacrorum administro, singulis mensibus circuibat. Concionum eadem commoda, quæ in vrbe consecutâ Indorum, qui Quadragesimæ tempore confessi sunt, optimo animarum compendio, supra tria millia numerantur. Altero itinere ad remotiorem Zacapuastlæ regionem excursum; Nostrorum aduentum incolis fuisse gratissimum testata est publica hominum lætitia: excepti enim sunt Socij cum symphonia, & cantu Christianæ doctrinæ, longè prodeuntibus obuiam principibus viris cum fasciculis, ac sertis halantium florum, more gentis vetusto, atque in templum expectantium, popularium satis refertum multitudine,

Digitized by Google

medium inter agmina concinentium Patrem deferentibus. Deinde data est opera à Nostris, vt instituti nostri munera quàm maxima posset eorum contentione, & omnium ordinum vtilitate exercerentur. Itaque solùm per angustias temporis stetit, quò minùs vniuersi incolæ, quamuis in alieniſſimo tempore expiati confessione manerent. Redintegrata amicitia, quæ inter duos Parochos pessimo publico exemplo dissiluerat: ij videlicet inter alios Zacapuastlæ inuitante curione ad celebranda D. Petri solemnia conuenerant, quo die tanta Indorum multitudo eò cófluxit, vt omnino sex hominum millia in concione noster Sacerdos habuisse dicatur. Inde animis Societatis studio, ac beneuolentia magis incensis, certatum officiosè à Curionibus est. Dum quisque Patres sibi repetit, & in suam Paroeciam abducere conatur. Sed vt domum redeamus, atroci, & inopinata morte sublatus est spectata industria, & animi submissione domestici auditor ministerij Antonius Ambrosius, qui cùm in peruigilio D. Matthæi peccata expiassет, postero die, adhuc tenebrante cœlo quærens remotum ab arbitris locum, vt se funiculis de more cæderet, in templum nuper absolutum, necdum satis tunc ad sacra ministeria concinnatum secessit, & vt in obscuro loco, deceptus errore viæ, dum sacellum odæo proximum se putat ingressum, per apertum, atque imminentem templo fornicem temerè progressus, è sublimi loco præcipitatur, & allisum ad pauimentum templi recens coctili laterculo stratum, caput fœdissimè fregit: emotus mente, ac sensibus aufertur, nudatum inde corpus, cilicina veste constrictum apparuit, & diligenti adhibita curatione, Dei ope, mentis vsum recuperauit, & vitam obtinuit quantum temporis ad iterum expianda peccata, & extrema suscipienda Ecclesiæ sacramenta suppeditauit, quibus per otium munitus magna æternæ salutis spe ab huma

humanis exceſſit,anno ætatis quadrageſimo primo, Societatis ſexto. In Probationis receſſu verſati ſunt hoc anno tyrones nó pauciores viginti,præter nouẽ,qui domeſtico miniſterio procurãdo in varia Prouinciæ Collegia diſperſi ſunt: inuſitatus omniũ in amplectẽdis viliſſimis,ac ſeruilibus miniſterijs feruor extitit, & ſupplicijs voluntarijs ſe macerandi adeò incitata cupiditas, vt ſeuera Magiſtri denunciatione coërcendi ſępenumero fuerint. Hiſpanæ claſſis appulſu augeſcente in Noſocomijs decumbentium numero, viuidus eorum ardor ſtetit,& aſſidendo fœdiſſimo quoque morbo correptis,& omnibus charitatis, & ſubmiſſionis obeundis officijs, eam ſui,& Societatis coniunctam cum veneratione charitatem pepererunt, vt exſtiterit, qui recuperata valetudine votum conceperit ſeruiendi Societati.

QVI in Collegio S. Hieronymi ſub Noſtrorum cura,& diſciplina educantur Hiſpani adoleſcentes, optimum tenent virtutis,& probitatis curſum, recognoſcẽdis quotidie verbis,factisque diligenter,vſurpandis crebrò Confeſſionis, & Euchariſtiæ ſacramentis, & alijs honeſtis muneribus in eam frugem adoleſcunt, quæ bonam Reipubl. ſegetem allatura videatur, eorum profectu inuitatus bonus quidem rerum æſtimator Epiſcopus,chariſſimos fratris filios, aulæ ſuæ, & eruditi pædagogi commoditate neglecta, in Noſtrorum conuictu, & conſuetudine ſuis impenſis voluit enutriri. Hoc anno tandem perducta eſt ad exitum Aedes ſacra, cuius pulchritudo cùm recens ad oculos hominum peruenit, magnam habuit celebritatem,& plauſum; eſt enim multorum opus annorum, cùm magnitudine nobile, tùm artis varietate diſtinctum. Itaque prima dies, quæ Dominica fuit infra octauas Epiphaniæ,qua ſacris regionibus vſui cœpit eſſe,tinnitu feſto,ſymphonia,choreis,ingenti omnium ordinum ſtudio,lætitia,ac frequentia tanta,quanta

Digitized by Google

solet esse maxima celebrata est. Collegium canonicorum; Senatorum coetus, lectissimus Procerum numerus, Religiosorum ordines certantes officijs, in nostrum Collegium conuenêre, vt è veteri æde in nouum templum conuestitum aulæis, & multigeno carmine, suffitumque suauissimis odoribus solemni apparatu sacrosanctum Christi D. Corpus inferrent. Viæ proximæ vario peristromate, & virent fronde elegantem in modum ornatæ, suspensa pro culminibus ex serico militaria vexilla aura leui ventilata longe, & latè collucebant. Ergo vbi se pompa mouere cœpit, sublatus in cælum buccinarum cantus, ac timpanorum sonitus ex omni parte perstrepuit; mox tormentorum fragor, ædificijs intrementibus, omnium aures longo remugitu compleuit. Episcopus augustissimo cultu trabeatus, manibus Eucharistiæ pixidem præferebat, sub vmbella preciosa ex auro textili, quam scipionibus inauratis Ciuitatis principes sustentabant, præibant cum accensis cereis adolescentuli è nostro Gymnasio, auro, gemmisque nitentes viginti quatuor, qui submissis reuerenter genibus Hispano carmine cum Regem Regum lepidissimè salutassent, veniam petierunt, vt in ea supplicatione Regi, ac Domino suo id obsequium multis nominibus deditum præstare liceret: inductam in templum supplicationis pompam, Angelorum specie, cultuque pueri pro specularibus fenestris loco eminenti, temperata varietate vocum, & lyrarum suauissimis sonis excepe-runt: habita demùm breuiter concione, populus admiratione fatur eo die discessit. Feria tertia eius hebdomadæ Theologiæ theses præsertim, quæ ad celebritatem facere videbantur de templorum dedicatione, & reuerentia Sanctorum imaginibus exhibenda in lectissima doctissimorum hominum corona disputatę sunt. Feria verò quinta in magna frequentia plebis, Musicæ concentu suauissimo, tabula speciosissima, Dei Genitricis puerum IESVM

Digitized by Google

SVM ducentem somnos piè contemplantis duobus pueris in speciem Angelorum ornatis, velamina aperientibus exposita, & confecto sacro datum drama splendidissimum, quod vel propter grauitatem carminis à Poëta omnibus artis opibus exculti, vel propter adiunctas singulari artificio choreas eruditis pariter, & doctrinæ expertibus vehementer placuit. Dominica quæ subsecuta est, octaua celebritatis die, ex templo maximo, quæ P. Petrus Morales Roma ante annos quinque attulerat, sacri sanctorum cineres, & tres illæ decoræ particulæ ligni ex quo mundi salus pependit, frustum velaminis, quo cælorum Regina, mundi regem nascentem in terris touisse memoria est, & Ioseph sanctissimi Dei Genitricis sponsi pallij particula, tensis auro, preciosisque lapillis pulcherrimè conuestitis, in templum nostrum, Canonicorum, aut Religiosorum hominum humeris comportata. In qua supplicatione propè ad certamen exornanda, quàm fauentibus vti fuerimus Episcopo, Clero, sacris ordinibus, Nobilitate, & plebe vniuersa satius duxi silentio prætermittere, quàm rem omni prædicatione maiorem in angustias huius narrationis conijcere. Eo die in actione à discipulis exhibita diuisa sunt proposita præmia poetis; quindecim magni pretij, argentea signa, præter multas agni cœlestis effigies, christallinis bullis inclusas. Nec abierunt sine munere, & collaudatione publica nobilitatis Principes, qui vel vt nobis gratificarentur, vel vt gratularentur suæ ciuitati, tanta decora, & ornamenta, equestria certamina, quæ in magnorum Principum inauguratione-bus, aut pro bene confecta publica re fieri solent; ea magno apparatu vtraque Dominica die ediderunt. Cæterùm in AEde veteri Indis relicta cum atrio ad vsus pios necessario, magna ab ea gente gratulatio habita est; sed & noua consecratione templi, noua facta est ad sacrorum veneration-em accessio.

Digitized by Google

GVAXACENSE COLLEGIVM.

IN hoc etiam Collegio in plures partes diuisa est Nostrorum industria, multiplici laboris prouentu. Duplicato Discipulorum numero creuit Partheniana Sodalitas, & virtutis exemplis: nam vt interim omittam euulsam pessimam iurandi consuetudinem, luxus, & alearum libidinem, & procacem parentibus aduersandi licentiam, & alias morum labes Guaxacensibus adolescentulis, prauo educationis vitio, & patria contagione communes prorsus abolitas, solemnibus ex instituto Sodalitatis officijs, egregio in Dei Genitricem studio, & pietate præstandis inter alias animorum vtilitates id assecuti sunt, vt in parentibus, & popularibus vniuersis colendæ muneribus Cælorum Reginæ, & eius effigiem in nostro templo repositam cum pia religione adeundi studium, acrioribus pietatis stimulis incitaretur. Itaq; sabbathi diebus ea fuit multitudo hominum accurrentium ad sacrificium Missæ Dei Matri votiuum, lobilei demerendi causa, vt cùm sacelli angustijs plures excluderentur, laxandi fuerint parietes, quo in opere magno pietatis certamine suam de nobis, aut verò propius de Cœli Regina bene merendi voluntatem ciuitas vniuersa patefecit: alij enim seruitia, atque mancipia, alij cementa, & ligna; alij etiam sericam vestem, & ornamenta sacelli cóferebant: ita sacra suppellex aucta est hoc anno quinque pensilibus ex argento lycnuchis, piorum liberalitate donatis, & eorum vnius alimento perpetuo oleum constitutum.

IN elementario ludo numerati pueruli centum, & septua

septuaginta,& ex his qui caracteres peritè legere, & calamos scitè tractare nouerant, gymnasij augmento selecta non spernenda manus:at in omnibus ea viget pietas, vt facto domesticorum cœtui Christiana rudimenta, & Catechismi rationem, parentibus quidem magnoperè gratulantibus tradere consueuerint:ex concionum perpetua semente fructus non pœnitendi percepti iniecta aliquibus mens vniuersæ vitæ sordes per confessionē eluendi: reddita dominis grandis pecunia, quam fraus interuerterat.Mulier quæ absente marito pessimi exempli ducebat vitam magna licentia morum,ad meliorem frugem reuocata. Restituta quæ inter duos coniuges exulabat concordia animorum, euulsis turbarum radicibus. Ex suburbano etiam Indorum vico Xalatlaci frequentes hominum concursus in templum nostrum magna Hispanorum admiratione fieri consueuerunt,præsertim diebus Iobilei, atque in ipso etiam vico ad summum perducta est maxima templi capella, Indorum sumptibus structa, vt sacra ædes in mediocri amplitudine noua laxitate capere posset confluentes ad concionem Nostrorum, qui festo quoque die Christianæ vitæ præceptis, & elementis oppidanos ad pietatem erudiunt.

COLLEGIVM PASQVARENSE.

INGENS Pasquari messis propter non mediocrem Hispanorum, numerum & infinitam propemodum Indorum multitudinem: sed Indicus ager à quatuor Sacerdotibus intentiore cura subactus,concionum perpetuo sarculo euulsæ ebrietatis radices infelices.Pedaneus Prætor, & alij ma-

Digitized by Google

gistratus cùm Sacerdotem nostrum inuectum prò concione in homines, qui vinum exponebant venale, audiuissent, vt sunt Indi Nostrorum consilijs obsequentes, missis toto oppido viatoribus de eiusmodi licentia diligenter inquisiuerunt, & compertos huius sceleris reos, fractis publicè vini dolijs, & alia seueriore insuper iniuncta pœna, egregiè mulctarunt. Sed ne huiusmodi plures vtilitates in hominum genus consequantur ab audiendis concionibus homines reuocare viribus, & arte contendit vetus humani generis hostis. Pauida & soluta in lachrymas notæ probitatis vetula narrabat nostro Sacerdoti, die quodam festo concionatore suggestum ascendente Indorum manum templo egressam, ac se tunc non sine stomacho ad exeuntes conuersam aspexisse, singulis abeuntium tetro aspectu dæmonem cum blanditijs, ac lenocinijs præcurrere, ac ponè singulos Dæmonem alium minaciter vrgendo, & impellendo ictibus succedere, vt penè vi extractos à concione præcipiti festinatione currentes extra templum agere viderentur. Habuit dictis fidem noster Sacerdos, non sine tacita commiseratione, contemplatus trementes præ horrore mulieris artus, & micantem ex oculis, & vultu animi dolorem. Sed exempla inusitata, inuitante materiæ varietate, vt cœpimus commemorare, pergamus.

FOEMINA quædam, quam olim Pater Gondisaluus Tapia, septem circiter ab hinc annos Cinaloæ à Barbaris interfectus, in viam æternæ salutis deduxerat, postera luce Sacerdotem confessionis gratiâ adire cùm statuisset, somno, & quieti se dedit: somnianti adfuit species Regiæ domus, auro, gemmisque ad magnificentiam excultæ, cuius in vestibulo eximiæ pulchritudinis adolescentes duo collucebant: hic inter alios, quorum industria multi homines incolumes, & securi in Regiam patentibus portis inducebantur Pater ipse Gondisaluus apparuit,

ruit,ingenti hominum multitudine eò perducéda; imprimis insignis,ad eum mulier priſtina familiaritate animos, & audaciam faciente, ipſa inter alias accedit, & pro ſua in illum veteri charitate precatur, per eum ſibi in regiam ingredi liceat: at Pater ſeuero vultu:Filia, inquit, nondum tibi maturum tempus aduenit, & præterquam quod multa tibi in mandatis à me relicta, per ſocordiam, & negligentiam exſequeris, in confeſſione crimina tacuiſti (& memorabat rurſus aliqua à muliere patrata:)tunc illa ingenti concepto dolore, ſomno repentè ſoluitur, & anteactæ vitæ memoriam repetens,planè comperit obiecta in ſomnio piacula à ſe fuiſſe commiſſa, nec tamen per confeſſionem expiata. Ergo vbi primùm ſe dies aperuit, adito Sacerdote noſtro ſomnium enunciat,& vitam percurrens vniuerſam, quicquid fœdi latebat effundit.

EST etiam in hoc Collegio elementarius ludus, in quo pueruli Indi pariter, & Hiſpani nominis litterarum, & Chriſtianæ vitæ rudimenta docentur. Quotidie flexis in terram genibus, Roſarij exigunt preces, & quibus per ætatem licet,ſacramento confeſſionis crebrò,& cum pietate tractando aſſueſcunt. Frequentat ludum Hiſpanis ortus parentibus ſingulari indole puer, qui grauem coniectus in morbum medicorum ſpes, & remedia eludentem, nihil propius habuit, quam vt vita fungeretur; ſed præter hominum expectationem Dei Genitricis ope ſeruatus eſt:nam cum morti proximus ſomnos duceret, repente ſuo nomine compellatus, euigilans aſpicit auguſtiſſimo cultu,& pulcherrima ſpecie fœminam, & monachum ex Franciſcana familia lectulum circumſtantes: & prior monachus,Hęc quam intueris,cœlorum eſſe Reginam aduertito, puer, & me Didacum Complutenſem, quem tu ſingulari pietate proſequeris; ad hæc ille eximia animi dulcedine delibutus,vno defixus obtutu,admirabilem Virginis pulchritudinem tacitus contemplabatur.

Tunc

Digitized by Google

Tunc Virgo, Ne cócidas animo, filiole, si rosarium semel, atque iterum in meum obsequium recitaueris, optatam valetudinem sine mora recipies. Cumque discessum cœlites parare viderentur, puerulus audacior factus monachum scisciatur, quem exitum sua mater sortita fuisset, paucis ante diebus ab humanis erepta? De hoc, respondet ille: filiole, te iubeo esse securum, & lætum: nam illa cum cœlitibus in cœlo felix agit ævum. Quæ cùm esset effatus, vtraque species apparere desijt. At puerulus vbi primùm se ex admiratione collegit, vocatæ auiæ visa ingenuo candore denunciat, petitque Rectorem Collegij vocari, esse sibi, quæ velit per confessionem expianda. Adest vocatus Rector, & primò de idonea ad confitendum ætate non minùs, quàm de specie puerulo obuersata animi dubius multa illum interrogare, ad quæ ille eo ordine, & pietatis significatione respondit, vt obstupescerent cuncti, & Rector oblatam eius animo luem, & infusa charismata recognosceret. Sed illud præcipuè responsum Rectoris animum admiratione simul, & lætitiæ voluptate perfudit, quo puerulus excusabat ideò à se colorem, & formam Virgineæ vestis obseruata non fuisse, quod eximius ille in ore Virginis decor elucens, cui nulla humanarum rerum pulchritudo conferri posse videretur, mentis, & oculorum intentionem tam iucunda voluptate captam retinuerat, vt aliò nec parumper oculos flectere, aut cogitationem animi traducere sibi libuerit. Igitur cùm ineundæ confessionis rationem ex Ludimagistri præceptis se probè tenere affirmaret, aures præbitæ confitenti: auxitque miraculi fidem recuperata paucis post diebus valetudo, & inita vitæ ratio, quæ puerum morum probitate, assiduitate precandi, & bis quotidie sacram corollam percurrendi studio, inter magnum puerorum gregem reddat insignem.

VINCTIS, morbo oppressis, & in Xenodochio decum

decumbentibus crebra, & vtilis nauatur opera : Experta multoties Noſtrorum hominum aduerſus Indicum nomen voluntate aduerſæ cuiuſque fortunæ ſolatia à nobis petenda,& laborum præſidia, in Societate ſibi repoſita exiſtimant Paſquarenſes, & quidem impetratis à nobis morborum remedijs, interdum pulſa ægritudine conualeſcunt. In pago finitimo puer annos natus circiter nouem, ingenti vi, & corporis diſtorſione iactabatur frequenter, à dæmone creditur occupatus, & à ludi magiſtro iuſſa parentum verberibus identidem excipiebatur miſellus, vt dolor dolore educeretur, tandem remedijs omnibus fruſtra tentatis, donata à ſacerdote noſtro ſacratæ ceræ particula,ad collum fanatici appenditur, eo remedio aut morbi vis, aut dæmonis infeſtatio in poſterum repreſſa,nec multis poſt diebus parentes Paſquarum venere,vt Patri reſtitutam filiolo valetudinem nunciarent, & pro ſacra medicina grates cumulatè perſoluerent : Aliam fœminam adeò lemures vexarant, vt attritam,& feſſam incommodis,iocis, penè in morbum conieciſſent, ſed recitatis ſuper eam conſuetis ex Euangelio verbis,& agni cæleſtis ſigillo,larvales vmbræ fugatæ.Excurſiones quoque multis ſaluti fuêre:duæ præſertim ad populos remotiores Parochorum rogatu, accerſituque ſuſceptæ, ingenti noſtrorum labore, quippè,qui per regionem immoderatis caloribus æſtuantem iter pedites egerint, & cibariorum penuria biduum vna Maicij admodum arida,& exili offella aliquando traduxerint, ſed huiuſmodi labores diuinæ conſolationis dulcedine, & propè in manibus animorum meſſis vbertate facilè obruebantur.Magna expectantium Barbarorum voluptate,& gratulatione excepti Sacerdotes,nullis laboribus & difficultatibus pepercerunt, vt animorum præda quotidianis parta fraudibus, hominum aduerſario de manibus eriperetur. Diſcuſſa ignorantiæ opaca nox Diuinę legis

aſſidua

Digitized by Google

assidua prædicatione, eiulsæ superstitiones, quas præstigiator antiquus occupatis terrore sui animis iniecerat. Sagæ mulieres, quæ mittendis sortibus, & dandis ad dubia responsis, quæstum à popularibus corradebant, ab improba fallendi consuetudine abductæ. Frænum iniectum immodicis compotationibus. Nutantes nuptiæ confirmatæ, & vagæ, errantesque libidines matrimonij inclusæ limitibus: & vnde laboris, & fructus coniectura trahatur, Sacerdos vnus ab initio Quadragesimæ vsque ad solemnes Spiritus sancti ferias in expeditione versatus, quatuor hominum millia per confessionem expiauit, & ex his plures mille de vniuersa vita confitentes audiuit. Alter in aliam Regionem destinatus à Septuagesimæ hebdomada, vsque ad diem, quo Christum colimus ascensum in cælum, continuato labore hominum de contractis eo anno peccatorum maculis quatuor millia, toto verò vitæ anteactæ curriculo duo millia confitentium absoluit.

COLLEGIVM VALLISOLETANVM.

TRES Sacerdotes Vallisoleti versati quàtum ciuium patitur infrequentia, & clericorum, ac Monachorum multitudo permittit. Solemnibus ex instituto muneribus, non quieuerunt homines, à vitiorum turpitudine ad virtutis dignitatem omni arte traduxêre. Conciones de confitendi ratione habitæ. Maximi ieiunij festis diebus, matutinis in foro vrbis ad Indos, vespertinis ad Hispanos, cùm aliis nominibus frugiferæ fuerint, tùm maximè quod plurimos adduxerint, vt anteactæ vitæ cursum relegerent con

confitendo. Aliquorum capitalie iræ, vnde magni imminebant vrbi tumultus, nostrorum auctoritate compositæ. Literarum etiam procuratio suos habuit progressus: nam ex duplici classe politioris doctrinæ plures hoc anno ad grauiorum scientiarum studia prodierunt, quam omnibus retrò annis à deducta Hispanorum colonia prodissent, & classis explicandis officij quæstionibus dicatæ latè vulgata vtilitate, permoti totius territorij parochi difficiles, nec dum satis explicatas de officij ratione controuersias ad nostrum Doctorem sæpissimè deferunt, imo & Episcopus, vtriusque ordinis magistratus, ciuesque ipsi, & religiosi viri permulti, vbi de officij ratione dubitatur nihil à se, nisi ex Nostrorum iudicio, & præceptis expediunt, vt vel hic, etiam si solus esset, satis amplus nostræ in hac Prouincia commorationis, & industriæ fœtus videatur. Docentur, etiam sacris ordinibus initiati Mexicanensis sermonis grammaticam, ne instituendis populis præfecti inscitia linguæ, vt sæpè contingit boni parochi functionibus animorum incommodo desint. Nec tamen harū rerum studia sic in nostro gymnasio viguerunt, vt in pectoribus auditorum pietatis cura langueret. Parthenianæ Sodalitatis alumni primas ferunt, qui ad solemnia munera Sodalitij, egregiæ virtutis documentis persoluta, & bis totius anni hebdomadis, ter Quadragesima vsurpata flagella, pœnitentiæ causa frequentem ad hibent sacramentorum vsurpationem, quę literarijs exornata munusculis, & crebra magnæ matris collaudatione, populo gratiora, & speciosiora redduntur. Cæterùm aliarum Vrbium exemplo hoc anno primùm quinta maioris hebdomadæ feria deducta est supplicatio superioribus annis cæsso labore tentata. Istruebatur duplici agmine aliquorum gymnasij auditorum, & puerorum vrbis sub signo Pueri IESV crucem baiulantium, & quamuis initio timor fuerat propter magnam

gen

Digitized by Google

gentis paupertatem, oppidò paucos tunicis indutos asfuturos, vicit tamen pietas egestatem, & numerus dealbatorum nostrorum expectationem; nam præter eos, qui pegma gestabant, & cum cereis ardentibus præibant, agmen supplicantium omnino centum pueris, adolescentibusque censebatur. Prosequebatur ciuitas ad spectaculum vniuersa concurrens, & obuiam prodibant quacumque se pompa circumegerat Religiosorum familiæ, & afficiebat pietate animos intuentium tenera ætas pœnitentium, mæstumque, acgraue silentium, quo omnia gerebantur.

COLLEGIVM GVADALAXARENSE.

CONCIONVM frequentia persuasum est profligatæ vitæ hominibus, vt superioris vitæ dedecus insequentis laude corrigerent. Plures adducti, vt pueritię memoriam recordati vltimam, & inde vsque præteriti temporis maculas repetentes, generali confessione animi sordes abstergerent, idque vt fructuosiùs facerent, abiecta rei familiaris procuratione, paruo inclusi cubiculo, piis commentationibus ex præscripto Nostrorum animum præpararent: quo adiumento sic exarsit multorũ religio & melioris vitæ amor, vt relicta seculi vanitate cœnobiorum claustra sine mora petierint. Sublatę quoque prauæ consuetudines publico damno inueteratę, admitéte maximè Regij Senatus Præside, publicæ vtilitatis, & diuini obsequij studiosissimo viro. Nosocomij ęgroti eleemosynis adiuti, & cõsiliis opportunis. Christianæ legis elementa, tùm in compitis, & patentioribus viis, teneræ ætati, tùm etiam

AEthio

Aethiopibus tardissimi ingenij, in sacello quod apud nos habent, non mediocri labore tradita: sed fallitur perspecta vtilitate laboris sensus; nec desiderant Nostrorum opem, qui Quadragesimæ tempore duodecim leucarum confecto itinere, nostri ordinis sacerdotes, sitientibus animis conueniunt ad confitendum, & sæpenumerò de maculis vniuersæ vitæ. Adolescentes qui in bipartita classe ad latini sermonis elegantiam excoluntur, dederunt piura in litteris, & virtute sui profectus documenta; quorum omnium exempla tacitus consultò prætereo, ne in rebus assiduo vsu contritis, multi simus. Cæterum sacello B. Virginis duo ex argento candelabra cuiusdam ciuis liberalitate donata.

COLLEGIVM TEPOTZOTLANVM.

EX perpetuis Nostrorum officijs, quibus veteres regionis incolas Mexicanos pariter, & Otomitas ad pulchritudinem Christianæ pietatis expoliunt, & ex fructu, & vtilitate cultorum labores, & vigilias semper æquante, nihil sese extulit inusitatum, aut singulare quod litterarum commendationem requirat: noui tamen inquilini qui nuper Tepotzotlam ex finitimis populis domicilia transtulerunt, illustriorem fecêre Nostrorum industriam: eorum enim aliquos mulier dæmonum familiaritate, ac veneficis nobilis, portentosis mendacijs in fraudem impulerat, Christianorum Deum ita venerari, vt auita sacra, & Mexicani florentis Imperij Deorum cultus, & cœrimoniæ desererentur, impium esse, ac nefarium credulis Indorum mentibus persuaserat, Christianorum Deum magis, quòd

Digitized by Google

priuatim offensus esset, Vitzilopeheli Mexicanorũ Deorum maximo, seueris legibus, eius & aliorum Deorum cultum hominibus interdixisse, quàm quod æquitas, & vera religio pristinos Mexicanorum ritus, & sacrificia cum recentibus Hispanorum cœrimonijs consistere posse negaret. His quasi fundendis oraculis eam de se captis errore mentibus venerationem incusserat, vt non solùm Deorum interpres, & internuncia; sed diuina quoque pollens miracula patrandi facultate crederetur; *eius imperio* aërem in nubes repentè cogi, & in patentes circa regiones siccitate laborantes magnam vim imbrium effundere; eandem imbre sæpè tonante per densam pluuiam perrupisse, & sicca veste, & vestigio parentes in destinatum nefarijs religionibus montem perduxisse ferebant, & nunc sublatam in cœlum larualibus vmbris homines territare per noctem, & mandata sua contempta, & neglectas Deorum religiones vlcisci. Ergo vt vetulæ manes, & Deorum iram placarent ad montem qui duobus ab oppido leucis inter adiacentes complurimos, celso admodum, & acuto attollitur iugo, barbari vndiquè sacrificij causa ventitabant. Digitum cœli, montem appellant, inde tanquam ex sacro, ac sancto fastigio munera Deorum humanæ vitæ opportunitates, & commoda diriuari. Rudis in vertice, & informis lapis Vitzilopeheli personam agebat: nam idolum figurare ne sacrilega superstitio proderetur consultò cauebant. Huic *saxo natiuum* Copalis odoramentum, splendidè & *copiosè* apparatos cibos, papyri plagulas humano cruore respersas, gallinæ sanguinem, &, quod horret animus meminisse, suffocatos per summam impietatem pueros, & elicitum suis è poplitibus, & genibus sanguinem repetita ab orco maiorum superstitione, offerre consueuerant. Ea contagio ne longiùs serperet, veterum Tepotzotlanorum religione matura compressa est; nã huiusmodi aliquid odorati,

Digitized by Google

rati, sine mora ad Sacerdoteē nostrum detulerunt. Igitur seuera inquisitione Magistratuum, & frequenti cœlesti si irarum denunciatione incusso terrore, orientis mali semina restingui cœpta: nam cum sacerdos noster in proximo vico pro concione idololatriæ scelus ingenti animi ardore redarguisset, tactus religione ex auditoribus quidam, ea infectus tabe, postera die nondum certa, ad templum rediit, seque & alios decem eadem opinionum insania laborantes sacerdoti prodidit; & per confessionem expiatus exposuit animi noxas, & cum timore vetulæ commentitiorum Deorum cultum sic ex animo abiecit, vt erroris socios in eandem sententiam, & ad genua sacerdotis deduxerit: quorum omnium Dei benignitate ij mores iam sunt, & vitæ mutatio, vt alternis saltem mensibus confessionem vsurpent, & Patri-grates frequenter agant, quòd eos à densis idololatriæ tenebris, ad lucem veræ religionis asseruit. Cæterum Patres omnes qui in hoc Collegio commorantur, vigilias frequenter intendunt, ne generoso Euangelicæ veritatis semini vetustus humani generis hostis infelix lolium erroris interserat, & in oppida vicinæ pariter, ac remotę Regionis frequenter missionis nomine excurrentes, diabolicę fraudis reliquias persequuntur, & barbaras gentes in Christiana fide & pietate confirmant.

SEDES VERÆ CRVCIS.

IN oppido veræ Crucis, tres Sacerdotes cum adiutoribus quatuor, rei domesticæ administris, nihil laboris, & industriæ prætermiserunt, quod ex instituto, & munere Societatis

Digitized by Google

in proximorum vtilitates, & commoda conferre potuerunt. Generales multorum confessiones exceptæ, pulsi pessimi exempli qui inoleuerant mores; dissidentes odio, adducti Nostrorum precibus, & consilijs, vt iungerent dextras, & inimicitias perpetua obliuione contererent. Sed in hoc genere magnopere commendata est ab vniuersa ciuitate cuiusdam Patris industria, qui virum principem ferocem iræ, quam iustus ex paterna morte stimulabat dolor, paulatim leniendo ac mulcendo *verbis ad* æquitatem, & clementiam flexit, & ad condonandam patris necem vnà cum matre, ac fratribus Deo adiuuante perduxit, eo magis admirante ciuitate, quod ab atroci nece vix tertius effluxerat mensis, & in vltione magni tumultus multorum causæ malorum futuri magnoperè timebantur. Explicuit se Nostrorum charitas in adiuuandis hominibus, qui egestate plerumque compulsi ex Europa huc classibus Regis Catholici transmittuntur, & hoc anno cum in terram expositi, in vrbem victus quærendi causa, extrema penè rerum omnium inopia concurrerent, & attritis emporij opibus omnium necessitati ciues pro sua voluntate subuenire non possent, non recusarunt socij quo minus octoginta, & his plures quotidie in nostris ædibus cibo reficerent. In portu S. Ioannis, duæ rostratarum celsiorum classes, quarum altera argentum viuum ex Hispania attulit, altera argentum, & *purpuram* eò reuexit, dùm in anchoris fuêre, *idoneam nauigandi* tempestatem præstolantes, ingentem *laboris segetem* Sacerdoti nostro præbuerunt. Militum odia, ac simultates magno vitæ periculo contraxit, dùm eorum licentiam, & improbitatem verbis, & auctoritate coercet, & Insulanos ab eorum iniurijs defendere nititur; ingentes quoque difficultates superauit, dum pacem maximè inter primarios viros restituit, & naualem omnem turbam in magna diuini pariter, & humani iuris inscitia, & in alta futuri

futuri seculi obliuione iacentem ad expianda peccata, & curandas animi plagas adducit. Frequentes habuit conciones, & in coetibus Classiariorum familiares de diuinis rebus sermones opportunè serebat, vt quod ex superiore in cassum egerat loco, priuatis colloquijs, & familiari congressu ad exitum perduceret. Christianæ doctrinæ summam explicabat identidem: & videbantur Angli, qui amissis duabus nauibus in potestatem Hispanorum venerant, & tunc in vinculis tenebantur, ijs officijs commoueri, & animo immutari; & quidem duo pueri baptizari ritu Catholico voluerunt, qui nunc vt voti cõpotes fiant, catechismo informantur. Auxit opportunè per eos dies incitatam hominum religionem infelix, nec opinatus militis cuiusdam interitus, qui in contubernijs, & frequentioribus hominum circulis Sacerdotis nostri monita procaciter aspernatus, linguæ intemperantia, ac veteri in nostros homines odio prouectus, multa superbè, & contumeliosè in Societatem iactauit, & addidit cum iuramento temeratus, ac sordidus, non sine audientium offensione & stomacho, abiret Teatinus cum importuna, & trisli sapientia, ante mortem sine Sacramento se obiturum potius, quàm alicuius ex eo ordine iudicium subiturum. Paucis post diebus contigit, vt leui momento iratus commilitoni, dissimulata parumper ira, in aures insusurraret, esse sibi quæ cum illo remotis arbitris agere velit, & manu prehensum templum ingressus lustrali aqua aspersit; & tu, inquit, animæ saluti consulito, cælitumque opem exposcito, non ante hodiernus concidet sol, quàm hac dextra interemptus occumbas. Exhorruit scilicet miles subito, & atroci denunciatione perculsus; deinde se cupere amicitiam prouocantis nequidquam obtestatus, ad pugnam se comparat. Irritatis itaque animis egrediuntur, enses educunt, & in mutuam necem collato pede feruntur; primo congressu pronocator adacto in viscera

Digitized by Google

ferro in eodem vestigio concidit moribundus: Illicet vndique magna hominum multitudo concurrit, quæritur à confessione Sacerdos proximus, qui aberat noster, accersitur, sed seuerissimo Dei iudicio factum est, vt qui oblatam confitendi facultatem animo fastidiente respuerat, verus suo damno vates volens nolens promissis staret, nam Pater præpropero cursu aduolans infelicissimum hominem linquente iam animo, & vsu linguæ impedito inuenit, multaque in aures valido clamore vociferatus, nullum contritionis, aut confessionem cupientis animi, signum elicuit. Ergo vbi animam miserè, atque infeliciter efflauit, multis subijt recordatio eorum, quæ paucis ante diebus militariter de nostro Sacerdote, & Societate vniuersa iactauerat; nec dubium alicui fuit, eo exemplo se commonefieri, vt salutaria concionatorum monita grato ac libenti animo arriperent, & sacros Ordines cum veneratione suspicerent. Obita præterea sunt vicina Indorum oppida, quibus eò gratior fuit Nostrorum opella, quòd Parocho nondum linguæ cognitionem adepto omnibus animorum solatijs toto anno caruerant. Mirum quanta simus apud eos populos charitate, quanta fiducia arcana pectorum nostris denudent, quàm sitientes aures eorum concionibus afferant; quare Socij quotannis ex eo nouali plenos manipulos domum reportant, sed pleniores hoc anno: nam ex interiore regione allecti nostrorum anniuersaria excursione, quò ex eorum congressu fructum perciperent, multi in oppidum quoddam huius territorij successerant, instinctu plane diuino; illud enim primò à Nostris lustratum est; contra quàm consuetudine receptum erat, & Patribus in reliqua oppida excurrentibus. Fœda morbi lues in ea regione grassata oppidum funeribus propemodum exhausit, & quos morbus extinxit, sine confessione decessissent, si aliundè fuisset excursio à Nostris incœpta. Mortuus est in hac sede frater Petrus Carrillus

rillus sacro subdiaconatus ordine insignitus, qui cum cæteris Socijs, quos R. P. N. in has regiones destinauit, nauim conscendit Hispali, & toto longinquæ nauigationis tempore, graui, ac molesto morbo vexatus, quarto die postquam D. Ioannis portum attigit, emenso etiam procelloso vitę pelago, portum Beatitudinis, vt Dei benignitas, & præclari ad colendam Domini vineam hominis impetus pollicentur, felicissimè tenuit. Obijt extremis Ecclesiæ sacramentis multa significatione pietatis acceptis, vltima die mensis Augusti huius anni, initæ Societatis decimo, ætatis vigesimo sexto. Cæterùm piorum eleemosynis contracti æris alieni tria argenti ponderum millia persoluta.

SEDES CINALOÆ.

MVLTA quæ superioribus litteris adumbrauimus, certiùs explorata breuiter attingemus. Communia multa, & alibi fortè reticenda, sed in populis nuper aggregatis ad fidem, & ex cœno superstitionum extractis, etiam ea, quæ inter veteres Christi cultores vsu eueniunt quotidiano, magnum momentum habét ad pietatem excitandam. Quatuor ergo Sacerdotes cum fratre Coadiutore dũtaxat vno, asperũ hoc vepretũ excolunt, eo ordine, vt postquam mensem integrum singuli extra oppidum euangati in spargendo Euangelij semine, & confirmandis in fide Neophitis collocauerint, quasi receptui canant, & quindecim dierum spacio domi se teneant, vt intentiore suæ vitæ recognitione, & contemplatione rerum cœlestium vegetiores redditi, quasi integratis viribus, & nouo impetu capto ad instituta in Dei gloriam, & animo-

Digitized by Google

rum cómoda promouenda reuertantur. Præcipuæ quoque celebritatis diebus, non solùm Patres in hoc oppidum Cinaloæ conueniunt, sed Neophiti etiam frequentes affluunt, cum alijs pietatis nominibus, tum præcipuè; vt moribus, & lingua dissidentes congressu, & religionis vinculo, & necessitudine coalescant. Sed ne diuersitas linguarum à procuranda gentis vtilitate retardet, quantum studio, ac sedulitate perfici potest, enituntur Patres, vt linguarum omnium consuetudinem primo quoque tempore nanciscantur. Frugifera hîc oppidanis Hispani nominis, & militibus præsidiarijs impenditur cura, qui frequentatione sacramentorum sibi saluti sunt, & Neophitis excitamento. Inuisitur custodia publica, & ex nostra tenuitate vinctis sæpè cibus infertur. Tolluntur semina discordiarum, & odio dissidentes, data ac petita publicè venia, ad pacem reuocantur. Pueris, ne tenera ætas sine compendio aliquo conteratur, traduntur litterarum rudimenta; ratio Ecclesiastici cantus, & quod caput est, Christianæ legis & alia morum præcepta. Ad Indos deinde labores, & studia conuertimus: magna hic eorum colluuies præter inquilinos, conuenæ etiam Mexicani, Tlaxallenses, Meciocanenses quamplurimi numerantur, qui locanda apud Hispanos in diem opera, vitam haud pessima conditione traducunt. Dederunt omnes suæ pietatis specimen, verni ieiunij diebus, cùm instructo agmine, è delubro Virginis Christianam doctrinam, & hymnos patrio carmine conditos, piè admodum, & religiosè canentes, ter singulis septimanis in nostrum templum venirent, vt concione, & psalmi quinquagesimi cantu excitati ad pietatem animi in sua terga fæuirent: sed hoc studium sua domandi corpora, Christi Domini cruciatus recolendi, maioris hebdomadæ ferijs testatum fecêre, cùm duabus deducti supplicationibus, cum ingenti sanguinis profusione structa è ramali

Digitized by Google

malibus temporaria sacella, Dei misericordiam poscentes, obirent. Mense quoq; Septembri cùm ingrueret aquarum penuria, & sata, segetesque magno detrimento incolarum passim torrente sole siccarentur, de nostro consilio tribus diebus, qui nascentis Deiparæ solemnia præcurrunt facta supplicantium manu, pegma Dei Genitricis, quo maximo potuerunt ornatu, ac pompa, in templum deduxerunt, & eluris per confessionem animi sordibus, & Angelorum cibo refecti, ante aram ipsius Dei Genitricis effigie conspicuam sese acriter diuerberantes, communis hominum patronæ opem afflictis rebus impetrarunt: nam tertio supplicationis die, repentè cœlo sereno, coactæ nubes duarum horarum spatio, magno fragore cœli, imbrem effundere non desierunt, gratiarum officio persoluto, vt suæ religionis, ac fidei accessionem factam ostenderent, sagam prodiderunt, quæ suo imperio pluuiam cohiberi, & nubes discuti prædicabat, extemplò misso viatore venefica adducitur, & sine tergiuersatione crimen confessa, egregiè punitur.

SED iam qui sit profectus Indorum, qui in ea Regione ortum habent, breuiter exsequamur. Huc Nostrorum peregrinationes, vitæ molestiæ, & quotidiana pericula referuntur: maiorem anni partem concursantes per oppida Socij in excursionibus ponunt. Quamdiu Sacerdos in oppido est, conueniunt Neophiti omnibus diebus, vt sacro interssint, & religionis præceptis informentur; diebus verò festis ex finitima regione sub vexillo Crucis viridi fronde, & pluma versicolore in speciem ornato, longa serie ad visendum Patrem, & celebranda sacra mysteria, Dei laudes religiosè canentes, accurrunt, & eodem ordine obuiam prodeuntibus oppidanis, vbi vexilla concurrerint, in genua prouoluti, cum religiosa percussione pectoris, humanæ salutis insignia supplices

Digitized by Google

adorant. Deinde templum ingressi, rem sacram, & concionem singulari attentione prosequuntur. Postremò dimissa concione oppidani conuenas inuitatos tecto, & mensa peramanter excipiunt. Absente Patre sæpenumerò sponte sua congregati, hexis ante Crucem in area suppliciter genibus, canendis religionis elementis, & pijs alijs carminibus suam solitudinem ipsi solantur. Ad anniuersariam Quadragesimæ expiationem, vt paratiores accedant, Crucis trophea oppida circum, *in accommodata* Regione collocantur, ad quæ *composito agmine* sua terga cædentium, aut consueta *prece Ecclesiæ* Sanctorum auxilia poscentium, statis diebus proceditur, aut in templo ad cantum psalmi pœnitentialis voluntaria verberatio ingenti ardore animorũ bis vno eodemque die suscipitur: fœminæ perinde, ac mares, teneræ ætatis pueri, aut longa ætate confecti senes, ad voluntaria supplicia conuersi, sibimetipsis irati peccatorum soluunt acerbissimas pœnas. In morbum coniecti, nihil prius habent, quàm vt animo, per confessionem medeantur, & sæpè hac animi medicina recuperata valetudine, corpora conualescunt. Ebrietatis latè patens malum, & luxuriæ pestis, inducta paulatim frugalitate, & continentia, magna ex parte repressa, ita vt rarò admodum mero vinctus appareat aliquis ex ijs, qui sua nomina Christo dederunt. Senex quidam ex melle confecerat vinum, quod decem alijs propinauit, ac licet nullum vicerat, aut vinxerat merum, vtpote minus acre, cùm in concione obliquè perstringerentur à Sacerdote, cui ad *aures* venerat Neophitorum comportatio, illicò omnes *in genua* abiecti, id quod erat sua sponte professi, *voluntaria* verberatione in magna populariũ concione, piaculi, si quod erat, pœnas dedere. Itaque iam obtinuit vsus, inter Neophitos, vt ad potandũ inuitati respondeãt, Baptismi fonte renatis id seuera lege cautum esse: hoc etiam respon

respōnso castæ fœminæ ad stuprum sollicitatæ, impuros homines à se reijciūt. Sed vnius in tuenda castitate constantia, eò processit, vt ab Ethnico nec minis, nec illatis & filiolo, quem in vlnis gestabat, vulneribus, & suo corpori; ad flagitium perduci potuerit. Vidua alia pellicientem impudicum virili animo inuasit, & detractas ab humeris cum arcu sagittas comminuit, fregitque, arreptoque fragmento arcus procacis latera validè cùm protudisset, domo eiecit præcipitem.

SED excursiones obeuntibus Sacerdotibus multa eueniunt, in quibus Dei prouidentiam agnoscas, & incomprehēsibilia admirère consilia. Dum apud Bacoioes agit P. Petrus Mendez, magna festinatione accersitur, vt vetulam cum morte luctantem Baptismate lustret; sequitur vocantem; inuenit mulierem, quam in cœno superstitionum pertinaciter hærentem multis retro annis nulla arte potuerat ipse perducere, vt in templum cum popularibus conueniret, & audiendis rebus ad salutem animi pertinentibus operam daret; sed iam tunc dextra Excelsi mutatam, & ita vero sensu respirscentem, vt certaret cum languore, & macie corporis, vigor, & ardor animi ad cœlestia prominentis. Ergo lympha sacra eluta, quasi nihil esset cur moraretur in terris, sine mora euolauit in cœlum. In eodem pago dum ægrotos per casas & tuguria conquirit, mulierem necdum Christiana sacra complexam offendit, quæ filiolam quinquennem languentem morbo fouebat in sinu, ad aspectum Patris exhorruit languidula, & quasi diabolicis acta furijs deformi, & concitato totius corporis motu Patrem propellere videbatur: agnouit ille dæmonis astum, spe deuoratam prædam sibi ereptum iri timentis; & matrem quæ puellam abscondere frustrà tentauerat, multis argumentis tandem adducit, vt lenitam blanditijs filiolam, Baptismi fonte renasci patiatur; quæ non multò pòst ab

infusa aqua Baptismi felicem efflauit animã. Apud Nios iacebat oppressus morbo, cui fectus ætate senex, Patrem, vt animo consulat euocat ab oppido Ocronij: adest Pater, recreat hominem morbi tædio valdè mœrentem, & instructum catechesi, constituta Baptismo die solatus discessit: ea vbi primùm eluxit, misit, qui hominẽ insidentem equo ad se traherent; aut si morbus impediret, se maturè vocarent: sed interim senex leuatus morbo innitens baculo Patris officium anteuertens, cum vxore Ocronium pergebat, hic exceptus, & baptizatus à Patre, animi salutem, & corporis vires recuperauit, & nunc vt Patri testatam faciat memoriam beneficij, ad eum cum munusculis vnius, & dimidiatæ leucæ itinere officiosè itare consueuit. Leucis inde quatuor tabifico morsu cuiusdam animalis, morti proximus, torquebatur Neophitus quidam, eò cùm accurrisset, re cognita, Pater hominem venenatum, & tabo tumentem inuenit, & confessione expiatum, sacro vnxit oleo, eo amuleto extingui visa est veneni vis; nam tumore corporis subsidente, & miteſcente dolore, breui tempore sanitati restitutus est æger, eo maiori incolarum admiratione, vim sacramentorum laudibus in cœlum vsque ferentium, quòd nec sua, nec Patrum memoria meminissent, aliquẽ eius animantis veneno infectum vitam vltra quatuor & viginti horas extrahere potuisse. Duo coniuges, qui quondam à Franciscanis fratribus baptizati turpem coniunctum pro matrimonio multos iam annos coluerant, adacti tandem conscientiæ verbere Ocronij Patrem conuenére, vt eos iungeret ritu catholico, & nunc inita melioris vitæ ratione, præteritæ ætatis dedecus honestate præsentis obliterant. Hæc velut exempla ex literis P. Petri Mendez, cum pluribus prætermissis satietatis vitandæ causa libauimus.

PATER Ioan. Baptista Velascus suis quoque nunciat

Digitized by Google

ciat litteris, barbaros cædis, & belli cupidos, qui deuia, & abrupta loca insidebât, cùm nulla Hispanorũ vi, aut arte inde extrahi potuissent, lenitate Patris, & officijs, relictis saltibus, in amœno, & irriguo loco domicilia posuisse, eosque feciſſe in pietate, ac religione progressus, vt Quadragesimæ tempore à voluntarijs supplicijs, ac se verberandi impetu summa Patris contentione retrahendi fuerint. In vicinis quoque Ethnicorum Regionibus haud incerti prouentus noualia, Nostrorum & laborem, & operam non semel inuitant, præsertim Vallis, quæ Coruina dicitur, vbi incolæ templa sua sponte excitarunt, & frequentibus postulant legationibus, vt in suam messem tandem aliquando Euangelij falces immittantur; sed albentes in vicino segetes tenuem operariorum manum in plures partes distrahi non permittunt.

IN Guazanio, ad mare vsque excurrentibus populis, non mediocre incrementum Christiana res cepit. Ij paucis è popularibus ex Hispanorum custodia clam elapsis summa ope instigantibus, aliquoties in montana, relictis oppidis, & templis per summam impietatem accensis, Christiani pariter, atque Ethnici irritati feceſſerant: tandem malis & patrio desiderio fessi, ad pristinas ædes pacati nuper redière. Vsus occasione Præfectus militum, eò contendit cum Patre Sociorum Rectore, linguæ perito, & barbaris non ignoto, vt hominibus Hispani nomini metum demant, illis ad oppidum Vræ progressis, quadringenti Guazaues instructi sagittis obuiam prodière, in vtrumque parati. Itaque altera manu cibaria præbebant, altera arcum expeditum, omnia circumspectantes, tenebant: sed cùm eos docuisset Pater, quàm minimè hostiles animos in eorum gentem & nomen Hispani gererent, positis magna fiducia armis, pacẽ; & doctorum copiam postularunt. Omnia illis summa

Hispa

Digitized by Google

Hiſpanorum,& Patris voluntate conceſſa, atque ipſi viciſſim quinque magnæ laxitatis templa excitarunt,& teneræ ætatis liberos ſacra tingendos aqua ad Patrem detulerunt: ij ducentorum & quadraginta numerum explent: in alijs oppidis æquatis rationibus parunli non pauciores ducentis; adulta iam ætate viri, fœminæque quatuor ſupra centum baptizati: quadraginta quatuor coniugum paria matrimonio copulata.

NVNC breuiter exequar, quo pacto ſupplicium Hiſpani ſumpſerint ab interfectoribus P. Gundiſalui Tapiæ,præſertim à Nacabecca turbulentiſſimi ingenij barbaro,eius ſceleris auctore præcipuo; tum vt quod data fide ſuperioribus litteris polliciti ſumus, cum fide præſtemus, tum etiam, vt ex hac narratiuncula appareat, quantis vitæ periculis noſtri homines ea loca pererrent, vbi perfidia, & occidendi libido ſedem propè ad certamen poſuiſſe videantur. Nacabecca eum nefarij concilij ſocijs haud ignarus quid ab Hiſpanis cómeruiſſet, optimo Patre Gundiſaluo, viro omni laude præſtante, indigniſſimè obtruncato, celſa montium iuga, aut præcipites ſaltus, ſedibus in diem mutandis incolebat, nec ita facilè ſe dabat in hominum lucem, atque adeò in ipſis montibus (quæ erat hominis aſtutia) longo à comitibus interuallo remotus capiebat ſomnos, vt ſi quis impetus ab hoſte fieret, dum à prioribus exciperetur, quocumque euentu ſociorum, ipſe per ſaxa, rupesque arrepta fuga in interiora latibula ſe maturè reciperet. Concubia interdum nocte cum ſceleratorum manu, iumentorum prædas agebat, & quæ abducere non poterat, ſagittis configebat, magno ſanè & ineuitabili incolarum detrimento. Porrò Nacabeccę erat ſororis filius Orocon nomine, acer,& manu promptus adoleſcens, ſimulandi æquè,ac diſſimulandi peritus: is compoſita fraude ſuam induſtriam ad comprehendendum Naçabeccam, Hiſpanorum

norum Præfecto, simulatione officij deferebat, conquisitores ad nota cubilia præibat,& clam auunculum, quòd In eius caput Hispani statuissent per fideles internuncios opportunè monebat. Ea ludificatione charitatem sibi apud Hispanos peperit, & Nacabeccæ incolumitatem, & vitam iterum,ac tertiò seruauit. Sed cùm frustrandis toties Hispanorum conatibus, in suspicionem perfidæ coitionis venisset,simulato consilio, Guadianam ad auehenda pecora cum Procuratore publico à Prefecto mittitur. Ex Colonia Hispanorum profectus,cùm pharetram in itinere desideraret,patria rursus leuitate regreditur,ac veritus Præfecti,& Hispanorum offensam,vitato popularium congressu, in densos lucos,& feris solùm peruia iuga cum duobus comitibus secessit. Dum ex saltu transit in saltum venationi intentus, incidit fortè in senem,natione Teuecum,qui à flumine Eborensis ad accolas fluminis Petatlanis iter solus agebat; hunc auersum,nec opinantem facto impetu obtruncat, & abscissum à ceruicibus caput gratissimum ratus inuenisse munus, quo Hispanorum iram cum sua vtilitate pacaret, auunculi caput esse commentus, dono detulit Hispanorum Præfecto,nec fefellit hominem spes; nam vt ea quæ magnoperè desiderant homines, facili momento adducuntur vt credant,multorum consensu habita fides barbaro est: atque eum ipse Præfectus sua veste magni pretij donauit, & ducis titulo decoratum,deinde in honore habuit. Ocoroni à Præfecto habitus honos proximos paganos excitauit, vt Nacabeuæ malorem natu filium, & eius comitem,qui primus Patrem Gundisaluum clava percussisse ferebatur hospitio exceptos, & refectos cibo, somno mersos opprimerent, & capita eorum ad Præfectum afferrent. Sed quod perfidus Ocoron in suam incolumitatem dæmone instigante patrauerat, Diuina iustitia in eius,& auunculi perniciem postmodùm vertit:

nam

Digitized by Google

nam cum accolæ fluminis Eborensis ad festum magnæ celebritatis diem peragendum in oppidum de more veniſſent, dum caput quod Nacabeccæ nomine in publico ac patenti loco pendebat curiosè contemplantur, demùm Teueci senis à suis desiderati, & fruſtrà conquisiti caput agnoscunt. Præfecto scelus, & mendacium Ocronis sine mora denudant, extemplò comprehensus multorum scelerum reus in vincula abripitur, & Teueci vulgata popularis nece ira perciti emortui senis manes vlciſci meditantur. Mos est genti vetustus, multorum semen, & origo malorum, vt acceptæ cuiuslibet iniuriæ pœnas non solùm ab eo, qui intulit, sed ab affinibus, & popularibus etiam repetat læsus. Ergo Teuecis in omnē vltionis opportunitatē excubantibus, Nacabecca Ocronis auunculus cum genero, & filia, & altero comite, quē filia etiam sequebatur ignarus, quid suo, suorumque capitibus immineret, Teuecorum oppidum ingreditur: ij vltionis auidi, opportunos ad iniuriam, & necem hoſpites, prouecta iam nocte sublato vndique clamore securos, nec opinantes inuadunt, Nacabeccæ generum, & comitem alterum obtruncant, duæ mulieres conduntur ergastulo; Nacabecca valido fune ad palum alligatur positis è regione generi, & socij capitibus, quorum aspectu torqueretur. Deinde missis qui comprehensi Nacabeccæ nuncium ad Præfectum celeri cursu perferrent, facta manu in mapalia, quò se noxij quidam, & perfugæ receperant, impetum dant, & dolori, atque iracundiæ indulgentes trucidatis omnibus fugitiuis, Ocronis perfidiam, & cædem popularem, ad satietatem vlti sunt: deinde ouantes in oppidum reuersi, capita interfectorum aduentantibus Hiſpanis, specioso & grato munere detulerunt. Nacabecca quotidiana confectus inedia anteuertisset Hiſpanorum supplicium, ni eum ipsi detractis vinculis, quibus ad palum alligatum per summam

imma

Digitized by Google

immanitatem quatuor ipsos dies ieiunum oppidani tenuerant, cibo & potu recreassent. Inde Præfecto sistitur, & quæstione paucis diebus ex forensi forma peracta, multorum scelerum conuicti Nacabecca, & Ocron ad patibulum adiguntur, obtinuitque Nostrorum ardens cohortatio, vt hic perinde, quàm ille peccata cum dolore detestatus, mortem illam non dubijs salutis suæ significationibus editis constanter exciperent.

MISSIONES.

ETSI in hac regione, ac pene intra domesticos parietes latissimus pateat campus vbi se Nostrorum iactet, ac dilatet industria, tamen ex maiori animorũ vtilitate, ac pleniore Numns obsequio, visum est Patribus esse, si duo itinera ad remotiores inde regiones à duobus sacerdotibus susciperentur; alterum ad castrum Hispanorum Conceptionis nomine notum, argenti fodinis nobile, & Meciocanensibus Indis frequens quinquaginta leucas per aspera saxis loca Sacerdos emensus ingenti labore eò peruenit; eo maiori cunctorum ordinũ gratia, quod integrum annum Sacerdote, & sacramentorum vsu caruerant. Purgati omnes confessione, plerique Angelorum pane recreati; vitalibus aquis abluti, nonnulli qui instructi catechesi sacerdotem annum præstolati fuerant: dissolutæ multorum amicitæ reglutinatæ, & discussi improbi mores, qui ignorantiam, & concionatorum inopia in plerumque consequũtur nocturnis horis, quia interdiu facultas deerat Indis argẽti fossione occupatis, explicata catechesis plurima vtilitate, & illius exemplum litteris consignatum, ex quo in posterum docerentur quotidie, relictum

Digitized by Google

tanta eorum gratia, vt licet Pater eorū eleemosynas sæpe reiecisset, publicè obtestatus se non corrogandæ pecuniæ, sed procurandæ eorum salutis causa venisse; cohibere se non potuerint, quominus Patre Cinaloam reuerso, argenti quantum pro sua egestate conferre potuerunt eleemosynæ nomine ad sedem Cinaloæ transmitterent. Ad Culuacanenses, veteres Societatis amicos Parocho per litteras, & eorum gentis primoribus cum muneribus popularium, enixè postulantibus ante, & *post ieiunium* vernum Sacerdos vnus linguæ peritus excurrit. Tauensis nominis ad vnum auditi confitentes, & complures de piaculis vniuersæ vitæ, vel quòd penuria Sacerdotis nunquā confessionem obierant, vel quòd angoribus cōscientiæ torquerentur, vsurpantium flagella is ardor, ac numerus fuit, vt omnibus ferè noctibus templum compleretur hominibus echinatis globulis sua terga pungentibus, & eorum composito agmine ex vno in alterum pagum dimidia leuca sæpenumero dissitum supplicatio duceretur. Concionum quæ habebantur festis diebus omnibus, & profestis, quibus per confessionum laborem, & valetudinem sacerdoti licebat, magna vtilitas. Cernere erat Indorum multitudinem tanto animi sensu, ac lachrymarum effusione concionatori operam dare, vt durum quamuis, & asperum pectus pio spectaculo ad commiserationem flecteret, & in lachrymas gemitusque resolueret. Ad diuinas epulas excepti omnes, qui per ætatem poterant, nec pauci præcipiti senectute, quibus aditus nunquam patuerat, quod in ardenti Sacramenti desiderio, & congruente mysterij cognitione, Sacerdotis ministerium defuisset. Porrò eorum qui communicarunt ea pietas, & Sacramenti reuerentia fuit, vt inediam vsque ad noctem extraxerint, & fusi in preces, n templo se piè, ac religiosè tenuerint, paucis admodum exceptis, quos languo virium corporis, cibose recreādi causa

causa, petita prius à Patre facultate, domum abire coegit. Complures aliæ vtilitates partæ Nostrorum studoribus, qui Cinaloæ versantur prætermittuntur, quoniam ex similitudine quam cum his habent, vel me tacente, intelligi possunt.

SEDES ZACATECANA.

TRES Sacerdotes in hac Sede morati, nihil ex domestica disciplina prætermittentes, officijs instituti nostri assiduè ministrandis in vrbe, peræquè atque finitimis populis, hominum animos ad disciplinam, atque officium reuocare conati sunt. Instituta Indorum Sodalitas, crescit alumnorum numero, qui in lætiorem quotidie pietatis segetem adolescunt. Vetera certamina, & prouocationes lenita hominum ferocia, paulatim exolescunt, consuetudine vsurpandi diuina mysteria, catechismo, & concionibus celebrandis, adeundisque perhumaniter morbo decumbentibus. Elementarius ludus hoc anno apertus eruditis pueruli primæ ætatis, eam approbationem habuit in omnes ordines vrbis, & totius vicinitatis, vt quindecim non amplius dierum spatio Hispanis orti parentibus centum quinquaginta discipuli conuenerint, & spes est fore, vt in dies crescat puerorum numerus, cum ingenti Reipublicæ vtilitate.

Digitized by Google

SEDES GVADIANÆ, ET MISSIONES.

GVADIANAE duo Sacerdotes ſtatario, ac perpetuo labore animorum vtilitates egregiè tuentur: ſed vt domeſtica mittamus, quæ omnia ſunt communis exempli: ſex præterea Sacerdotes obeundis vicinis pariter, ac remotis oppidis, ſollicitandisque ad Dei obſequium hominum animis, ex facta diuini verbi ſemente vberes colligunt fructus.

FERDINANDVS Santarenus miſſionis nomine ad argenti fodinas Topiæ deſtinatus, litteras huiuſmodi ad nos dedit. Patrem Franciſcum Guttierrez, in cuius veneram comitatu, ex Cinaloæ Prouincia per montes Topiæ redeuntem, Caſtri incolæ cum Parocho conuenerunt, enixè poſtulantes, vt quando illi Sociorum omnium conſilia P. Prouincialis ſubiecta feciſſet, daret hoc eorum ſolitudini, vt me, qui quatuor ante menſes apud eos diuino obſequio procurando moratus eram, iterum in caſtro manere pro ſua poteſtate præciperet, ſe iam felicitate noſtri conuictus carendo magis, quàm fruendo ſenſiſſe, Socijs abſentibus nullum in eo caſtro comparere Chriſtianę pietatis veſtigium, cuncta iurgijs, fraudibus, litibusque miſceri, Hiſpanos & Indos magnâ ſuarum fortunarum partem in ſumptus quotidiani victus obligare; in eo congreſſu ſpectata fuit & illuſtris Indorum charitas, collecto quippe magno argenti pondere, ſolertes atque induſtrios Procuratores parauerant, qui ad Senatum Regium Guadalaxaræ, leucis inde amplius centum, quàm maximis itineribus properarent,

& à

Digitized by Google

& à Præside, atque vniuerso Senatu eblandirentur, vt suam interponerent auctoritatem, quò res, in qua æterna eorum salus agebatur, optatum exitum haberet: & sanè profecti fuissent, ni ego, iniecta spe breuissimi reditus, eos ab incœpto reuocassem. Topianorum ergo dolore, ac nostri desiderio vtcumque lenito, Franciscus Guttierrez Guadianam rectà contendit; at ego flexo itinere ad Axacaes populos continuò perrexi. Sex oppida suis satis referta incolis lustraui, patria hominum lingua Christianæ fidei elementa explicaui; infantes omnes Christianos feci, & aliqua paria matrimonio coniunxi. Inde ad montes Napares ascendi: duo hîc vero ac maximo Deo templa dicaui, & victricia Crucis vexilla è regione erigi iussi. Hebdomadam in tradenda Christiana doctrina insigni frequentia, atque studio affluentium populorum, magno vtique mei animi gaudio posui: vnus tam breui tempore eos fecit in catechismo progressus, vt in castro sancti Hypoliti, quò Ethnicos omnes templi struendi causa coëgeram, reliquos catechumenos ipse doceret. Quare eum baptismo lustraui, magna popularium lætitia, & catechumenorum excitamento. Interim ex populis sancti Michaëlis aliqui me accersitum venêre, vt saltem infinitam propemodum puerorum multitudinem Baptismi salutari aqua respergerem: sed postulatis iam tertiò rogatus, & aliorum precibus, qui me itineris difficultate, ac densitate nemorum deterreret, arboribus incisis viam iumentis patefecerant, ne eo tempore annuerem, ingenti sanè meo dolore impediuit mandatum mihi negotium, frequentia incolis tria alia castra adeundi. Naparibus ergo relictis initio Quadragesimæ, multa gemens ad Castrum sancti Andreæ contendi, plures hîc dies, quàm initiò putaram, dum obsequior hominum studijs, & eorum erga Socios amori, instituti muneribus exercendis moratus sum, sæpiusque Parochum à me pe-

Digitized by Google

tierant, vt apud eos manerem vsque ad solemnes maioris hebdomadæ ferias, & Indis Hispani persuaserant, vt supplicibus libellis Magistratum sollicitarent, vt sua me auctoritate, & precibus retinerent, & illi sua sponte addiderunt precibus minas, deserturos se operam fodiendi metalla, si ea à Patre non impetraretur commoratio. Igitur cùm ea parum proficerent, & illis salutem, & valete prò concione dixissem, effusi in lachrymas ducenti & eo plures mihi ad genua acciderunt, monentes, negantes, vt saltem quæ sequebatur hebdomada apud eos manerem: sed angustiæ temporis aduersabantur. Dominica, quæ in Passione dicitur, iam agebatur, & indulgere hominum precibus sine multorum damno nō poteram: quare obsequij & obedientiæ rationem professioni prætendens, Indorum omnium exceptis confessionibus, postera die tenebris nondum discussis, ne oppidanorum in meo discessu iterarentur querelæ, & dolor recrudesceret, ex eo Castro profectus sum. Itaque cùm profectionis fama manare coepit, iam ego Papudorum argenti fodinas attigeram, qui impatientes moræ me quæsitum ire parabant. Iis omnibus Deo per confessionem reconciliatis, Topiatn publica omnium lætitia, & gratulatione perueni. Viginti ipsos dies in hoc castro commoratus, assiduis concionibus, Catechismi explicatione frequenti, Hispanis, Indis, atque AEthiopibus frugiferam operam impendi. Dissidentes octo, quos ad mutuam cædem pertinax furor incitabat: ab insania reuocati, sese ingurgitandi vsque ad voraginem mentis, quæ in moribus Indorum dominabatur, consuetudo repressa. Venerunt ad me aliquando non sine sensu doloris querentes Indi, quatuor aut quinque gentiles suos, consuetudinis scilicet impetu abreptos compotationi intemperanter indulsisse; Atqui vos, inquam, vt Christianos decet, supplicio volùtario iustam Dei iram à vestris gentilibus auertite;

Digitized by Google

tite; nec plura, intendentibus se tenebris; facto coetu cum flagris in templum conuenêre; nec priùs se diuerberandi finem fecêre quàm psalmus pœnitentiæ recitando percurreretur. Sanè multa in hac regione, more institutóque Societatis peregrinandi opportunitas ostenditur, cùm plures circa pópuli, quibus nondum Euangelicæ veritatis lumen affulsit, sibi tandem afferri à nostris hominibus postulare non desinant. Hæc ille.

IN Valle præterea Sanctæ Mariæ, cui Hispanus improprio vocabulo à vitibus cognomen indiderat, quòd frequentibus scatet labruscis; quantum conniti animis Socij potuerunt, tantum operæ, & laboris cótulerunt, vt vinea Domini in syluam, nemusq; degenerans, syluestris, & erratica esse desinat, & gratos fidei, ac pietatis racemos induere incipiat. Ea regio cómodior visa est deducendæ coloniæ, quippe quam excelsi, ac sinuosi montes, à Septemtriónali plagâ excurrentes, ab intemperatis Boreæ flatibus opportunè defendant, à meridie latè patens circumdet agri planities. Terra temperato Solis ardore modicum intepescens, mira cœli clementia, ac fœcunditate globarum, credita sibi semina multiplici prouentu restituit. Ex vno maitij granulo quinque aut sex procerítatis eximiæ arundines enascuntur, quarum singulæ vt minimum duas sustinent spicas, spicæ rursus singulæ crasso operculo grana fotient plura trecentis; nucleus duntaxat vnus quinquaginta cucurbitas fundere consueuit; melopeponum magna est copia, albi, melini & crocei coloris inusitatæ suauitatis: ad condiendos cibos vtuntur incolæ herba croco, qui ex Europa conuehitur, colore, odoris fragrantia, sapore, bulbo, & capillamento simillima: materiam cæduam densissima sylua suppeditat: flumen piscosum, & amœnum pinguibus aruis interfluit: ad hæc duæ ac viginti perennes aquarum caturigines, desuper in subiectam agri planitiem, pluri-

Digitized by Google

bus aquarum diuortijs, arbitratu incolarum in hortos, & sata deriuantur. Gens robur in membris, in animis feritatem, & audaciam ostentat; perfidiam, & subdolæ mendacij tegumenta, rapinam, & auaritiæ sordes detestantur; nulla claudendis foribus sera, nulla repagula, domus patentes relinquuntur, omnia bona fides tutatur; vt aliorum subleuent egestatem fortunas effundunt, dices omnia communia: ad arcendas temporum iniurias stipitibus in terra defixis, cataſtromata radicibus, atque herbis singulari artificio tecta suspendunt, tanta duritie, ac densitate, vt nullo imbrium, atque ventorum impetu penetrari possint, imò ad continendos asseruandosque liquores, atque ad reliqua vitæ ministeria, ex ea materia polita vasa sibi concinnant. Viris sagittandi peritia præcipua laus, eam in venatu ceruorum, quibus abundat regio, magnopere exercent. Mulierum magna in vultu modestia, ceruorum pellibus plerumque induuntur, ora rubrica, minióve inficiunt: Hispanorum amicitiam coluit gens, & in pacis bellique studijs perutilem, & fidelem operam illis nauauit. Duobus Sacerdotibus, qui genti adiuuandæ perseueranter insudant, ijs fructus hoc anno respondit, vt barbari ferarum more vitam propagantes, eorum officijs, & charitate cicurati; relictis conuallium latibulis, in oppidum, ea in valle situm magno numero confluentes sedes ac domicilia posuerint. P. Nicolaus Arnaya, qui Socijs huius residentiæ præest, per litteras nunciauit, homines mille sexcentos eò iam conuenisse, & (vt erant Caziziorum studia, ac certamina, familias suas, & omnes suæ obnoxios potestati, primo quoque tempore in vallem deducendi) certam spem Patribus esse, paucis mensibus minimum quinque hominum millia eò conuentura. Ducentos omnis ætatis à se in nouo oppido vitali aqua baptismi fuisse perfusos. Inde se ad accolas fluminis Nasarum progressum, ingentem

tem barbarorum multitudinem sparsis domicilijs habitantem, & gestientem baptismi desiderio inuenisse; conquirentem per casas languentes morbo, centenarios aliquos senes baptismi cupidissimos voti compotes continuò fecisse; ingentem hîc Euangelio, & nostri instituti muneribus patescere portam.

PATER verò Franciscus Arista, vnus ex his qui in Valle rei Christianæ, & oppidi incrementa procurant, verbis dolore plenis, suam, ac Socij solitudinem queritur, sibi de metiendis areis vrgendo operi, confirmandis in ciuili societate barbaris, adeundis, ac fouendis ægrotis, quærendo per latifundia conuenarum victu occupatos, breuissimum tempus superesse ad peregrinum barbarorum sermonem addiscendum, & cæteros Indorum pagos more nostro lustrandos. Si subsidia Patrum mittantur, quatuor oppida modico labore, & breui tempore coalescere posse, vt initia se dabant magnæ frequentiæ. Primum appellant S. Annę in regione salubri, & omnibus ad vitam tolerandam opportunitatibus satis instructum, ibi si congregatis pauci admodum Cázizij, qui supersunt, se adiungere pergant, quingentis familijs Indorum oppidum cultum iri affirmant. Secundum oppidum distat à valle S. Mariæ leucas vndeuiginti, felix regio omnis generis frugum copiam in mortalium vsus magna vbertate fundit. Tertium est Cazizij cuiusdam potentis (Aztlan appellant:) tractus ille scatet syluosis montibus, & gaudet irriguo solo, semperque viridi herbarum vestitu vernante. Quartum à sancto Francisco appellationem accepit, trecentis & quinquaginta familijs Christianorum censetur, propter interfluentis amnis & proximi lacus opportunitatem, ac cœli, solique benignitatem, abundat piscium, ac fructuum copia. Postremum distat à Valle leucas triginta, à quatuor paludibus vulgus appellat, in ea regione solùm ex ijs, qui Pa-

Digitized by Google

tribus significarunt, teneri se magno desiderio baptismi; duo millia familiarum ad condendum oppidum facili momento adduci posse non ambigitur. Cæterùm, qui in valle S. Mariæ congregati sunt barbari, bis singulis diebus in atrio AEdis sacræ summam Christianæ legis docentur, diebus festis huic exercitationi nulli deesse permittitur: deinde Sacerdos ea, quæ ad summam redacta, Mexicana, & patriæ gentis lingua recitata sunt, vberiùs explicata iterat, inculcatque præcipuis locis insistens: varia denique præcepta colligit, & rudes, atque inconditos barbarorum mores patulatim ad elegantiam, atque humanitatem traducit: nec verò labor hic frugis, & vtilitatis est expers; nam præterquam quòd patefacta Christianæ religionis pulchritudine, oppidani omnes baptismi desiderio efferuntur, profana cantica à nocturnis choreis, quas circum rogos auidissimè exercent, arcuerunt, diuinis laudibus accersitis; & superstitiosos ritus, diuinationes, vagosque concubitus ita ex animo abiecerunt, vt nihil in eorum moribus appareat, quod nobis sollicitudinem aliquam, aut mali suspicionē possit afferre. In sacrificio Missæ pristino Ecclesiæ ritu, vbi Euangelium recitatum est, catechumeni templo iubentur excedere, & cum Ethnicis in atrio præstolantur baptismo sacratos: celebrioribus festis supplicationes circumferuntur, præeuntibus Neophitis, & roseis sertis redemptionis insignia redimita præferentibus; sacris deinde mysterijs tacita vultus reuerentia, & animi attentione celebrandis, haud obscurè testantur, altè sibi in animis insedisse Christiana præcepta. Quando puer aliquis vita functus efferendus est, pueri catechumeni roseis corollis redimiti, Christianæ doctrinæ rudimenta concinentes, domum defuncti conueniunt: si verò aliquis adulta iam ætate decesserit; reliqua etiam popularium turba sub grandi Crucis vexillo procedens, magna pietatis significatio

Digitized by Google

ficatione funus deducit, & reliquas sepulturæ cœrimonias veterarorum more prosequitur. Faxit Deus, vt oppida illa, quibus condendis Patres tantopere insudant, prospero euentu coalescant, vt facilior, atque expeditior sit in his tractibus Euangelij prædicatio, & ad signa Christi transeuntes, relictis dæmonum stipendijs, alij, atque alij deinde sequantur.

MISSIO S. LVDOVICI PACIFICI.

EXEMPLA rerum quas Nostrorum industria Dei bonitas hoc anno perfecit, penuria crediderim fidelis tabellarij non sunt stato tempore inde transmissa: aliqua tamen eorum ex litteris priuati Sacerdotis breuiter collecta referemus. Didacus Torres Patri Prouinciali salutem. Didaco Monsaluo Mexicum profecto coactus sum Cicimechis per interpretem statis temporibus tradere Christiana præcepta, Mexicanæ, & Otomiticæ linguæ peritis, quoniam & earum linguarum consuetudinem nactus eram, catechismum luculentiùs explicui, singularem hauriebam animi lætitiam ex sedulitate, qua Cicimechæ homines alioquin certaminum cupidi, ad discendam Christianæ legis summam singulis diebus ventitabant, & ad expianda peccata, etiam qui nunquam confessi fuerant, aures sibi præberi postulabant. Communicarunt ex ea natione nonnulli magno vtique eorum, & spectantium gaudio. Ad bubulcorum, & argenti fossorum colluuiem, quæ ex proximis pecorum stationibus, & argenti fodinis, huc affluere consueuit, sermones de rebus diuinis habere cœpi, magna eorum gratia, & vtilitate non modica anima

Digitized by Google

animarum; nam ex ea fęce nonnulli elutis totius vitæ sordibus, è cœno vitiorum Deo adiuuante emerserunt. Quarto mense cùm redijsset Mexico P. Didacus Monsaluus, continuò ad oppida vicina lustrandæ profectus sum, ad Hispanos bis singulis diebus festis conciones circumfusa magna plebis frequentia habere, diebus verò profestis Mexicani, & Otonitani nominis Indos familiaribus colloquijs officij monere non destiti: nonnulli eum noxis animi apertas inimicitias posuerunt. Magnum in his Regionibus Societatis nomen, magna charitas, nusquam me Parochus cum popularibus precibus vrgere desijt, vt illis deprecator adiungerer apud P. Prouincialem, quo sibi aliquem è Societate Euangelij præconem in plures menses impetrarem. Res domestica Illustrissimi Proregis liberalitate opimè constituta, templum, & cubicula, & officinæ sat commodè nostris vsibus concinnata, sacra suppellex aucta preciosa veste, aurata pyxide, hydraulo, & alijs musicæ instrumentis, quæ aureis bis mille atque ducentis æstimantur. Creuit etiam oppidum tectorum frequentia, impensa regia, vt barbari Cicimechæ multo nostri Sacerdotis, & Hispani Ducis labore ex interiori regione deducti haberent, quò se reciperent. Magnum momentum attulit ad continendam in fide, & officio barbaram gentem, & augendam hominum religionem reditus decem adolescentium, ac puerorum, qui mensibus quinque in Tepotzotlano, & Mexicano Indorum contubernio transactis: tandem instructi musicæ rudimentis ad patrios lares, & incunabula redière, eò maiori parentum lætitia; quòd dolo, ac fraude Nostrorum in seruitutem abductos pueros metus, & suspicio incesserat: & nunc tibiarum, vocumque concentu, & hydrauli temperato sono sacrorum mysteriorum reuerentiam popularibus augent.

PHI

Digitized by Google

PHILIPPINARVM VICEPROVINCIA.

ANNO superiore longissimæ videlicet nauigationis incommodo, quæ Deus Optimus in remotissima Regione, & in diuerso vel aduerso potiùs Philippinarum orbe, Nostrorum laboribus, & vigilijs effecisset, immenso disiuncti pelago seriùs accepimus, quàm vt ex litteris Sociorum collecta rerum capita ad Paternitatem V. maturè transmitti potuerint; id videlicet in causa fuit, cur veluti renascentis in his tractibus Ecclesiæ incrementa, & fruges Nostrorum collectæ laboribus; in lucem Europæ, reprehensionis prope conuitio efflagitantes, prima messis nostræ libamina non prodierint; nunc verò ea duorum annorum congesto manipulo pleniora damus, signa videlicet industriæ, & contentionis fraternæ, & opimæ fertilitatis prædicationis aratro inuersæ telluris.

TRES & viginti Sacerdotes in Collegium dumtaxat vnum, & Sedes vndecim distributi, cum Fratribus domestici adiutoribus ministerij duobus atque viginti, maioribus quàm pro numero viribus, & animis factam Euangelij sementem coluêre, nequaquam propriæ vtilitatis, & domesticæ disciplinę immemores; nam præterquam quod ad solemnes spiritus exercitationes, statis horis ad campanæ pulsum, tempus è summis occupationibus eripiunt, omnes in Collegio Manilano, & Zebuana Sede aliquorum dierum tempestiuo successu, cæteris posthabitis curis, in suum se cubiculum abdiderunt, vt contemplationis otio suum vitæ genus, & proximos adiuuandi rationem coram Deo diligentissimè reputarent, morum

morumque labes, & consiliorum errata corrigerent. Hoc quasi pastu Nostrorum mens saturata, vix dici potest, quantò sit alacrior, & vegetior effecta, ad omnium officiorum munera ritè, & cumulatè exequenda; in suas deinde stationes reuersi, experti sunt quàm minimè fictis animis diligantur, & quanta cura, & fide eorum mandata à Vicarijs, & popularibus exhauriantur: nullam enim officij partem Patribus absentibus omisêre Neophiti, redeuntesque effusa animi lætitia crudele diuidium, longissimi temporis absentiam, amicissimè quærentes, exceperunt. Quotidiano verò Sociorum cultui, victusque, & sacrorum apparatui, Regis Catholici codicillis abundè prouisum est; quibus Prætori seriò præcipitur, vt tertia duntaxat pars sumptus Euangelij Præconibus alendis, ornandisque templis, à Neophitis exigatur: reliquæ partim à Tpparchis, partim ex ærario Regio conferantur. Nunc singulas sedes percurramus.

COLLEGIVM MANILANVM.

VERVNT in Manilano Collegio Sacerdotes seni, & his plures quaterni Fratres, ex quibus septem in Tirocinio versati vnà cum cæteris per arctã virtutis viam, domandis corporibus, & frangendis animi cupiditatibus bellè processerunt. Creuit nostrarum ædium species, & ambitus cubiculorum ordine, elegantis structuræ opere, & excelsa turri ad summum perducta, vnde patet ad ingentia maris & terrarum spatia prospectus, relaxandis animis appositissimus. Sacra præterea suppellex collucet piorũ muneribus, inter quæ primas tulit pensilis ex argento lycnu

Digitized by Google

Lycnucus vastæ magnitudinis: studiis ideò certant Socij, vt benefactis gratiam cumulatè rependant. Conciones in nostro templo ad Prætorem, Regiumque Senatum, in cœnobio virginum, in foro, & sub signis militum catechismi explicationes frequentissimæ fuerunt. Ex ea semente vberes videlicet animorum fructus, viri principes aliquot, & inter eos Generalis Classis Præfectus spiritualibus exercitationibus apud nos animum excoluêre. Trecenti à duobus Sacerdotibus de vniuersa vita confitentes auditi: multorum egestate subleuata, periculis animorum occursum est, & peccatorum materia sublata. Sordida præterea vsura, quæ in aleæ ludo à militibus magna iniuria diuini nominis, & animarum iactura exercebatur felici euentu discussa. Vir opulentus & clarus ne dirimeret nuptias Indæ mulieris quam turpiter deperibat, non solùm à lite, quâ marito pellicis parabat intendere, nostri Sacerdotis suasione retractus est, sed etiam ad salutarem peccatorum detestationem, & tantam præsumpti animo sceleris pœnitentiam incensus, vt iumenti ritu clitellatus & capistratus genibus tota vrbe reptauerit, ducente amico, certa per interualla suras, & femora pœnitentis loris cædente. Mulier quòd à coniuge malè haberetur, in tædium vitæ, & vltimam desperationem redacta, mari se mergere parabat, sed diuinitùs immissa voce benigniora deinde marito officia promittente, ab inceptо destitit, remque Sacerdoti Nostro communicauit: auditis fecit fidem, iracundia mariti in facilitatem morum repentè conuersa. Quæ in Parthenone latent sacræ virgines, Nostrorum alloquiis, & adhortationibus arctioribus se legibus, & institutis astringunt; nec desunt, quæ in eam sanctitatis frugem adoleuerint, vt post nocturnam Psalmodiam, castigationi corporis, & rerum diuinarum contemplationi duas horas insistant. Harum cõuictu & exemplo ad honestatem morum; & vitæ probitatem

Digitized by Google

tatem accenduntur Matronæ, quę ne absentibus maritis, ætatis flore prodigæ corporis sui, ad suum, & aliorum exitium per libidinem abuterentur, Nostrorum consilio & opera in caueam cœnobij coniectæ sunt.

GYMNASIVM humaniorum litterarum augetur quotidie discipulorum numero, qui magistri cura peruigili arcentur ab illecebra peccandi, & virtutis æmulatione singuli accenduntur. Testati sunt auditores suum profectum cultis omni arte tribus dialogis, quibus Episcopos Manilam classe delatos exceperunt; Antistitum collaudatione, & plausu totius Ciuitatis.

IN salutem Indorum tuendam eò libentiores Socij curas suas, & vigilias intendunt, quò magis sitientes aures nostris concionibus afferunt ipsi, & maiori fiducia arcana suorum pectorum nobis patefaciunt: Nostris enim concionatoribus adeò delectantur, vt affluente hominum multitudine templum redundet; aures petentium numerus adeò magnus, vt vnus dumtaxat sacerdos relegentes anteactæ vitæ curricula confitendo non pauciores trecentis audierit. Sodalitium verò latens sub præsidio, & vmbra Sanctorum, nō latet in tenebris, & vmbra socordiæ, sed igne charitatis, & mutuæ æmulationis subditis facibus incensi sodales, bonorum operum lumine ad pietatem, & religionem ciuibus suis prælucent; quippe qui non solùm ægrotantibus præsto sint, & egētibus subsidio veniant, sed errantes à via virtutis ad sobrietatem morum reuocent consilijs opportunis. Illorum duo inducti à nostro Sacerdote de dignitate & præstātia Christianæ religionis & insania, & vanitate idolorum sermonem miscere cœperunt, vti à fœmina quadam possent audiri: ea verò Neophitorum disputatione sic permota est fœmina, ex occulto audiens, vt ad Nostros baptismi causa, se sine mora contulerit, auita superstitione, & inanium Deorum cultu eiurato: nec ita multis postmodum

diebus

Digitized by Google

diebus euolutis, coniugem Sinam, quod propè miraculum fuit, in suam sententiam, & vitæ consilia perduxit. Mulieres præterea binæ, quæ inanium Deorum sacris procurandis, seminandis inter populares portentosis erroribus magnas edebant clades animorum, Sodalium cura patefactæ, & in custodiam datæ, quæ Christianis imbutæ præceptis, quæstuosa relicta superstitione, ad Christum postliminio redierunt. Earum altera à Dæmone sæpius se per horribilem speciem obiiciente, & micantem pugionem minaciter intentante, ad defectionem sollicitata, datam Christo fidem egregio constantiæ testimonio seruauit, nullis cedens terrificis monstris. Multis tamen incussit terrorem salutarem mulieris cuiusdam infelix interitus, quæ marito in viam se dante, cùm accepisset, dedissetque vicissim seruandæ coniugalis pudicitiæ fidem, dira composita execratione in eum qui falleret, immemor fœderis, & sacramenti fidem violauit, sed non impunè: nam in eodem turpi concubitu tàm ipsa, quàm mœchus repentè exanimati pœnas adulterij dedêre. Sed hoc lætum accidit Neophito, qui vt locustas abigeret in media segete crucem sanctorum lipsanis ornatam erexit, & respondit hominis fidei euentus: nam locustæ omnia circum fœdè vastantes, nihil ex ea segete tetigerunt. Neophitus fidem suam grati animi testificatione, & charitatis officio cumulauit; plenam quippe quam fecit obrizæ messem pauperibus benignè distribuit. Cæterùm qui in contubernio educantur adolescentuli sedulitate discendi, & studio pietatis spem nobis faciunt ingentem, fore vt nostra consilia, & labores in adiungendis ad fidem, & obsequium Christi gentilibus solerti, & vtili industria prosequantur.

Digitized by Google

ZEBVANA SEDES.

TEMPLVM Hispanorum sub nomine & patrocinio D. Ildefonsi excitatum & ad summũ hoc anno perductum, & ingenti hominum gratulatione in eo Christiano ritu litari cœptum, sacriq; cineres pulcherrima supplicationis pompa collocati octaua ab Ildefonsalibus die, & quia Indis Ternatensibus, Visaijs, Iaponijs, & Sinis capiendis huius templi alioquin satis ampla capacitas non satis futura videbatur, templum alterum priori contiguum, maiori laxitate constructum est, vbi ea nationum colluuies pari labore & vtilitate, præceptis Christianæ Religionis imbuatur. Sex è nostra Societate homines totam eius laboris sustinent molem, qui partim ærarij regalis impensa, partim ciuium liberalitate affluunt rebus ad victum cultumque necessarijs. Episcopo ex Augustiniana familia vtimur nostri ordinis amantissimo, & de ornamentis & commodis Sociorum mirè sollicito, omnia de eorum sententia moderatur, & frequentibus concionibus in nostra æde & curiali templo adest semper, ornatuque Pontificio cùm aliis diebus, tùm præcipuè die Circumcisionis, sacris operatus est, in nostra æde. Sexta quaque feria totius Quadragesimæ voluit interesse publicæ verberationi, & prima hebdomada vehementi sermone cùm excitasset ad pœnitentiam hominum animos, bonus vtiq; pastor, & tali nomine, ac munere dignus, suis omnibus exẽplo præiuit, flagris se acriter cædens: reliquis verò, quæ secutæ sunt, ferijs huic religioni destinatis, quoniam animaduerterat nostram ædem multiplici feneſtrarum ordine, vt in regione caloribus torrida patentiorem esse, quàm

pœni

pœnitentibus opus esset, supplicationem tunicatorum instituit ad templum Virgineo concep tui dicatum, eamque nudipes longo interuallo prosecutus est, & dum verberatio in templo peragebatur à populo, ipse se in camera sacri instrumenti acerrimè flagellauit. Elementario ludo accessit Episcopi rogatu classis latinitatis, non mediocri auditorum numero, qui pro studiorum initio actionem dedêre speciosissimam, in templo maximo, trium horarum spatio, eo maiori ciuium admiratione, & voluptate, quo diutiùs bellorum imbuti certamine mitioribus litterarum exercitationibus, & Musarum cantu caruerant: & sanè labor hic instituendæ Zebuanæ iuuentutis magnopere instituti nostri rationibus congruebat, vt obuiam iretur licentiæ, libidini, atque alijs lubricæ ætatis pestibus, quas vt in affluenti rerum copia, & voluptatum illecebra tenera ætas, cœli, soliq; benignitate corrupta ex barbarorum, & militum luxu contrahebat. Hospitales quoque ægrotorum domus frequenti sunt adiutæ subsidio, & pauperibus, quibus plena sunt vrbis compita panem quæritantibus, constituto Nostrorum opera obrizæ deposito, opportunè subuentum. Collapsum Eucharistiæ Sodalitium erectum: & in eo loco positum, vbi spes est fructurum bonorum operum adminiculo, & benemerendi sedulitate. Præcipuæ tamen & lectiores fruges ex Indorũ nouali: nã vt omittã ingẽtes hominũ concursus ad cõciones, sacramẽta, catechismi explicationẽ incensis ad religionẽ animis affluentiũ, cõfitentiũ is animi sẽsus ac dolor est, vt Sacerdotes ad commiserationem, & lachrymas prouocent. Neophitus quidam suorum scelerum fœditate pendenda adeo in semetipsum excanduit, vt accidens ad genua Sacerdoti multis proximè astantibus elata voce, quidquid fœdi commisisset expromere cœperit, & inconsulto Sacerdote per vias publicas tanto ardore animi, echinatis globis in sua terga sæuit, vt atro-

Digitized by Google

citate carnificinæ viribus defectus, conciderit penè exanimatus, nec ea sanguinis profusione satiatus, postera luce pallidus, & exsanguis, perinde, ac si diuturno morbo iactatus decubuisset, Sacerdoti apparuit, adeò ad sui verberationem irritato animo, vt ab repetendo flagello non nisi obiecta religione, deterreri potuerit. Mulieres quæ in iuuentæ licentia, ad castitatis laudem nitantur, & voluptates, quæ sunt cum Venerea libidine coniunctæ emisso perpetuæ continentiæ voto repudiauerint, *in hac* etiam Sede non defuerunt, & ita propositi tenaces, vt ne quis sibi hunc florem præriperet, multa indigna pertulerint. Ex iis quædam, cùm vicissent impuri preces, pollicitationes, & minas, teterrimo quoque mendacio in inuidiâ Domini viri Principis vocari, & ab eodem etiam ad stuprum sollicitante multis modis vexari, quàm aliquam suo pudori maculam aspergere maluit, quod diceret nihil turpe, aut lasciuum admittendum esse ab ea, quæ omnia Dei oculis subiecta credidisset. Alia virum sortita Europæum sordidissimi ingenij, constanti, & excelso animo reiecit argentum, quo maritus impudicum instruxerat, ad coniugis pudicitiâ explorandam. Cæterû die qui refurgenti Domino sacer est, sacro fonte renati sunt plures, quos magna hominû gratulatione Episcopus vitali aqua perfudit: id quod sæpius per anni tempus fieri consueuit. Nec defuêre, qui cùm à limpidissima vnda, absterså originis macula, puri, ac nitentes emersissent, citiùs ab humanis erepti sunt, quàm ex terrena contagione peccati labem contrahere potuissent.

SEDES

Digitized by Google

SEDES TAITAIANA.

SEDEM hîc habet Sacerdos vnus cum Fratre coadiutore glorioſi laboris conſorte; ſed vtriusque is conatus, & ardor in facienda Euangelij ſemente, vt æquarint labores, & facta multorum. Excurrût in tria finitima oppida, quæ nouis quotidie cõuenarum familiis ex aſperis & inacceſſis collibus, & anfractibus huc migrare coactis, ſpeciem accepêre magnæ frequentiæ. Pars maior laboris in explicandis fidei captibus: pueri bonę indolis domi apud nos educantur; & religionis præceptis legendi, ac ſcribendi peritia erudiuntur, qui ſemel in hebdomada, prælato Crucis ſigno cum modulatione Chriſtianæ Doctrinæ oppidum circumeuntes, validiorem ætatem ad Catechiſmi explicationem ſuis è domibus euocant. Ex ea puerorum manu, gnaui & ſolertes eliguntur Cenſores; qui quotidie per oppidum diſcurrentes ſuos æquales cogunt in noſtras ædes, & rudimentis Chriſtianæ vitæ ſcienter informant. Priore anno præter pueros infantes plures trecentis ſacro ſunt abluti baptiſmate, confirmata iam ætate viri, mulieresque trecenti ſeptuaginta ſex: & dant Neophiti fidei; & Religionis ſuæ haud lenia documenta, prodendis, & comminuendis idolis; deferendisque ad Patrem fraudibus Catalonarum (veratrices ſunt hæ inanium deorum Sacerdotes) frequentandis Eccleſiæ ſacramentis, petendisque in rebus aſperis Chriſtianæ religionis auxiliis; tentati morbo, Sacerdotem ad confitendum ſine morâ conueniunt luſtrali aquæ, & conſuetis Euangelij verbis tantam vim ineſſe credunt ad perſanandas corporum ægritudines, vt languidi plerumque triginta circumſtent, ea præſidia

Digitized by Google

præstolantes: Nonnulli vano excusso terrore, quem sacrificuli dæmoniorum bonorum iacturam, & mortem ad sacras epulas accedentibus minitantes incusserant, diuino se pane reficiant. Coaluit iam ex Neophitis spectatæ probitatis Sodalitas magnæ in omnes partes vtilitatis, eius quippe alumni non solùm munera, quæ misericordiæ dicuntur, obeunt, decumbentibus adeundis, confirmandis migrantibus finis è corporibus animis, & defunctorum cadaueribus humo ritè condendis: sed Patri denunciandis omnibus iis, quæ fidei propagationi impedimentum possint afferre, inuitandis ad frugalitatem, Sacramentorum vsum, & vitiorum detestationem popularibus, expeditam & facilem reddunt Euangelij prædicationem, & curam animarum. Quare cum ij homines ex instituto adsint animam agentibus, & funera prosequantur mortuorum, sacrificia, & libationes, quæ instigantibus ariolis ad propitiandos decumbenti commentitios deos fieri passim consueuerant, & intempestiua conuiuia, ac largæ compotationes quibus excipiebantur redeuntes à funere, pia Sodalium contentione sublata sunt; contulitque opportunè Deus viro Principi, & maximo oppidanorum Magistratui pretium perfidiæ suæ, qui in morbi atrocitate opportunè monentibus, vt abiecta auita superstitione, vnum Deum Christianorum peccatorum confessione precaretur, fastidiosè neglectis, remedium affectæ valetudinis ab inanibus diis, cæsis victimis cũ procurasset, amisso vitali calore, altero latere obriguit, & ad ostentationem diuinæ iustitiæ sex annos per summam animi ægritudinem, & corporis dolorem exegit. Alia fœmina integrum annum læuo tumore dirutam faciem remedijs omnibus in cassum adhibitis cùm habuisset, ad Patrem se contulit animi dubia memorans, sibi per quietem augustissimo cultu Reginam obiectam seuero vultu increpantem, quòd

Digitized by Google

quòd opertum sceleribus animum Sacerdotio patefacere tamdiu abnuisset, rursusque pollicentem hilari fronte si confiteri peccata, & sacris adesse, præsertim diebus sabbati animum inducat, omnia ex animi sententia euentura. Nec fefellit fidem veritatis materna: nam cùm fœmina ex consilio, & adhortatione Patris confessionem totius vitæ fecisset, & audiendæ liturgiæ cursum cœpisset, vires & valetudinem omnino recepit. Sed non est omittenda Neophitorum religio, qui obrizæ semina antequam terræ mandent, corbibus in templum adducunt, vt ea Patet linteatus aspergat aqua lustrali: & hoc anno precibus Patrem compulerunt, vt obrizæ iam herbescentis fata lustraret, & excitato prægrandi Crucis vexillo aduersus temporum, & locustarum incommoda muniret. Verùm ingruente locustarum peste, cùm extrema calamitas segetibus, & populis annonæ caritas immineret, Dei genitrici conceptæ sacrum quàm maximo apparatu voluerunt, eius videlicet ope noxia fugata locustarum examina, & vberes fructus percepti. Quare Neophiti vt se exsoluerent voti religione; Virgineo cõcepti festum, sacrumque diem ingenti celebritate peregerunt, & effusa liberalitate non solùm priuatorum necessitati opem tulêre, sed in publicas Reipub. vtilitates è suis fortunis erogarunt.

Digitized by Google

SEDES BOHOLENSIS.

VI in hac Insula Christiana sacra amplexi sunt, in quam se dedêre Christianæ Religioris pietatem: toto animorum feruntur impetu; & vt sunt propensi ad Christi fidem Insulanorum animi, spes est non leui excitata momento, non solùm teneram, & confirmatam ætatem, sed deuexam, atque præcipitem, quæ difficiliùs dedoceri solet patrias superstitiones breui tempore in Christi D. ditionem concessuram. Ex adiacentibus quoque insulis Sichioris, & Dapitanis; quarum incolæ ex Christianis, eò incertum quo casu delatis Christianæ legis summam acceperant, ad Patres venerunt gentis primores, suo & popularium nomine, enixè precantes, vt in suos populos Euangelij causa excurrere ne grauarentur. Sed quia in ea Sede duo duntaxat Sacerdotes magno Neophitorum numero præsunt, Dapitanis incolis bene sperare iussis, ad Sichioris insulam duarum leucarum Euripo disiunctam Sacerdos vnus nauigauit, & in molli ac præparato ad Euangelij satus nouali semina Euangelij sparsit, spe in posterum vberrimæ messis. In hac Boholis insula aliud templum excitatum est ad ostia magni fluminis: cui à lupo Hispani nomen dedêre, vbi propter accolarum frequentiam, & ingenium multiplici fœnore verbi semina Domino restituuntur. Magnum catechumenorum certamen, & æmulatio in ediscendis fidei capitibus, vt baptismo quàm citissimè lustrentur. Neophitorum tanta cura in custodienda animi puritate, vt in eis nullum veteris contagionis, & vitæ in superfti-

Digitized by Google

perſtitione actæ veſtigium appareat: etenim à Patribus interrogati, hócne vel illo ſe flagitio polluerint, reſpondent, ſe quondam, cùm in ſuperſtitionum tenebris obcæcati iacerent, haud ſemel in eo cœno volutatos, ſed poſtquam Chriſto nomina, & fidem dederint, nunquam tam nefarium facinus animo præſumere potuiſſe, vt contempto numine fallentes fidem ad ea luſtra redirent. Iam verò hominum pietas in celebranda Paſſionis, & Reſurrectionis Domini anniuerſaria recordatione maior fuit quàm vt in Neophitis iure requiras. In hac etiam inſula haud ſemel confirmauit Deus felicibus euentis Neophitorum fiduciam in vſurpanda aqua luſtrali, cæterisque Eccleſiæ præſidijs, cùm morbo, aut alio valetudinis incommodo afflictantur. Sanè puer annos natus non amplius tres (vt reliqua prætermittamus exempla) cùm ad Patrem veniſſet æſtuans febri, genibus nixus ſalutarem aquam petiuit, eaque epota depulit ardorem febris, & ciborum faſtidium. Sed & Ethnicus, cùm ad cibum piſcem venenatum imprudens adhibuiſſet, amuleto probatæ virtutis nullo euentu in medecinam adhibito, tandem luſtrali aqua vim veneni repreſſit.

* *
*

Digitized by Google

BVTVANA SEDES.

DVO Sacerdotes cum Adiutore vno ab infelicibus superstitionum vepretis ad læta Domini pascua traducendis errantibus Barbarorum gregibus perseueranter insudant: quare audita Pastoris voce, alij atque alij quotidie se ad caulas Domini adiungunt; atque inter alios, nobilis senex Chian nomine, qui familiari Patris sermone, quasi diuinitùs immissa voce, alto excitus vitiorum veterno, lætam Euangelicæ veritatis lucem aspexit, mox in frequenti popularium corona, accidens ad genua Patris, baptismi aquam efflagitauit. Cæteri baptismo renati obeundis pietatis, ac religionis officijs, sacramentis vsurpandis, tractandisque diebus pœnitentiæ dicatis, supplicij causa flagellis, testantur non temerè, & inconsultò, aut humani commodi causa se Christiana sacra complexos. Dinasta quidam Insulæ ditissimus, etsi nondum patrios ritus, & sacra deseruit, magno tamen honore Sacerdotes nostros prosequitur, & eorum cõmodis, & incolumitati diligentissimè consulit. Quare semel iterumque cum armata domesticorum manu in ædibus nostris apparuit, timorem Patribus demens, quem occurrantes littori, prima specie prædatorij lembi fecerant, præsentem suam opem in omnia pericula Patribus non defuturam magnificè iactans.

SEDES

SEDES CARIGARANA.

SITA est in Insula Leite, quæ cœli clementia, vbertate frugum, syluarum frequentia, & fluminum copia reliquas Philippinas longo superat interuallo. Sacerdos vnus cum Fratre Coadiutore euellendis superstitionum lethalibus fibris, & inserenda Christiana religione tam felici laboris successu operam dedit, vt iam nefas sit inter Insulanos aliquid in sermonibus vsurpare, quod vel similitudine ad superstitionem accedat: ebrietatis verò semina elisa, & quæ eam comitatur venerea cupiditas ex Indorum moribus pulsa. Contrà verò in Sacramentorum vsu, & supplicijs voluntarijs ea sedulitas, & constantia, vt solemnis sit pluribus hebdomadaria animi expiatio, & verberatio voluntaria. Catechumeni baptismi haud segnes candidati, numerantur omnes incolæ trium oppidorum, quæ curæ, ac fidei Carigarani Sacerdotis commissa sunt. Itaque nunquam ea oppida lustrat, quin plures inueniat catechesi sufficienter instructos, & aptos ad excipiendam Baptismi aquam salutarem.

OLAN

Digitized by Google

OLANGALANGANA SEDES.

PRIORE anno ad exitum peruenit templum, quod superioribus Neophiti inchoauerant, & vt sacris vsibus dicaretur, ex finitimis oppidis confluente hominum frequentia, magno musicæ apparatu, & religioso Indorum tripudio, ac festa saltatione; die summæ Triadi sacro primum Missæ sacrificium ritu Catholico celebratum est. Eodem anno euocauit Dominus ex hac vita Patrem Cosmam Florem, vt ei laborum, quos in proferenda Christi fide pertulerat, præmia persolueret. De eius obitu vt certiorem faceret Hispanus quidam Rectorem Zebuanæ Sedis, litteras ad illum huiusmodi dedit: Non dubito quin litteræ præter opinionem Reuerētiæ Vestræ reddendæ fuerint: nec mirum cùm earum argumentum præter opinionem nobis dederit mors optimi Patris Cosmæ, quam ei assidui concionandi, & peregrinandi labores, suo magis, quàm huius Ecclesiæ tempore attulisse haud dubiè crediderim. Etenim oppida suæ curæ commissa ita lustrabat, vt secunda feria ex Olangalangana Sede profectus Tinguam pedes veniret: ibi feria tertia confecto sacro domum redibat, quarta feria Vgraium pergebat, & feria quinta sacris operatus Salum adulta nocte perueniebat, & die sequenti Olangalangum repetebat, vt die sabbati in proximo vico Tambi Christiano ritu litaret, & dominicam diem, cùm potuisset, in excolendis omni contentione Neophitis, & catechumenis erudiendis Alingaijonem postera luce pergebat; atque eundem rursus ordinem repetens reliqua deinde oppida constan

Digitized by Google

constanti labore reuisebat. Ex quo facilè intelligas quicquid acceperit incrementi Christiana res in Olangalangano territorio, id omne vigilijs, & itineribus Cosmæ constitisse: ille enim Zacatecis in noua Hispania, natus annos vndeuiginti, nomen dedit Societati, nactusque non mediocrem Philosophiæ, ac Theologiæ cognitionem, & Mexicani sermonis consuetudinem, ad Philippinas insulas superiorum nutu cùm peruenisset, tanto animi conatu in Indorum salutem incubuit, vt tertio mense publicè verba scienter, & expeditè facere ad Indos lingua Visaija potuerit, eoque instructus præsidio, aperti hominibus cœli, nuntium primus Leitæ insulæ barbaris attulit. Erat in illo præter alia diuinitus infusa carismata, ad demerendos animos mira facilitas. Itaque anno ætatis vigesimo octauo planè immatura morte præreptum Hispani, quibus mirè charus erat, effusè luxerunt vt parentem, & in eius funere acerbissimas lachrymas dedêre. Neophitorum verò, qui plangor omnium? quæ complorationes fuerunt? dissonis clamoribus more patrio, lamentis & querelis omnia complentes, interijsse diuinæ legis interpretem, pauperum præsidium, ægrotorum solamen, & medicum, communem omnium Patrem miserabiliter cecidisse querebantur. Patres Carigaranæ, Palanæ, & Dulanganæ Sedis maturè de eius periculo moniti, præstò affuêre, & omnia charitatis officia decumbenti morbo, & naturæ necessitati succumbenti officia detulêre. Ex hoc hominum genere det Deus Viceprouinciæ quamplurimos, qui & proximorum charitate flagrent, & studio amplificandæ religionis teneantur.

VT fructus à Cosma penè in semine destitutos ad optatam frugem persequeretur, missus est alius Sacerdos, cuius opera vberes manipuli horreum Domini compleuêre: sæpè enim baptismi sacramentum multis simul

simul catechumenis ministratum est, inter quos præcipiti iam ætate senex, quasi modò genitus infans, caput sacro immersit fonti, & iam de rebus diuinis tanto ardore animi sermones cum popularibus habet, vt priorem mentis obstinationem præsenti pietate abundè compenset. Sed ad maturandam conuersionem ad Pastorem animarum IESVM, vehementer impulerunt insulanorum animos atroces multorum interitus, qui salutari Christi iugo colla subdere differebant. Ex his vnus tam acri correptus est morbi lue, vt paucis diebus exesis & in frusta discerptis tabi acrimonia membris, antequam baptismo lustrari posset, misero lethi genere excesserit. Alius adeò truculentus, & sæuus, vt capite plecteret assecias, & satellites, si viam per syluas patefacientes domino ramusculum imprudentes reliquissent, qui eum prætereuntem attingeret, aut caput submittere cogeret. Sæpius à Patribus de baptismo compellatus fastidiosè respondit, sibi lumen in oculis, robur in manibus, & in pedibus agilitatem adhuc superesse, morte imminente se vltrò Patres accersiturum: is quoque repentina morte sublatus, baptismi copiam non habuit. Eundem exitum habuit mulier, quæ tenera ætate filium baptismi aqua perfundi pertinaciter obstitit. Nobilis alius Indus propter magnum rerum vsum, & regendi dexteritatem, sibi apud Gentiles auctoritatem, apud Hispanos Toparchas charitatem pepererat, & ad baptismum sæpè sollicitatus, quò minus omnium votis obsequeretur, multitudine quas fouebat vxorum deterritus est. Exemplo tamen maioris natu filij, & aliorum nobilium, qui vagam aspernati libidinem, ad frugem, & honestatem sese receperant, commotus aliquantulum, facta obrizæ messe, audiendis Christianæ Religionis præceptis, daturum se operam diligentem pollicitus est; sed interim à noxio, quem ad vincula perfer

perferre conatus erat, vno confossus vulnere, magno popularium dolore, extremum vitæ diem infelici morte confecit. Melior cuiusdam infantis recens in lucem editi sors, qui ab Ethnica matre, aut laniandus à feris, aut arenis postmodum obruendus immani feritate desertus in littore, rem ad Patres deferente coquo, maturè baptismo lustratus, ad cœlum euolauit. Nec est omittenda puerorum qui in hac sede educantur pietas, & Religionis amor, qui adeò patrias detestãtur cerimonias, & ritus, vt vel ad ipsa superstitiosa cantica aures obturent, & in fugam præcipites auertantur.

SEDES DVLACANA.

DVO Sacerdotes, adhibito Fratre vno laico in partem laboris, oppida octo, quæ quinque non amplius leucarum spatio continentur, ardentes quidem proximorum amore, ac proferendę Religionis ardore flagrantes, ad Christi Domini imperium adiungere omni arte contendunt; lenitis, & ad humanitatem excultis incolarum animis, quos horrenda vitiorum monstra, & superstitionum portenta efferauerant. Multi passim ad Christi signa se conferunt. Nonnullis fœdissimæ lepræ cõtagione deformatis, vel ardentissimæ febris æstu ad desperationem vitæ perductis aqua baptismi salutem corporis, cunctis admirãtibus attulit. Nõ desunt qui statis, ac præfinitis diebus cũ pietate vsurpandis Sacramẽtis assuescant. Institutũ puerorum seminarium, qui matura iam ætate in sua dispersi oppida, ea quæ apud nos didicerunt de Christiana religione populares edoceant: his alendis ex quingentis, obrizæ corbibus, quas nobis eleemosinæ nomine Hispani pariter, atque Indi donarunt, maior pars consumpta,

Digitized by Google

ne victus incommodo fessi, aut paternas domos indignabundi repeterent, aut minori alacritate in studia Catechesis incumberent. Peregrinis quoque Tagalis, atque Visaiis qui huc annonæ causa ventilare consueuerunt, corporum, & animorum allata subsidia. Ex montana præterea regione incommodam agri planitiem, quamuis initio Toparchis renitentibus, plurimæ familiæ deductæ, quibus excolendis noua sunt templa excitata.

SEDES PALANA.

MAGNA est Pali frequentia; quare pueris qui quotidie ad perdiscenda diuinæ legis initia in templum coguntur, quatuor præfici necesse est, qui modulata voce reliquis præeant. Validior ætas singulis diebus festis per classes distributa docetur mysteria sacra: & constituti à Patre decuriones curam habent profectus, & frequentiæ cuiusque, desideratosque in ea exercitatione conquirunt. Appetente Quadragesima sermonibus piis, & exemplis veteris historiæ ad confessionem ritè obeundam, & nullum in ea piaculum supprimendum moniti sunt, non sine animorum vtilitate; nã cùm sera nocte domũ à concione rediissent terrore pleni, summo mane ad pacandum confessione numen in templo apparebant. Inducta consuetudo se diuerberandi sexta quaq; feria, præmissa concione, qua docti sunt oppidani, supplicia voluntaria propitiandi Numinis causa esse sumenda. Quare sextam feriam plerumque vocant indigenæ diem soluendi peccata. Singulis etiam noctibus oppidum omne Neophitus aliquis obiens æris tinnitu, & voce ad commiserationem accommodata, oppidanos hortatur, vt ad extremam lu

luctam se comparent, & pia deprecatione infideles adiuuent, vt discussa ignorantiæ nocte, Euangelij lumen aspiciant: eam verò vocem magno silentio, & attentione audiunt Neophiti, Deique admonitionem appellant, & videtur Deus piorum precibus, & Sociorum conatibus volens atque propitius adesse: pauci enim in hoc territorio numerantur, qui nolint Christianam religionem amplecti. Neophiti verò, & catechumeni veteres superstitiones, quas semel deposuerunt, perpetua conterunt obliuione, timentque vehementer aliquid vsurpare, quod deserta iam sacra reuoleat. Duo pueri cùm mater morbo langueret, obtinendæ valetudinis maternæ causa, cum gallinarum munere ad Sacerdotem inanium deorum pergebant; sed religione tacti inuicem compellati, Quò pergimus? (inquiunt;) itáne verò nos Christi cultores veneficam consulemus, & muneribus placabimus veteres Antonitas? Abiecto ergo priore consilio, pedem retulerunt. Nec defuit Ethnicus, qui cùm offendisset quosdam pueros in triuio terentes tempus, tempore quo cæteri, æquales catechismo operam dabant, cessatores, & maleferiatos increpitans; Quin potius, inquit, ad perdiscenda properate, quæ nobis natu grandioribus postea per otium tradatis. Maioris hebdomadæ, & Paschalium dierum cœrimoniæ, diuque berantiumque sua corpora supplicatio, eò maiori hominum admiratione peracta, quò magis erant earum rerum ignari: quod ne sæpius iteretur in reliquis Sedibus intelligi volumus.

SEDES OGMVGANA.

VNVS hic duntaxat Sacerdos commoratur, eodem animorum emolumento: sunt enim Ogmugani ad Christianam religionem valde propensi. Non est prætermittendum quanto studio Sacerdoti obsecuti sint: nam vt Ogmugium sedes & domicilia transferrent, à Patre rogati, terrâ ex qua ortum habebant, & agris, vnde magnas accipiebant vitæ commoditates, libenter, & prompte relictis, postulata fecere: quod in nobilibus eò pluris faciendum est, quòd maiori rerum affluentia, & imperandi potestate vigebant. Ex his vnus, qui Patrem, & eius monita superbè carpebat, tanta tunc animi submissione illi ad nutum obtemperat, vt iam non satis admiranti Patri, & scisciranti, essetne idem, qui nuper eius dicta petulanti irrisione deludebat; responderit, se tunc perfidia, & errore occupato animo eius dicta cum ludibrio excepisse, sed iam his, quæ tunc dicebantur, habita fide, præsertim quòd experimento didicisset, eum esse Patrem; qui quas alijs præscribat leges, ipse primus obseruet, in id conatus suos referre omnes, vt Pater intelligat se quicquid illi vel tanquam vili mancipio præceperit libentissimo animo peracturum. Magnus propagandæ religionis ardor hunc Neophitum cœpit; nec enim satis duxit populares suos ad religionem impellere, & in officio ac fide continere, sed in remotiores vicos penetrauit, pluresque familias vno die ad oppidum, & ad fidem aggregauit, quàm multis ingenti laboris mole Pater aggregasset: cuius industriæ comitem habuit vxorem singulari probi

Digitized by Google

probitate communiam, quæ ex syluarum latibulis cognatos suos extraxit, institutosque apprimè catechesi ad Patrem saluari tingendos aqua, inusitata lætitia perdidit, ijsdemque Socijs adiunctis cæteram vagorum, & syluestrium turbam, nihil Patres, nisi animorum salutem, & veram hominum felicitatem quærere docuit: ac tandem instando, & vrgendo precibus, ac monitis vt clausa saxorum asperitate, & densitate nemorum, montium iuga relinquerent, & in plano loco, vbi à Patribus iam semel lustrati sunt Vicayum oppidum conderent, Deo adiuuante persuasit. Excursum præterea est ad oppida, Polum, & Cauamocanum, vbi sunt duo templa Deo vero dicata. Poli centum & nonaginta quatuor baptismo elutis: Cauamocani septuaginta septem; non quòd cæteri à Christianis sacris abhorreant; sed quòd pluribus informandis tempus admisit Ogmuganæ Ecclesiæ solicitudinem solandi necessitas. Cæterùm religionis Christianæ præceptis vini temperatiores euaserunt Neophiti, & prauam consuetudinem populerunt, qua receptum inter Barbaros erat, vt qui pecuniam alicui mutuam dedisset, ius in debitorem haberet, atque eius opera in seruilibus ministerijs vteretur, quoad pecuniam annumeraret, nec ratio vlla haberetur operæ quamuis diuturnæ, quam debitor contulisset.

SEDES TINAGO-NANA.

IN hac sede, quæ in Insula Ibabas sita est, duo commorantur Sacerdotes, qui in plura oppida itinera magnæ vtilitatis suscipiunt frequenter: vbi Sociorũ officijs Barbari, tantopere iam

Digitized by Google

eorum consuetudine delectantur, & quorum antea aspectum horrebant, & vt vitarent congressum, in densa nemora, & auios montes fugam capescebant, iam nunc aduentum auidissimè præstolentur, & publica excipiant lætitia. Idolorum cultu prorsus abolito, vt commodiùs Neophiti, & baptismi candidati ad Christianam pietatem excolantur, in societatem ciuilis vitæ, qui sparsis habitant domiciliis, omni contentione Patrum, & Caziziorum congregantur, & templa in oppidis diligétissimè struuntur. Insignis, & commemoratione digna extitit nobilis cuiusdam Gundisalui industria, qui à popularibus filios eblandius est, eosque magno numero apud se habet, & tanta dexteritate ad officium, & religioné informat, vt eos ad humanitatem & facilitatem morum, & quod caput est, ad magnam rerum diuinarum cognitionem adduxerit: & apud pueros eorumque parentes singularem sui nominis claritatem cum auctoritate coniunctam comparauerit: quare Toparchus cùm eius industriam mirificis laudibus extulit, tùm etiam illum à vectigali fecit immunem.

SEDES CATVBINA.

GRASSATA hoc anno in hac Sede superiori contermina morbi contagio, Sacerdoti, & Fratri Coadiutori in ea commorantibus vberem attulit segetem meritorum, & vt mala corporum solent esse animis salutaria, barbarorum animos terrore mortis ante oculos obuersante, ad vitales baptismi aquas adegit, vt quando corpora à necessitate mortis liberare non poterant, animos in regione viuentium collocarent. Quare multi, quos morbus inuaserat, etsi

Digitized by Google

etsi non satis instructi catechesi, ne periculum in mora esset, opportunè baptizati, valentes tamen confirmatæ ætatis baptizari plures centenis. Vetula quædam tenacissima earum superstitionum, quas rudibus annis perceperat, à Fratre nostro morti propinqua, de baptismo cõpellata, tandem respondit, se potius æternas, quæ memorabantur, damnatorum pœnas perpessuram, quàm vt aqua baptismi suum caput aspergi pateretur: mox linquente animo ac sensibus obriguit: Frater infelicem mulieris sortem miseratus, & commotus Ethnicorum sermonibus, qui pollicebantur Christo se omnes nomen daturos, si mulier reuiuisceret, bullam sanctorum reliquijs ornatam in pectore posuit, affirmans si Sanctorum precibus, quorum cineres in ea bulla claudebantur, vitalis calor, & linguæ vsus, vt ipse confidebat, mulieri rediisset, nihil prius ore prolaturam, quàm baptismum efflagitaret: prætentioni & fidei nostri Fratris respõdit euentus; nam vetula non solùm baptismum petijt, & accepit, sed morbo leuata, solo virium langore ne die sequenti è lecto surgeret impedita est. Iuuenis quoque grauiter ægrotans Neophitos & sacerdotem, Deum rerum conditorem, & corporis atque animi creatorem nuntiantes, irrisit, adiungens sibi non fuisse præter parentes alium vitæ auctorem: sed tamen Deo adiuuante, cùm dubia eius diluisset Sacerdos, manus dedit, & baptismum postulauit, & postera die baptismo renatus morbum depulit, nec multò post vires omnino recepit. In promontorio S. Spiritus iuuenē alium in Zebuana sede baptizatum inuenit Sacerdos, qui ardore febris vrebatur, & illi ex naribus nunquam insistente fluxu sanguis manabat: deficiente ergo venarum pulsu sacro vnctus est oleo, quo remedio sanguinis fluxus repressus est, & die sequenti meridiana febri leuatus in lecto consedit. In Agraguani oppido baptismi aqua, & Euangelij verbis complures moribundi conualuerunt.

Digitized by Google

In insula Mindanao priore anno versatus Sacerdos cum comite laico, milites, qui belli sub auspicijs Stephani Roderici suscepti reliquias persequebantur, in officio, & fide continuit, nec solùm animis omni arte consuluit, sed corporum etiam incommodis subuenit: corrogatis quippe precario nummis, multorum egestates, præsertim eorum qui salua existimatione stipem quærere non poterant, diligenter expleuit: itaque frequens, & constans sermo inter milites erat, multas vitæ molestias pauperes perpessuros, si Socij castris eo tempore defuissent. Ex barbaris quoq; insulæ indigenis, abiecto quem à maioribus acceperant deorũ cultu, Christiana sacra complexi sunt, & baptismo renati plures octoginta.

Finis Litterarum anni 1609.

LAVS DEO, ET B. VIRGINI Matri.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google